







CLEMENTIS GALANI,
Surrentini, Clerici Regularis
Theologi, & S. Sedis Apostolicæ
ad Armenos Missionarij,

HISTORIA ARMENA,

Ecclesiastica & Politica,
nunc primum in Germania excusa,
& ad Exemplar Romanum
diligenter expressa.






COLONIÆ,
ANNO
1 6 8 6.









Lectori benevolo Sal.



Rodiit A. hujus ſæculi quinquageſimo Romæ typis S. Congregationis de propaganda fide, opus ſat grande de Conciliatione Eccleſiæ Armenæ cum Romana, in quo prolixæ habentur diſputationes Theologicæ, de controverſiis, quæ Latinos inter & Armenos per plura ſæcula fuerunt agitatæ: Comparet verò in eodem opere hiſtorica etiam deſcriptio illius nationis, rebus memoratu valde dignis refertiſſima. Cum igitur illæ narrationes apud alios, qui aliàs de rebus Armenorum diligenter egerunt, fruſtra quærantur, ipſumque opus inſigne, quod Virum magni in Italia nominis Authorem habet, in Germania paucis ſit viſum, rogavit Bibliopola induſtrius, qui illud apud

possessorem, amicum suum viderat, ac quantivis pretii in hoc genere esse intellexerat, ut liceret sibi copiam ejusdem, obstetricantibus typis, aliis quoque, qui Studio Antiquitatis & historiarum, præsertim exoticarum, ducuntur, liberaliter facere. In quod petitum ille alter facile consensit. Inter commemorabilia autem, præter historiam Conversionis, à Scriptoribus Ecclesiasticis, Græcis & Latinis, jam olim consignatam, singularis omnino videntur esse momenti illa, quæ hic Author affert de Synodis, Manaschiertensi, Thevensi, & Tarsensi, in quibus decreta decretis contraria, fixa & refixa, aliaque notabilia reperies. De hisce autem Synodis altum est in Tomis Conciliorum silentium. Quemadmodum nec in ipsa collectione Conciliorum Maxima mentio fit Concilii Charnensis, Sisensis, & Adanensis; unde hæc historia Armena non parum conferre posset, ad uberiorem notitiam Synodicam, quæ partem historiæ & antiquitatis Ecclesiasticæ constituit insignem.

gnem: Ad eandem antiquitatis ſacræ portionem illuſtrandum non parum facerent concertationes ob Concilium Chalcedonenſe in toto propemodum orbe Chriſtiano enatæ, quæque Armenas etiam Eccleſias concuſſerunt.

In hoc eodem opere errores Armenorum varii recenſentur & referuntur calumniæ in Latinos, ex quorum colloquiis & Studiis hæreſes in Armenam Eccleſiam inferri illi querulantur, ſcientiis quippe litterarum iniquiores, & traditionum ſuarum retinentiſſimi; unde definiunt, terminos antiquorum ſuorum Patrum non eſſe transgrediendos: Quamvis autem conciliatio ſive Unio ſæpius fuerit tentata, identidem tamen reſilierunt à pactis & conventis: indeque per varias ἀντιπεριαγωγὰς ingentes Miſſionariorum conatus, Studia indefeſſa, & Labores maximos, eludere ſatagunt hodienum; Concilium Charnenſe, antiquitus tanti æſtimatum, neoterici nunc flocci faciunt, hæreticum peſſimum, tanquam illuminatorem & re-

paratorem Ecclesiæ, singulari honore prosequuntur, ac excommunicationi, quam in refractarios strinxit Concilium Adanense, plerique adhuc subjacent, quemadmodum hæc historicus noster pluribus persequitur. Pertinaciam igitur hanc Armenorum in Schismate graviter etiam perstringit celebris hodie Scriptor ex ordine Præd. Natalis Alexander, statim in primo Tomo sæc. I. p. 222. & alibi.

Si ab historia Ecclesiastica pedem promoveamus ad Politicam, varia itidem occurrunt, quæ sui commemoratione Lectoris animum juvare possunt: Ea enim profert Galanus de Iberis & Colchis, sive Georgianis, de ipsorum odio, quo adversus Armenos flagrant, de regno & regione, moribus & barbarie, bellis novissimis, aliisque hujuscemodi rebus & Studiis Cholchorum & Iberorum, quæ ex aliis Scriptoribus haurire vix licet.


In hac verò re, præ omnibus excellit noster, quem damus & laudamus,

damus, historicus, quod per duodecim annos in Armenia diversatus fuit testis αὐτόπτης, & profitetur, se sua maximam partem desumsisse ex auctoribus Armenis, quorum ipse linguam non sine magno labore addidicit; Cujus tanta vel asperitas est in prolatione, vel indita naturaliter in constructione discrepantia dictionum, ut mirum non sit, Latinos minus operæ in ea pernoscenda hactenus adhibuisse. Scriptores autem, qui primarii inter Armenos habentur, laudantur præcipuè variis in Locis opusculi nostri, Nierses, vel Niersesses; Gregorius quidam Cæsariensis, Concilii Chalcedonensis hostis infensissimus; Gregorius Sisensis; Doctor Dativiensis, quem horrenda in Latinos libello injurioso effutivisse memorat Noster, qui talia non sine indignatione legit. Et hisce quidem Scriptoribus φιλίστορες forsan haud ægre carere poterunt, sed vero quam maxime desideraveramus librum narrationum, quem Giarrentir in suo Idiomate vocant Armeni, antiquissi-

mum & immensum volumen, ut à Galano vocatur, ex eo quippe licuisset aliqua adhuc amplius & dilucidius illustrare & explanare, quæ in historico nostro libello traduntur. Opus hoc sæpe laudat laudatus sæpiuscule doctissimus Galanus, lucique illud ipsum Romæ datum esse docuit nos, Germaniæ suæ in Italia Decus, celeberrimus P. Kircherus in descript. Chinæ. p. 92. Hujusce igitur libri gratia semel iterumque litteras scripsimus ad Amicos in Italia, sed negarunt illi, Giarrintir Armenum vel in ipsa Urbe uspiam esse parabilem, adeoque paucis admodum visum ac notum librum. Nec tamen destitimus aurem vellicare iisdem nuperrimè, ut accuratius inquirerent. Ubi itaque compotes fuerimus facti operis desideratissimi; illud vel integrum, vel pars ejusdem suo tempore, insupplementum quasi præsentis historiæ prelo subjici poterit. Addi quidem potuissent, ut in hisce talibus frequenter fieri assolet, varia ex histo-

hiſtoricis aliis annotamenta, ſed in præſentiarum purpuræ, ut dici ſolet, laciniam aſſuere, minus conveniens viſum fuit. Cum præſertim ſcriptum hoc, ſui & raritate & rerum varietate ac ubertate, ſatis ſuperque ſeſe commendet. His igitur Lector benevolus utatur, fruatur, & quam optime valeat.





PRÆFATIO
Clementis Galani in Historiam Armenam.



Uænam, peregrinorum vetuſtiſſimam hanc ſecretorum Memoriam, adeò nobis abſtruſam, ut Latinis à nemine adhæc usq; tempora revelari potuerit, quæ mox detexerit, narratio detexeretur? aut cuinam memetipſum inferam labyrintho, ubi à tanto audaciæ mon-

monſtro penè devoratus, apud omnes etiam famà deturpandus ſim? Audebo porrò libenter; dum Armenus quidam Hiſtoricus, porrigens, quod ipſe nevit Seriei filum omnium ſibi præcedentium Armenorum Patriarcharum haud aliter ac Ariadna fabuloſa Theſeo, ad inextricabilem illam Armeniorum vetuſtatem impuniùs explorandam, plurimum mihi præſtabit auxilii. Hoc itaq; filo duce; meiſq; inſuper, ex aliis Armeniorum, & Latinorum hiſtoriis deprom-
ptis,

ptis Annotationibus intertextis; & propositam texere narrationem, & memet à tricis explicare studebo. Sed ecquis ille fuerit Historicus; qualis liber ipsius quonam modo ad manus venerit; ubi tandem alias Armeniorum historias potuerim perlustrare? ut nostra solum scriptura indubitatam apud omnes fidem astruat, paucis expediam. Inter Armenios siquidem propemodùm ubiq; Terrarum in Oriente; & Septendrione dispersos, duodecim jugiter annos di-

verſatus ſum, eorumq; libros evolvi: in Syria apud Arabes; in Minori & majori Armenia; in Iberia apud Georgianos; in ponto apud Colchos; tum nigro bis trajecto Gurgite, in Scythia apud Getas; in Jonia apud Smyrnenſes; in Thracia Conſtantinopoli; atq; demum hic Romæ, ubi, Sacra congregatione de fide propaganda mandante, in Sacram Theologiam Armenis diſcipulis proprio ipſorum idiomate explicandam incumbo. Byzantia igitur in urbe, antiquiſ-

tiquiſſimi codicis miſcellanei, in quo præfata Patriarcharum Series añotabatur, dono potitus ſui, quodam noſtro diſcipulo nomine khacciatur, qui poſt meam annuam diſciplinã pro Armena Natione ejusdem Urbis Patriarcha creatus fuerat, largiente, Nomen Auctoris ibi ſilentio prætéritur; Scriptoris, eſt Domnus Marucha Sacerdos Armenus, qui in Scythiæ Cherſoneſo in Eccleſia S. Michaëlis Archangeli Theodoſiæ Civitatis, quæ nunc appellatur Caffa, illum tranſcri-

pſerat anno Domini 1366. De hujus quidem hiſtoriæ veritate nemini prorſus dubitandum eſt: ab ea Armeniorum diſſentit nullus; eandem ipſemet in cæteris eorum codicibus non ſemel periculo comprobavi, de uno illo duntaxat non nihil ambigendi locus relinquitur penes me, fateor. Papchen Patriarcha, qui in Menologio Armeno Sancti Germani Conſtantinopolis Patriarchæ contemporaneus aſſeritur, in hac ſerie cum ſuo non congruit anno. Sed fieri potuit, ut con-

conjicimus, quod alter fuerit, præter eum in serie explicitè positum, Papchen Patriarcha; qui sub alio forsan nomine circa tempora ipsi Germano respondentia in eadem collocatus sit. In eo igitur libro subsequens Patriarcharum ordo, Armenicè tantùm & summatim conscriptus, sed hìc intereà in latinū fidelissimè translatus, ac insuper copiosis annotationibus nostris amplificatus, recensetur.

SERIES



SERIES
PATRIARCHARUM ARMENIÆ.
Auctoris Annotationibus illustrata.

Incipit Armena Historia.

CAPUT I.

Post gloriosam D. N. Jesu Christi in cœlum ascensionem, beatissimi Apostoli accepto Spiritu Sancto, universas mundi plagas inter se, ductis sortibus, partiuntur. Sancti verò Apostoli Bartholomæus & Thaddæus in Armenas regiones, quæ illis sortitione obtigerant, proficiscuntur. Ibiq; á Sanatrugho Armeniorum Rege necati, martyrium compleverunt.

Apostoli Barthol. & Thadd. fidem prædicāt Armeniis.

ANNOTATIO.

Inter illustres totius Asiæ regiones clarissima multis nominibus existimata jure fuit Armenia: Montium sublimitate, ac speciali prærogativa; quippè post Diluvium super illos Arcam Noë quievisse, divina testatur Scriptura, dicens; Requievit Arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis, super

Gen. c. 8

per montes Armeniæ; hoc est, ut ipsi Armenii traditione accipiunt, super montem Ararath, aliorum omnium famosissimum, quem illi vocant alio nomine Masis: eruptione fluminum, quibus copiosè alluitur, & fœcundatur; eorum præsertim, juxta Bedam & Dionysium Carthusianum, quæ sacræ literæ, ex Paradiso primò nasci, confirmant, Tigri videlicet, Euphrateq; , quos, sicut & montes prædictos, ego ipse, à Syria in Iberiam, & Colchidem ad nostrarum loca missionum iter faciens, non sine magno transmisi periculo; nec sanè, quòd doctores aliqua paradisi flumina caput in Armenia iterum attollere, dicant, mirabitur ille, qui Divus Augustinus lib. 8. in Genes. legerit, hæc de iis scribens: Sicut in aliis contingit fluminibus, ut alicubi intrent in terram & alicubi exeant; ita de fluviis istis credendum est: Incolatus antiquitate; siquidem filiis Noe, cunctisq; ex Arca foràs egressis animalibus, prima præbuit domicilia: Incolarum dignitate cum Armenii aut à Sem, ut eidem placuit Dionysio, aut à Iaphet, ut refert Nierses Ghelaiensis Armenus, oriundi, suam quomodocunq; à semine benedicto trahant originem: Immensitate tractus; dividitur enim in majorem & minorem: effluvio sanguinis martyrum penè innumerorum, sicut infrà suis dicetur locis. Atq; ut ad communiora deveniam, multitudine populorum, loci amœnitate, fertilitate terræ, salubritate aëris, cœterisq; perfectionibus, nulli cedit Armenia orientali provinciæ.

Beda & Dionys. in Gen. c. 2.

Aug. in Gen. l. 8

Dion. in c. 10. Gen. art 42.

Nierses Armen. in Carmine de Armen. geneal. in libro, qui dicitur Isusuorti

Talem igitur regionem, majorem nimirum Armeniã, post gloriosam Christi Domini ascensionem in cœlum, Bartholomæo ad Evangelium Christi prædicandum obtigisse, affirmat etiam Baronius: Thaddæo autem Mesopotamiam, quæ est ora meridionalis majoris Armeniæ, legimus in Romano Breviario. Immò si Thaddæus, juxta S. Anthonium, in Ponto, & Mesopotamia prædicavit, facilè á Ponto in Mesopotamiam, Armeniam ipsam, quæ in medio sita est, eum trajecisse (quod Armenii contendunt) credi potest. Præterea liquidò constat, utrumque Apostolum circa regiones illas martyrium subiisse; Sed postquam Bartholomæus Polymium quendam Armeniæ Regulum ad fidem convertit; ut communiter omnes: & Thaddæus Regem Babylonis; ut Divus Antonius & alii. Quomodo autem sub Sanatrugho, qui Armeniorum Rex nominetur, ista potuerint contingere, in dubium vocari posse videtur; cum nos, Bartholomæum jussu potiùs Astyagis, fratris Polymii Regis, capite mulctatum legamus.

Baron. An. 44.

S. Ant. p1. tit. 6. c. 19.

S. Ant. ibidem.

At verò tum, ut hoc fiat perspicuum, tum quia in ejusdem historiæ processu nonnulli Armeniæ Reges memorantur: haud equidem dubito, me latinis lectoribus gratum non minùs facturum, si unà cum Armeniorum Patriarcharum serie, & Regum etiam successionem, ex tempore Domini nostri Iesu Christi inchoandam, quæ adhuc illis ignota est, breviter exposuero. Quod

Nierses Ghel. in hist car. de Regibus Armeniæ.

profectò facilè mihi promitto ex iis, quæ in aliis Armenorum Scriptorum codicibus, ac præcipuè in historico carmine Nierſeſis Ghelaienſis, ſexageſimi tertii Patriarchæ, legi. Antequam igitur deveniamus ad Regem Tiridatem, Divi Gregorii, primi Armeniorum Patriarchæ contemporaneum, de quibus plura in annotatione ſequenti; mox recenſendi ſunt hîc Reges Anteceſſores.

Euſebii hiſt. lib. 1. c. 13.

Primus itaq; Armeniorum Rex, qui in Jeſum Chriſtum crediderit, fuit Abgarus. Is etenim reſidens erat in civitate, quam ipſemet conſtruxerat. Edeſſæ ſuperioris Syriæ ſeu Meſopotamiæ, quæ tunc ad Armeniam pertinebat; eorumq; quæ facta erant à Jeſu, famâ permotus, ad illum fertur ſcripſiſſe epiſtolam; quam Euſebius Pamphili è Syriaca linguâ in græcam transtulit, ſimul cum altera, quam ad eundem Dominus Jeſus Chriſtus eidem tabellario dedit: utraq; verò latino idiomati donata, ſic ſe habet.

Abgarus Rex Armeniorum ſcribit ad Jeſum Chriſtũ.

Abgarus Princeps Edeſſæ Salvatori propitio, qui in confiniis Hieruſalem in carne apparuit, Salutem.

INſignes illas virtutes, & curationes, quæ abs te ſine medicamentis, & ſine herbis factæ ſunt, auditione accepi. Cœcos enim ut fama eſt, videre efficis; claudos ambulare; & leproſos mundas: Spiritus iracundos & Dæmones ejicis; eos etiam, qui diutiùs morbis preſſi ſunt, ſanas; Mortuos deniq; ad vitam revocas. Quæ quidem cum de te audi-

viſſe

visse, de duobus hisce alterum verum esse cogitabam, te aut Deum esse, & è Cœli fastigio delapsum; aut Dei filium saltem, qui ista tam stupenda edas miracula. Quapropter hæc ad te scripsi, magnopere precatus, ut laborem ad me accedendi suscipere, huncq; quo crucior, morbum curare, non graveris. Etenim audio Judæos tibi obstrepere malevolè & libenter aliquo magno malo afficere. Est mihi civitas, perexigua quidem, sed ornata sanè, & illustris; quæ utrisq; nostrûm rerum necessariarum suppeditabit satis.

Rescripta Jesu ad Abgarum Principem, per Ananiam cursorem missa.

Jesus Christus rescribit Abgaro Regi Arm.

ABgare, beatus es, qui non videris me, in me tamen credidisti, de me enim scriptis proditum est; eos, qui me viderunt, in me non credere; ut hi, qui me non viderunt, credant, & vitam consequantur. Quod scribis ad me, te velle, ut ad te veniam: eas res, cujus gratiâ sum missus, debeo hîc necessariò obire; quas cùm plenè perfecero, ad eum recipi, qui me misit; quò simul ac assumptus fuero, aliquem ex discipulis meis mittam ad te, qui morbo, quo tantopere torqueris, faciat medicinam; & vitam tibi, tuisq; impertiat] Hactenus epistolæ.

Fuit insuper ab ipso Christo, post prædictam epistolam, sui ipsius imago ad Abgarum missa; ut gravissimi testantur authores: ac præ aliis Johannes Damascenus, his verbis: Historiæ quoq; proditum est, cum Ab- *Damascenus de fide*

orthod. l.4.c.17. garus Edessæ Rex eo nomine pictorem misisset, ut Domini imaginem exprimeret; neq; id pictor ob splendorem ex ipsius vultu manantem consequi potuisset: Dominum ipsum divinæ suæ, ac vivificæ faciei pallium admovisse; imaginemq; suam ei impressisse: sicq; illud ad Abagarum, ut ipsius cupiditati satisfaceret, misisse. Hæc Damascenus; & similia quoq; Nicephorus.

Christus mittit ad Abagarum imaginem suam.

Anno autem quadragesimo á Christi natali, ut idem Eusebius autor est, Thaddæus, unus ex Jesu Christi discipulis (quem Beda, & D. Hieronymus, non ex septuaginta duorum discipulorum, ut innuere videtur Eusebius, sed ex duodenario Apostolorum numero fuisse, tradunt) Edessam Syriæ profectus, Abagarum Regem Armeniæ, morbo afflictatum, curavit; eumq; simul cum toto Edesseno populo ad fidem perduxit; id quod eidem Regi Dominus Jesus per epistolam promiserat, dicens: Postquam receptus fuero ad eum, qui misit me, aliquem ex discipulis meis mittam ad te, &c. Hæc autem singula, quæ de Abagaro diximus, eodem modo refert præfatus Nierses Armenus in carmine suprà citato.

Niceph. histor. l.2.c.7.

Beda in retract. in acta Apost.

Hieron. in Matthæum cap. 10.

Secundus Armeniæ Rex post Abagarum fuit filius quidam ejus anonymus, qui Christianã patris religionem aspernatus, fideles atrociter insectatus est, ac miserè vitam complevit. Terti' fuit Sanatrughus, filius sororis Abagari, cujus imperio sanctos Apostolos Bartholomæum, & Thaddæum in Regionibus illis interfectos fuisse, narrant Armenii: á quibus tamen

tamen minimè diſcrepant Hiſtorici noſtri, quamvis Bartholomæum, jubente Aſtyage, Regis Polymii fratre, ab idololatris ſacerdotibus neci traditum, aſſerunt. Nam Polymus, & Aſtyages quarundam Armenarum Provinciarum eſſe Reguli potuerunt ſub imperio Samatrughi, totius Armeniæ Regis. Et quidem quod Aſtyages, frater Polymii Regis, Rex quoque fuerit, affirmat Martyrologium Romanum: ac ultrò ſingularium tantùm Provinciarum Regulos eſſe fuiſſe, colligimus ex Abdia Babylonio, aliisq; gravibus auctoribus.

Martyrolog. Rom. 25 Aug. Abdias Babyl. & alii autores apud Ribad. in vit. Barth.

Quartus fuit Jeruant, ex Arſacis Parthorum Regis ſtirpe progenitus, ſicut & cœteri ſucceſſores Reges Armeniæ, qui propterea Arſacidæ ab Armeniis vocati ſunt. Quintus Ardaſces, fortis ac bellicoſus, qui ipſum Jeruant interficiens, vi regnum Armenum occuparat. Sextus Ardavaſtes. Septimus Diranus, frater Ardavaſtis. Octavus Tigranes, frater ejusdem. Nonus Valarſus, filius Tigranis, qui victor obiit in bello contra Paſſaënſes. Decim' tandem fuit Choſroës (alio nomine dicitur Cuſaro à Metaphraſte) filius Valarſi, pater autem illius Tiridatis, qui primum Armeniæ Patriarcham, Divum, admirandumq; Gregorium ob Chriſti fidem tormentis ſubjecit pene innumeris, quamvis poſteà ejusdem Martyris prædicatione, & miraculis eandem amplexatus ſit fidem: ac denique frater Artabanis, qui Perſarum tunc imperium, quod jam pridem ad Parthos tranſierat, obtinebat.

Metaphrastes apud Surium T. 5. 30. septemb.

Hic itaque potentiſſimus Armeniæ Rex Choſroës [ut referunt Armenii, & diffusè narrat Metaphraſtes in actibus ejusdem S. Gregorii) cum intellexiſſet, quòd Artaſiras Perſa interfecto fratre ejus Artabine, Perſarum ſibi imperium uſurpaverat, valido coacto exercitu ex Armenis, Albanis, Iberis, ac præterea ex Hunnis, ipſum aggreſſus eſt Artaſiram; ac tanto quidem impetu, ut, exercitu Perſico profligato, illum verterit in fugam.

Anac Pater D. Gregorii I. Arm. Episcopi

Poſt hæc autem Anac quidam Parthus & Choſroæ genere propinquus, qui pater erat divi Gregorii, tunc infantis, propter jusjurandum, quod dederat Artaſiræ, & donorum ab eo ſibi promiſſorum cupiditate incenſus, conſanguineum ſuum Choſroën Regem, dum hic ſecundò aciem ſtruit, & educit adverſus Perſas, proditione occidit. Verùm cupiditatem ejus fortuna irritam fecit: nam ſtatim fugitivus in medio quodam ponte à Sarapis Armeniorum interceptus, ſubmergitur in fluvium, ac tota ejus generatio trucidatur præter duos filios; quorum alter erat infantulus Gregorius, qui divinitùs clam ſervatus, atq; Cæſaream aſportatus, á pia quadam muliere in Chriſtiana fide enucleatus fuit. Dum hæc interim agebantur, irruit Artaſiras Perſa cum ſuo exercitu in conturbatos Armenos, & magna acta præda,

Choſroes pater Tiridatis Regis Armen.

inventum inter captivos Tiridatem, Choſroæ Regis interfecti filium, propter teneram adhuc ætatem perimere noluit, miſit tamen in exilium in Græcorum regionem quandam, Romano ſubjectam Imperio: tempore verò poſteri-

ori idem Tiridates, strenuissimus Romanorum miles effectus, Armenum iterum Regnum illorum auxilio acquisivit. Et hæc quidem satis de Regibus Armenis usq; ad Tiridatem: Reliqua suis examinabimus locis.

Prosequitur Armena historia.

CAPUT II.

DUcentis sexaginta sex annis elapsis, in sanctorum Apostolorum Bartholomæi & Thaddæi Cathedram successit strenuissimus & gloriosissimus martyr sanctus Gregorius, qui rexit Armenam Ecclesiam ab anno quintodecimo usq; ad quadragesimum sextum Regni Tiridatis; quando in Viventium Regionem emigravit: vixitque in sede Patriarchali annos triginta.

S. Gregorius sedet primus Patriarcha in Arm. cathedra.

ANNOTATIO.

Quis unquam pro dignitate narrare posset, quantò tellus Armenica sanctorum Martyrum sanguine irrigata fuerit, seminè fœcundata, floribus purpurata, priusquam fructum suum benedictissimum, magnum inquam Gregorium, martyrem inclytum & gloriosissimum Patriarcham mundo procrearet, ad cœleste mitteret promptuarium, ac per eum universam etiã Armeniorũ gentem ad fidei Christianæ maturitatem perduceret: Legantur Hi-

storiæ Annales, Martyrologia apud Græcos, Latinos, Armenos; et Martyres occurrent innumeri, qui Gregorii dormitionem in Armenia præcesserunt. Sed sufficiat modò, ex iis tantùm, qui Ecclesiæ Latinæ probantur, præcipuos hìc recensere.

Martyrolog. Rom. mentionem facit omnium infrà scriptorum Martyrum, videatur illius index.

Inprimis in monte Ararath majoris Armeniæ illustris sanctorum Martyrum decem millium crucifixorum passio celebratur, qui adversus Euphratenses pro Romano Imperio viriliter decertantes, victoriaq; potiti, cum noluissent Idolis immolare, nec ab eis adeptionem victoriæ recognoscere, sed à vero Deo Christianorum, sub Hadriano Imperatore crucibus omnes affixi, martyrii palmam, gloriosiori expleto certamine meruerunt.

Præterea in persequutione Diocletiani & Maximiani, aliorum omnium atrocissima, insignior quoq; reddita est minor Armenia sanguine Martyrum: Sebaste enim Acacius presbyter, septemq; mulieres dirissimè pro Christo excruciatæ sunt, sub Præside Hierenarcho; qui Martyrum constantiam admiratus, & ipse credens, unà cum Acacio securi percussus est. Quo etiam tempore ibidem Athenogenes Episcopus Sebastenus, unà cùm decem ejus discipulis, idem fidei certamen obivit: de cujus quidem reliquiis hæc refert ex Metaphraste Baronius: Cum autem S. Gregorius (de quo supra dictum est, & mox infra loquuturi sumus) jam ingressus esset fines Armeniæ, nunciatur ei, relictum esse templum quoddam Herculis, situm super flumen Euphratem; & in

Baron. Tom. 3. an. 311

in eo esse aram, in qua Dæmonibus, & Herculi fiebant sacra; cum ergo ad hoc templum venisset, sola oratione, (neque enim ei quisquam humanas admovit manus) qui in eo erant, dæmonibus, machinis omnibus & spectris depugnantibus adversus eversionem, ab ipsis evertit fundamentis; & alterum excitat Domino, quod ei ex adverso responderet; in eoq; deponit reliquias Præcursoris Baptistæ, & Martyris Athenogenis. Hæ autem reliquiæ in hodiernum usque diem maxima ibi cum reverentia asservantur, frequentiq; Armenorum peregrinorum concursu, & devotione coluntur.

Sebaste quoq; passi sunt Carterius, Styriacus, Tobias, Eudoxius, Agapius, aliique martyres socii, sub Licinio Imperatore. Ibidem Eustratius, Auxentius, Eugenius, Mardarius & Orestes sub Agricolao Præside pro fide Christi necati sunt: quorum reliquias colligens S. Blasius, ejusdem civitatis Episcopus honorificè sepelivit. Verùm non multò pòst idem Blasius, jubente eodem præside, post diutinam cæsionem, atque in ligno suspensionem, ubi ferreis pectinibus carnes ejus diruptæ sunt; post deterrimum carcerem, & in lacum demersionem, unde salvus exivit, unà cum duobus pueris, capite truncatus est. Ipso autem adhuc animam agente, septem mulieres, quæ guttas sanguinis ejus defluentes colligebant, deprehensæ, quòd essent Christianæ, post diversa tormentorum genera gladio percussæ sunt tempore Licinii, quo idem præses

Agri-

Agricolaus, eidem præfectus provinciæ, complures sanctos martyres necavit: & inter alios quadraginta illos insignes milites Sebastenos: qui post vincula & carceres, in stagno rigenti sub dio pernoctare jussi sunt, ac demum crucifragio martyrium consummarunt.

In eadem quoque minori Armenia contigit natalis sanctorum martyrum Dionysii Æmiliani & Sebastiani. Item Nicopoli, civitate ejusdem provinciæ, Ianuarius & Pelagia, in equulei ungulis, & testarum fragmentis diebus quatuor cruciati, præmia meruerunt æterna. Ibidem Leontius, Mauritius, Daniel aliiq; socii sub Licinio Imperatore, & Lysia Præside, variè pro Christo excruciati, tandem in ignem conjecti, cursum martyrii confecerunt: Satalis etiam civitas illustrata est, confessione & sanguine sanctorum Martyrum septem fratrum, Orientii Herois, Pharnacii, Firmini, Firmi, Cyriaci & Longini militum, qui à Maximiano Imperatore, eò quòd Christiani essent, cingulo militari privati sunt, atq; diversis in locis doloribus, & ærumnis afflicti, quieverunt in Domino. Militinæ itidem, Armeniæ minoris urbe, coronati sunt sub Lysia Præside Hiero, Nicander, Hesychius, aliiq; triginta. Ibidem Eudoxius, Zeno, & Macharius, unà cum aliis mille centum, & quatuor militibus, abjicientes militiæ cingulum, pro Christi fide necati sunt. Melitinæ quoq; nobiles milites Polieuctus, Victor & Donatus hac eadem persecutione martyrium impleverunt. Ibidem similiter Hermogenes, Cajus,

Expe-

Expeditus, Ariſtonicus, Rufus & Galata, una eademq; die martyrii palmam adepti ſunt. Ecquis tandem recenſere ſingulos poſſet.

Cùm autem interea tanta ſanctorum Christi martyrum clade minor Armenia, Romano ſubjecta Imperio, vexaretur: Rex quoq; Tiridates, qui majori tunc præſidebat Armeniæ, à Diocletiano concitatus, illic in fidelibus exagitandis ſupra modum deſæviebat. Etenim ſanguine Gregorii, quem graviſſimis ante tormentis excruciaverat, nondum exaturatus, ſed crudelioribus cædibus inhians, in novos ſemper martyres ſuam experiebatur ſævitiam. Inter alia verò immanis feritatis ejus facinora illud præcipuè memoratur à Metaphraſte: Virgo quædam Romana, genere illuſtris. ac præ aliis formoſiſſima, nomine Ripſimes, ut Diocletiani Imperatoris nuptias, ac etiam perſecutionem devitaret, unà cum ſociis virginibus triginta tribus, Chriſto dicatis, Româ fugiens, in Armenas ſe contulerunt regiones: quam, cum ibi perſpiceret Tiridates, ſtatim iſta illius pulchritudine captus fuit, ut præ nimio amore ad inſaniam quoq; deveniret. Cumq; nec illa nec ſociæ, aut blanditiis, aut minis ad ejus vota, atq; ad Idolis immolandum adduci unquam potuiſſent, poſt diriſſimos cruciatus, pro caſtitate, & Chriſti fide tuenda, omnes eo jubente necatæ ſunt, inter quas Cajana, aliarum monitrix, celebrior prædicatur, quæ duabus ſibi ſociis virginibus adjunctis, ſupplicia ſubiens acerbiora, mirificum Chriſtianæ fidei ſpecimen edidit.

Metaphraſtes apud Surium loco cit. c. 17.

At verò, ut ad magnum redeamus Gregorium, omnia quidem illius acta diffusè describuntur à Metaphraste: quod autem ad Martyrium, ejusq; pontificatum spectat, hîc breviter percurremus. Post multa tandem, & diversa tormentorum genera, pro Christi fide, jussu Tiridatis Regis strenuè tolerata, in putrefactum puteum, serpentibusq; & vermibus scatentem, Gregorius semivivus injicitur: Ibi quatuordecim jugiter annos afflictatione obsessus atq; ut mortuus derelictus, quadam modo vidua, divinitus inspirata, quotidie frustum panis in eum inmittente, vivus superna servatur virtute: quousq; cum Rex Tiridates, eo quod B. Ripsimem Virginem ejusq; socias crudeli affecisset martyrio, formam porcinam in pænam sui sceleris induisset, Cusaroducta Tiridatis soror, in somnis admonita, Gregorium, qui jam diu mortuus credebatur, de lacu educi jubet, ut fratris incolumitati prospiceret, quod ubi factum est, Rex sub porcina figura ad Gregorii sacrosancti pedes provolutus, suæ priori formæ precibus Martyris, restituitur; Christianam fidem cum omni Armeno populo recipit; ipsumq; Gregorium in regia majoris Armeniæ, urbe Vagarsciebat, Armeniorum præficiendum Ecclesiæ curat. Fuit autem Gregorius initiatus Episcopus Armeniæ à Leontio Cæsareæ Archiepiscopo: quamobrem adducitur in iisdem actibus epistola, qua Rex Tiridates Leontium rogavit, ut Gregorium, quem ad ipsum honorifico præstantissimorum, magnorumq; virorum comi-

Metaphrastes apud Surium T. 5, die 30. sept.

Tiridates Rex Arm. formã porcinã recipit.

ib. c. 33.

comitatu Cæsaream usque miserat, Episcopum consecraret. Ea igitur est hujusmodi.

Profundæ tenebræ, cùm aliorum peccatorum, tum impietatis maximè nos diu operuerunt. Hinc factum est, ut nec ad veritatem adspicere, nec communem omnium Opificem potuerimus olim intelligere. Cum enim & alium nobis solem in terram, magnum misisset Gregorium, & sanctas ostendisset virgines, ut per ipsas nos quoq; agnosceremus illius bonitatem & humanitatem; eos immanissimè præ furore punivimus; Et ipsæ quidem miserabiliter (Proh dolor) à nobis interfectæ fuerunt; hic autem, Dei invicta confirmatus virtute, sævitiæ nostræ, & insidiis semper superfuit. Verùm ne sic quidem abyssus illius miserationum, & infinitum pelagus clementiæ nos despexit pereuntes; sed hujus divini Gregorii doctrina & precibus, & gloriosarum illarum virginum & martyrum intercessionibus crassam illam caliginem abstulit á nostris animæ oculis, & ad lucem veritatis adduxit, illiusq; agnitionem & fidem. Eum ergo, qui fuit nobis autor tot bonorum, nostræq; salutis dux certus, & dispensator, doctorem & pastorem reliquæ vitæ, & virtutis non nos solùm elegimus, sed divina quoq; visio talem sententiam à superis obsignavit: per quam ipsum quoq; annuentem ad vestram misimus Sanctitatem, ut ab ejus manu & linguâ ipse consecretur in Pontificatu, & citò nobis; qui grex ejus sumus, reddatur. Hæc Tiridates Leontio.

Epistola Tiridatis Regis ad Leontium Episcop.

S. Ripsimes aliæq; 33. virgines jussu Tiridatis martyrio traditæ.

Et

Et quidem tantus erat in pectore Tiridatis Regis fervor pietatis, ut subjectum sibi populum ad Christianam amplexandam Religionem, non solúm exemplo sui allicere, verùm & edicto quoq; non destiterit efficaciter trahere. Fertur, ait Sozomenus, Tiridatem, qui tum huic genti præerat, admirabili quadam visione, quæ circa illius ædes fortè apparuerat, non modò ad Christianam Religionem vocatum esse, verùm etiam edicto omnibus subjectis imperasse, ut fidei Christianæ se addicerent. Unde turmatim ad Euphratem confluebant Armenii, ubi Gregorius, postquam Cæsarea reversus, ingressusque fines Armeniæ, plusquam centum & decem millia hominum ibi baptizaverat, aliam quoq; innumirabilem penè multitudinem, diversis visis prodigiis, baptismo regeneravit, filiosq; lucis effecit. Quoniam, ut scribit Metaphrastes, illi quidem baptizabantur in Euphrate, ejus autem retinebatur fluentum, & videbatur columna lucis, tanquam super basin, posita super aquas, ipsos solis radios, quod ad splendoris attinet rationem, longo intervallo superans: simul autem cum ea, crux quoq; oriebatur in capite, & erat id quidem mirabile visu: toto autem illo die cernebatur oculis eorum, qui fuerunt baptizati: ipsius autem multitudinis plenus & perfectus numerus erat quindecim myriades (hoc est centum quinquaginta millium.) Cum septem verò dies Pontifex esset simul cum eis versatus, & aliam multitudinem baptizasset innumerabilem, si autem credendum

Sozom. l. 1. c. 7.

Metaphrast. ib. c. 35.

dum est famæ, quæ in vulgus manavit, quadringintas myriades (quatuór millia millium) octavo die illinc recedens, & Ecclesias ædificavit per universam Armeniam, & Sacerdotes in eis constituit.

Qua propter brevissimo temporis intervallo Armenia universa ex Idolorum cultu ad Christi fidem conversa, Catholicam veritatem non tantùm discipula, Gregorio doctore, didicerat, sed & magistra Persidem, aliasq; finitimas regiones edocebat: Postea verò subdit Sozomenus; ad vicinas gentes eadem pervasit Religio, & ad multos vagata est. Quo ad Persas spectat, ex illis initio Christianos factos arbitror nonnullos, qui propter consuetudinem, quam habebant cum Osroenis & Armeniis, in colloquium, ut verisimile est, cum divinis viris, qui ibi erant venerant & virtutis eorum periculum fecerant. De hoc autem fidei progressu in Perside Armeniorum operâ facto, illustre quoq; testimonium extat, in epistola relata ab Eusebio, in qua Constantinus Magnus ad Saporem Regem Persarum hæc inter alia scripsit: Hunc præclarum hominum cœtum, Christianorum inquam, de quibus omnis à me suscepta est oratio, cum audierim, etiam Persidis potissimam partem (quod mihi sanè est gratissimum) exornasse; quanta me putas perfundi voluptate? Igitur quoniam hac dignitate es, tuæ fidei comendo; hos eosdem propter insignem tuã pietatem in manus trado, hos, ut decet humanitatem tuam, complectere & ama.

Sozom. l. 2. c. 7.

Euseb. in vita Constantini lib. 4. c. 9.

Iberorum præterea populus, vulgò dictos Gregorianos, ultra majorem Armeniam ad Arcton habitantes, etiam ab Armeniis in Christiana fuisse Religione confirmatos, accipimus ex Armena quadam historia, mox infrà referenda. Interim verò sciendum id est, quòd Rufinus, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, & ex ipsis alii recentiores dissertissimè narrant: hanc nimirùm Iberorum gentem primò ad Christianismum perductam fuisse operâ Christianæ, & captivæ cujusdam sanctæ mulieris, quæ in Iberia miraculis, & vitæ sanctimoniâ floruit, hoc eodem tempore Constantini. Quamvis à nemine prorsus prædictorum auctorum, nec hujus nomen mulieris, nec genus, nec unde aut quomodo ad Iberos pervenisset captiva, traditum reperiatur. Quare Baronius in Annotationibus ad Martyrologium Romanum die 15. Decembris, quo ejus ibi commemoratio celebratur sub nomine Christianæ Ancillæ; eo quòd nomen, inquit, ejus ignotum haberetur, non proprio, sed appellativo potiùs nomine Christiana Ancilla dicta videtur.

Rufinus l.1.c.10 Socrat. l.1.c.20 Theodoret. l. 1. cap. 23. Sozom. l.2.c. 6.

Baron. Annot. ad Martyr. die 15. Decemb.

Nos ergo memoriæ nunc prodamus, quæ de sancta ista fœmina & Græcos & Latinos hactenus latuere. Inprimis nomen istius apud Iberos & Cochlos, qui eam tanquam suarum Regionum Apostolam recognoscunt, summoq; reverentur honore, est sancta Nino. Cui rei testimonio sumus, tum egomet ipse, qui apud illos quadriennio degi, tum reliqui Clerici Regulares, qui soli ex Apostolicæ

licæ sanctæ sedis mandato jam diu in regionibus illis munus Evangelicæ prædicationis exercent, & cum uberrima quidem fructuum perceptione: nam præter alia animarum lucra innumera, de quibus haud hujus est loci differere; jam populos illos, qui antehac superstitiosa quadam ablutione, absque debita Sacramenti forma super pueros adhibita, pro baptismate utebantur, ad verum baptismi ritum & formam suscipiendum, Dei beneficio, induxerunt.

Clerici Regul. à superstitiosa ablutione ad verum baptisma revocāt populos Iberorum.

In quo præclaro facinore maximè omnium & summo posito studio elaboravit Rev. Pater fœlicis record. D. Joseph Judices Mediolanensis, (scilicet pro amantissimo in Christo commilitone meo,& jugi, dulciq; sodalitio mihi conjunctissimo, digressionem producere longiusculè) vir planè Apostolicus, vita innocentissimus, & in proximorum salute procuranda , quamvis sexagenarius, nunquam non indefessus; qui tandem, expleta Chochlorum Regis ad Innocentium PP. X. legatione quadam, in reditu ad eundem Regem, & suæ missionis officia, Constantinopoli accusatus, apud Turcas à Judæis, quòd sedis Apostolicæ missionarius esset, qualis & posteà literis Pontificiis intercептis, palàm jam innotuerat; atq; calumniâ, quòd pueros aliquot Turcicos olim baptizasset, objecta, contrusus fuit in carcerem: ubi inter molestissima catenarum vincula, & varias afflictationes , invictâ patientiâ toleratas, meruit abhinc triennio emeri-

D. Ioseph Iudices Cl. Regul. quod Apostolic. obiret munus in vinculis animam efflavit apud Turcos.

tus Christi miles extremum effundere spiritum.

Sed ut ad id redeamus, unde digressi sumus: de proprio sancto illius fœminæ nomine, quod erat Nino, ab Iberis jam eruditi, accipiamus cætera ab Armeniis, qui eandem Nune suo idiomate vocant. Fuit hæc, inquiunt illi, Romana virgo, Deo sacra, quæ unà cum sancta Ripsime aliisq; virginibus sociis (de quibus supra locuti sumus) Româ, fugiens Diocletianam persecutionem in Armenas appulerat regiones. Ibi à Rege Tiridate reliquis virginibus comprehensis, atq; martyrio traditis; Nune adjuncta sibi socia virgine altera, Mane nomine, clam è manibus Regis sese præripuit, & ad Iberos, Armeniis conterminos, inde confugit. Hic facta ultro captiva, atque in captivitate jejunio admirabili, orationi, studio pudicitiæ, aliisq; dedita virtutibus, Iberorum gentem, iis editis miraculis, quæ suprà citati referunt authores, ad Christianam fidem convertit. Quibus præclarissimè gestis; auditoque novo tum Imperatoris Romanorum Constantini, tum Tiridatis Armeniorum Regis, ac totius ejus populi ad eandem fidem accessu, missa est ab Iberis, submonente captiva, ad utrumq; Regem legatio, qua & confœderationem cum eis, & Episcopum unà cum sancto Clero sibi dari poposcerunt Hinc ergo factum est, ut ad instruendam & confirmandam Ecclesiam Iberorum, non modo Constantinus virum miserit [ut loquitur

In Actibus S. Christianæ Ancillæ, apud Armen. in codice dicto Barmuthiun.

Theodo-

Theodoretus] fide, intelligentiá & moribus ornatissimum, cum dignitate pontificali, verùm etiam ex Armenia, (ut ipsi testantur Armenii) Episcopus Gregorius, annuente sibi Rege Tiridate, Sacerdotes quosdam Armenos destinarit. *Theod. histor. l. 1. c. 23.*

Præfulsit itaque in Oriente eximia Regis Tiridatis pietas, & Religio Christiana operâ D. Gregorii, iisdem omnino temporibus, quibus in occidente industriâ sancti Sylvestri piissimus Imperator Constantinus pari quidem studio ad eandem propagandam religionem & idololatriam destruendam incumbebat. Quod ibidem prosequitur Metaphrastes his verbis: Erant autem Constantinus & Tiridates tanquam lucidæ stellæ, alter quidem Occidentem, Constantinus scilicet, alter autem Orientem lustrantes, honestèq; & suaviter respondentes, evasit, atq; Tiridates jam in pietate ferventissimus, & nulli jejuniis cedens, & oratione, ne Monachis quidem, qui se his exercent in Monasteriis. In hac ergo sacra synodo, nempe Nicæna, et alter alterum juverunt Reges; & cum alio honore se invicem affecerunt, tum etiam per litteras collætati sunt sententiæ cummunione in vera pietate. *Metaphrastes loc. cit. cap. 39.*

Refert Nicephorus, quòd sanctus Gregorius unà cum Tiridate eundem Imperatorem Constantinum Magnum adierit; nec explicat locum, ubi tantorum heroum occursus evenerit. Sunt, inquit, qui Gregorium unà cum Tiridate ad Imperatorem Magnum *Niceph. lib. 8. c. 35. in fine.*

Constantinum venisse tradunt; eumq; tam miranda, & inopinata audientem, magnopere lætatum esse, & Gregorium ipsum totius ejus Regionis Episcopum ordinatum, eo misisse. Ex his quidem verbis colligi aliqua ex parte videtur, talem congressum contigisse, sub primis annis conversionis mirabilissimæ Tiridatis & fidei propagationis in Armenia, per S. Gregorium: quippe ea miranda, & inopinata ubi primum ab ipsis acceperat Constantinus, magnoperè gavisus erat, utpote de re nova, Gregoriumque recens Episcopum ordinatum in ejus denuò regionem remiserat. Occurrerant autem illa, juxta Baronium, anno Domini 311. quando Constantinus adhuc Romæ usq; ad annum 324. sedem obtinebat. Quare venerandus Pater Gravina Dominicanus in italico libello sermone composito, cujus inscriptio est, Brevis Relatio de statu Religionis S. Dominici in provincia Armeniæ, congressum illum Romæ accidisse narrat verbis hisce: Cùm Tiridates, hunc videndi invictissimum Cæsarem, cupiditate flagraret, ac de cœlestibus beneficiis invicem gratulandi, nec non urbis sacra loca visendi: congregans Principes suos, aliosque Magnates Orientis, unà cum Gregorio, ejusq; filio Arostane, Romam advenit. Ubi postquam à S. Sylvestro, & Magno Constantino suscepti fuere honoribus amplissimis, insolita quidem jucunditate simul omnes cumulati sunt. Hi namq; de Constantini mutatione lætabuntur; Illi verò

Baron. Tom. 3. an. 311

Grav. in Relatione &c part. 1. cap. 8.

rò de Tiridatis conversione tum gratias, favoresque divinos inter se mutuò communicantes, summam Dei Majestatem collaudabant, quæ tot diversa Nationum genera in unum ovile, & sub uuicum pastorem, Christi Vicarium in terris coëgisset.

Hæc tradit Gravina, quamvis inferiùs probabilem quoque asserat opinionem Baronii, qui de festivo eorundem congressu differens, & aliquantulum dubius de loco, sic tandem conjectans, ait: Sed hæc puto accidisse, cum Constantinus abiit in Orientem, quando ad eum è remotissimis orbis partibus, ut tradit Eusebius, legationes venerunt. Ex adventu scilicet plurimorum legatorum ab extremis mundi partibus ad Constantinum, dum hic erat in Oriente, accessum etiam conjicit eorum, qui profectò non legati fuissent, sed potiùs legantes. Verùm enimverò mihi solùm videtur, (nolo namq; in hanc ferendam sententiam me inferre) hac de re, adeo nobis dubia, standum esse Armeniorum historiis, & traditione. Porrò autem ea pro certo & explorato ubique divulgat Armena traditio, Regem Tiridatem unà cum S. Gregorio Romam usq; processisse ad Imperatorem Constantinum, & P. Sylvestrum Papam visendum, & cum ipsis perpetua unionis fœdera ferienda; ut qui hoc apud Armenos negaret, penè hæreticus haberetur. Et hoc ipsum mihi sanè magis confirmatur ex iis, quæ legi in antiquissimo & immenso volumine Armeno Manuscripto,

Baron. ibidem.

Eusebi' lib.4. in vit. Constantini.

Giarentir Armenum narratione 140.

Romæ in Ecclesia S. Mariæ Ægyptiacæ, Armeniorum Xenodochio, reservato, cujus titulus est, Giarentir, hoc est, liber narrationum: ubi postquam Constantini magnalia, in fidei Christianæ propagationem ab ipso Romæ perpetrata, narrantur; hæc præterea sequuntur; Horum autem omnium fama in Armenas pervasit regiones, immo ad Regalem usq; Arsacidarum aulam, atque ad ipsum Armeniorum Regem Tiridatem pervenit; qui res ubi tales auditione accepit, vehementer lætatus, maximas primùm omnipotenti Deo, quòd sanctissimum nomen suum per omnes mundi plagas reddidisset gloriosum, & obtulit laudes, & gratias retulit. Tum certò intra se Romam proficiscendi capto consilio, deliberavit, itineris sibi comites adjungere Magnum Archiepiscopum Gregorium, ejus filium Aristarcem, Alpianum Episcopum, aliosq; quatuor sui Templi Archipresbyteros, primates nuncupatos; quorum primus pro Sciracheusi Provinciæ præsidebat, secundus pro Syriaca, tertius pro Albanensi, & quartus Maschuttensi. Prætereà suæ quoq; viæ socios adhibere voluit Principem Anchieghdam, Principem Mochorum, Principem Resciduniorum, Principem Siuniensium, Principem Domus Maghstenensis, nec non Sciahabum Sciahabivanensem, & Præfectum Prætorium, eumq; qui Regiæ Majestati imponendæ, deponendæve coronæ gratia assistebat, atque electos alios proceres, & gentem penè dixerim innumeram. Cum his ergo Rex Tirida-

Arsacidæ cognominati sunt Reges Armen. qui ab Arsace Parthorum Rege fuerunt oriundi.

Tiridates Rex Armen. una cũ S. Gregorio & suis Principibus Romam proficiscitur.

Tiridates ex hac perillustri Provincia, & urbe Vagartciabat Romam versus discessit: cumque feliciter Græcorum fines, aliasq; plures pertransiret regiones, multum per singulas sibi præstitum civitates honorem & obsequium, occupatus fuit: quippe diversi Principes, obviam illi venientes, terrâ, mariq; eum comitabantur: quousque tandem unà omnes in Italiam pervenientes, Latinorum oras, ipsamq; Regiam Romanorum urbem ingressi sunt. Quorum quidem adventum ubi primum audivere piissimus Imperator Constantinus, & Pontifex maximus, januæ totius mundi Archiepiscopus, cui nomen erat Sylvester, obviam cito progressi, magnum illis honorem impertiverunt, ac postquam eos in eadem universali urbe dies aliquot quiescere, & ab itinerum incommodis recreari permiserunt, piissimus Imperator Constantinus, Regis Tiridatis factum dein iratus, sic ipsum interrogavit,: Quænam fuere quæso, aut qualia planè quæcunq; apud te miracula facta sunt? Cui ille omnia à Deo collata beneficia ex ordine enarravit: nec cœlitus inmissum flagellum, porcinæ ab ipsomet acceptæ figuræ proferre palam erubuit; nec strenuam sanctarum Martyrum tacuit patientiam, neque beatæ Ripsimis, quam ex immani ipsius violentia, & feritate victoriam illa reportaverat: sed omnia, quæcunque acciderant, retulit ad amussim. Sacrosanctum præcipuè constituens coram Imperatore, Gregorium, isthic, ait, vir ille est,

Occurrunt sibi Constantinus & Tiridates, S. Sylvester & S. Gregorius.

per quem divina nobis clementia innotuit; & postea distinctè narrare cœpit, quanta ille patientia cruciatus, ac diutinam quindecim annorum macerationem in puteo sustinuerat, & omnia, quæ per eum ediderat Deus, miracula. Quamobrem magna obstupefactus admiratione Constantinus, flexis ante Gregorium genibus benedictionem humiliter ab ipso expetebat, illumq; exinde pro ea, qua tantus Christi Martyr, commendabatur, dignitate, & merito, honorificè liberalissimèq; tractavit. Similia quoq; erga Regem Tiridatem, non secus ac in fratrem suum charissimum, illa maximè de causa, quòd veri Dei cognitionem acceperat, benevolentiæ, & amoris indicia, declaravit. Fœdus etiam inter se mutuum, Jesu Christi fide media, firmavere, invicem promittentes, unionem illam, inter utramque initam Nationem, perpetuò stabilem à se ipsis fore in posterum conservandam, &c] Hucusq; volumen Armenum.

Constantin' Imperator benedictionem petit à S. Gregorio.

Proferunt etiam Armenii ex historiis suis vetustissimum quoddam Diploma, in quo memoria extat fœderis hujusce, Romæ icti à Constantino, & Tiridate, Sylvestro & Gregorio, de concordia inter Romanos, & Armenos renovanda. Nam paulò ante Romanorum Imperator Maximinus, bello adversus Armenios in Oriente commisso, pristinam, qua olim juncti fuerant, amicitiam dissolverat; ut notavit Eusebius, dicens: Bellum à Maximino contra Armenios concitatur, viros jam usq; ab antiquis seculis cum Romanis amicitia, & societate

Histor. Arm. in Epist. Unionis qua dicitur Tughtu tascians

Eusebi' hist. l. 9. cap. 6.

societate conjunctos, quos quidem, quoniam Christiani erant, & veram in Dei pietatem magno studio & diligentia colebant, iste Deo infestus Tyrannus ad hostias Idolis, & Dæmoniis immolandas cogere conatus, inimicos pro amicis, & hostes pro sociis effecit. Ejus autem Diplomatis pater Gravina in libro supra citato, mentionem faciens, ait: Omnes scriptores concordissimè narrant, inter Constantinum, Sylvestrum & Tiridatem, magnum amicitiæ, & familiaritatis usum intercessisse. Quod insuper perspici potest, ex veteri quodam Arm. exemplari, cujus inscriptio est: Epistola amoris, & concordiæ inter magnum Cæsarem Constantinum, sanctum Pontificem Sylvestrum, Armeniorum Regem Tiridatem, & sanctum Gregorium Illuminatorem; quod Romæ, ad petitionem Reverendissimi Domini Leonhardi Abel, Sidoniæ urbis Episcopi translatum fuit anno salutis 1595. die 29. May. Cujusmodi autem illud Exemplare fuerit, Gravina non refert, quia fortassis ejus offendere translationem nequivit. At quoniam prolixum admodum est, ejus duntaxat initium, & partes aliquas, quæ ad rem nostram facere magis videntur, & in quibus nimium elucet contra ipsos Armenæ Nationis Hæreticos Pontificis Romani primatus, ita prorsus non hic, sicut ex historiis Armenis extraximus, altera emissa denuò translatione, mox exponamus.

Gravin. in lib. citat. p. 1. cap. 8.

Autho-

Concordiæ fœdus Romæ initum inter Latinos & Armenios.

Authographum Amoris, & concordiæ fœdus inter magnum Imperatorem Constantinum, Sanctumq; Sylvestrum Papam, & Tiridatem Regem Armeniæ, Divumq; Gregorium, Armeniorum Illuminatorem.

VOluntate, atq; Potentiâ consubstantialis SS. Trinitatis, Patris incomprehensibilis, & unigeniti filii ejus, Domini, ac Redemptoris nostri Jesu Christi, & Vivificatoris, ac Liberatoris Spiritus Sancti, nostrum hoc Cæsareum in Deo firmum atq; immutabile Testamentum litterarum monumentis relictum est potenti, ac independenti mandato nostro semper Victoris, & gloria Augusti, Constantini Magni, Regis Regum, atque Romanorum Oecumenici, quocunque terrarum Orbis extenti, & insuperabilis Principatus Imperatoris, qui potentiâ veri Dei, & gloriosæ Crucis Christi virtute, à finibus vasti Oceani usque ad Solis Ortum Victores, universo dominamur in Orbe: necnon jussu nostro Maximi Romanorum Pontificis Sylvestri, Petri & Pauli Principum Apostolorum Successoris; qui clavibus Regni Cœlorum super omnes Christianorum Nationes, ab Occasu ad Ortum ligandi, atq; solvendi in Cœlo, & in terra potestatem habemus, universæq; Christi Ecclesiæ præsidemus. His igitur tabulis testatum apud omnes relinquimus, quòd à Spiritu Sancto vocati, magnus Arme-

Pontifex Romanus præsidere dicitur universæ Ecclesiæ Christianæ.

niorum

niorum Rex Johannes, qui & Tiridates, atque vivus Christi Martyr, ac strenuus Confessor Dominus Gregorius, Orientalium & Septentrionalium Illuminator, nostri in Christo fratres dilectissimi, præcipuique sublimis hujus nostri Principatus Amici, & fidelissimi Duces consiliorum nostrorum participes ad nos huc pervenerunt, visendi studio urbem hanc Occidentis, & Orientis Dominatricem, sanctorumq; Principum Apostolorum Hæredem, illorum præterea successorem, venerabilem Papam, atq; gloriosum Christianæ recens fidei dicatum Imperatorem, magnamq; potentissimam Imperatricem Helenam. Qua de causa toto hoc nostro in Deo confirmato Imperio exultante, summaq; perfuso lætitia, obviam tantis viris nobilissimo processimus comitatu: atq; ultrò citroq; consalutati, & debito nos ipsos honore invicem prosequuti, adorationem obtulimus nostro immortali Regi Jesu Christo, mox verò Ecclesiam sanctorum Apostolorum ingressi, sacras ipsorum reliquias venerati sumus, Christum Sanctorum suorum glorificatorem benedicentes. Tum post alia perplura, sequuntur: Voluntate autem divina, mediantibus Dei Genetrice, sanctis Apostolis & omnibus Sanctis, Nos strenuissimi Latini, & insuperabiles Turcomanni, videlicet uterque Rex, uterq; Pontifex, & utraq; Romanorum, & Armeniorum Natio, in fraternam unionem, concordiamq; unanimiter conju-

S. Gregorius, & Tiridates Romam adeunt ad Papam visendum

conjuravimus: hoc amicitiæ votum, ac fœdus inter nos sempiternum coram glorioso crucis Christi vexillo firmavimus, atq; in fidem ejusdem fœderis nostri firmi, & indelebilis, hanc utriusq; Occidentalis, & Orientalis Nationis fraternitatem tremendo, ac pretiosissimo Jesu Christi sanguine conscripsimus; quatenus fidem, amorem & concordiam ita nobis ipsis invicem debeamus, quemadmodum & illi, qui frater noster effectus est, Christo Deo; alterutros defendentes usq; ad mortem, & super alterutros libentissimè morientes; alterutrorum amicorum existentes amici, & inimicorum inimici: nullique ex duabus hisce nationibus audeant ensem adversus alterutrum stringere: quippe hoc violabunt, gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur. Hoc autem fœdus inter has duas initum nationes, firmum usq; ad seculi consummationem permaneat. Quicunque verò ab illo se subtraxerit, à Christiana sit sancta fide discissus, Cainique, Judæ, & Christicidarum Sacerdotum maledictionem incurrat; dicant Angeli, & homines, fiat, fiat.

Unio stabilita fides indelebilitur Religione.

Execratio sub jicitur, quicunque istius concordiæ fœdus violaverit.

Deinde hæc iterùm habet: Nos autem Sylvester, supremus Romæ, & totius mundi Pontifex, postquam vidimus, quòd ornatissimus filius noster Constantinus Imperator coronatum Armeniæ Regem Tiridatem, totamq; Armeniorum gentem, & regionem pro viribus suis magnificavit, summisq; affectavit honoribus; & ipsi pariter animo libentis-

Papa totius mundi Pontifex vocatur.

bentis-

bentissimo inclinavimus ad honorem strenui Confessoris Jesu Christi, & Coëpiscopi nostri Gregorii amplificandum. Et post alia subdit: Unde ipsum in nomine sanctissimæ Trinitatis benediximus, imponentes capiti ejus venerando dexteram Divi Petri Apostoli, & sacrum linteum Jesu Christi, atque constituimus eum unaq; cum illo suos etiam successores, summum Armeniorum omnium Patriarcham. Volumus ut in posterum Pontifex Armeniæ ordinet Patriarcham Gregorianorum; et potestatem habeat alias instituendi Episcopos super illos Armenios, qui inter alias Christianorum nationes ubiq; dispersi reperiuntur: Tum quod Albanensium Regio sub peculiaris Patriarchæ obedientiam redigatur, qui ex Albanensi Rege promotus, ab eodem Armeniorum Pontifice consecretur. Præterea quando tres Patriarchæ, nimirùm Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus novum Patriarcham initiabunt, id fiat voluntate, & concursu Pontificis Armeniæ; fideiq; professionem, quam noviter electus Patriarcha nobis significare deberet, Pontifici Armeniorum significet; illum etenim in Asiæ media regione illa nostrum vicarium instituimus. Post alia tandem his concludit idem S. Sylvester: Quamobrem ex hoc sublimi nostro mandato potestas Pontifici Armeniorum tribuitur ligandi atque solvendi in cœlo, & in terra, quemcunque juxta canones Apostolicos ipse voluerit. Ab eodem igitur Arme-

Sylvest. Papa benedicit Gregorium Episcopū, quem et Armeniæ consecrat Patriarchā.

Facultates Patriarchis Armeniæ à Sylvest. Papa concessa

Idem Papa vicem suam delegat Armeno Patriarchæ.

niorum

niorum Pontifice benedicti, sint etiam à Christo Domino, à sanctis Apostolis, cœterisque Sanctis, & à nobis ipsis benedicti: atque ab illo excommunicati, in eadem retineantur excommunicatione, quousq; ad pœnitentiam convertantur.} Hactenus Armenum diploma.

Armeni Patriarchæ adhuc post schisma utuntur facultatibus, à Papa sibi concessis.

Virtute cujus sæpè contra Græcos acriter contenderunt Armenii quod Ecclesiæ suæ Cathedra, & si ab Apostolis non immediatè fundata, omni tamen jure existimanda fuerit Patriarchalis, eo, quòd S. Gregorius primus Fundator illius, qui à Leontio ordinatus fuerat Episcopus, à D. postea Papa Sylvestro consecratus sit Patriarcha, atque privilegiis amplissimis locupletatus. Quibus sane privilegiis uti non omiserunt Armenii adhuc post schisma: nam summus eorum Patriarcha plures sub se Armenos Episcopos, in aliis passim Regionibus frequenter instituit. Tum ad hæc usq; tempora Albanensium Patriarcham initiare solitus est, ac olim Patriarcham Giorgianorum, quo tempore hi cùm Armenii uniti fuerant, etiam ordinabat.

Epistola Gregor. Papæ I. lib. 4. Epist. 8.

T. 1. Ep. decr. 77

Nec prætereà mirum videatur, (supposita totius Armeni diplomatis veritate) quòd S. Sylvester vicariam sedis Apostolicæ præfecturam in Asiatica Regione Armeno Patriarchæ committere voluerit; dum Gregorius, Papa I. Johannem Episcopum, suumque vicarium constituit in Illirico; & Hormisda Papa Epiphanio Episcopo Constantinopo-

tinopolitano vicem suam delegavit; similiter & alii Romani Pontifices suum vicarium in oriente habere consueverunt. (Quis ergo Armeniorum negare unquam poterit Pontificis Romani Primatum, ac supremam ejus Authoritatem in universam Ecclesiam? utpote quæ sibimetipsis vel in suis codicibus adeò manifestè innotescit, & à qua proprii ipsorum Patriarchæ authoritatem emanasse sponte sua fatentur.)

Tandem strenuissimus Martyr, & Servus Dei Gregorius, postquam tot persecutionibus, & cruciatibus, pro fide Christi constantissimè toleratis Armenios universos,& Albanenses prædicatione,& prodigiis ab Idololatria ad veram amplexandã Religionẽ adduxerat; quibus & Episcopos dederat, & Sacerdotes, & Monachos: postquam, apertis ubique sacrarum litterarum gymnasiis, multisque extructis Ecclesiis, ac Monasteriis, Persis, Assyriis, Hunnis, & Medis ad Christianam fidem aditum patefecerat: postquam denique Armenam, ab ipsomet institutam, Ecclesiam annos 30 sanctissimè gubernaverat: ut spiritum suum silentio, & cœlestis contemplationis dulcedine opportuniùs in solitudine recrearet, in secretiores Armeniæ Montes secessit; ubi arctioris vitæ instituto, assiduo jejunio, senioque confectus, obdormuit in Domino supra montem Siepuh.

S. Gregorius. Episcop. Arm. migrat è vita in eremo.

Ejus obitus in Armeniorum Fratrum Ord. Prædicatorum Breviario his describitur verbis: Beatus illuminator noster Gregorius, ab

S. Gregorii cadaver

casu inventur & sepelitur a Pastoribus. humanis oculis occultatus, asperam Eremitarum vitam per multos jam duxerat annos in recessu cujusdam montis Daghaniensis Provinciæ, cujus transitus ad Christum sciri à nemine potuit: nisi quòd Pastores nonnulli post aliquod tempus casu corpus ejus invenientes, ibidem sepelierunt. Verùm tempore Zenonis Imperatoris apparuit Sanctus in somnis cuidam Eremitæ, eumque monuit, ut inde corpus ipsius abducens, in propinqua civitate Tuordan sepeliret; quemadmodùm & ille continuò fecit. Sed posteà cum Græcorum rescivisset hoc Imperator, jussit illud transferri ex eo loco Constantinopolim, quadam solummodò parte ibidem relicta.

Hæc in Armeno Breviario. In hac verò sacrarum Reliquiarum apud Armenios relicta parte puto utrumque fuisse lacertum, qui nunc auro, gemmisque pretiosis ornatus, pluris est apud eos, quàm omnes omnium divitiarum thesauri; & alter in Majoris Armeniæ civitate Vagarsciabat, in Ecclesia Patriarchali, olim sede ejusdem Gregorii; alter verò Siside in Cicilia, in templo item Patriarchali sanctæ Sophiæ, magna colitur Armeniorum frequentia, & devotione.

Ejusdem sacræ reliquiæ primò Constantinopo- Sed ex Reliquiis, primò delatis Constantinopolim, indeque posteà in Italiam, Brachium, in Ecclesia Cathedrali Neritonensi depositum multis claret miraculis, præsertim in impetrandis à Domino pluviis civibus, qui propterea eundem Martyrem sibi Patronum elegerunt: Caput verò sacrosanctum cum ca-

tenis

tenis, & fragmentis virgarum, quibus vir Dei pro Christo ligatus, & cæsus fuerat, religiosissimè asservatur Neapoli in illustri quodam Cœnobio Monialium S. Benedicti, in quo templum est antiquitate conspicuum, sacro ejusdem beatissimi Patriarchæ nomini consecratum, vulgo dictum, sancto Lighuor, nomen corruptum ex Armeno vocabulo, Ccrichuor, quod interpretatur Gregorius. Huc solent interdum ad sui Patriarchæ Caput venerandum, ex magna usque Armenia accurrere Peregrini; quos & benignè suscipere, & votis eorum plenè satisfacere, nunquam omittunt magnanimæ, ac piissimæ Moniales illæ: quarum profectò sicuti præclara generis, animique nobilitas satis in ea est celebris civitate; ita & per universam pariter Armeniam maximoperè celebratur ipsarum accurata in pretiosis illis reliquiis excolendis, honorificeque tractandis, diligentia, pietas, religio; immò & humanitas quoque in dictos Peregrinos Armenos.

lin, dein de in Italiam transferuntur.

Caput S. Gregorii asservatur Neapoli in Cœnobio Monialium S. Benedicti, quarum pietas per universam Armeniam celebratur.

Meminit hujus Divi Gregorii Magnæ Armeniæ Episcopi, præter alia, Martyrologium Romanum die 30. Septembris: quo etiam die celebratur festum illius à prædictis sanctimonialibus, & ab Ecclesia Neritonensi solemniter duplex primæ classis cum Octava, & Officio proprio; sed à Clero Neapolitano, die prima Octobris ad libitum duplex minus: Ab Armenis autem singulis annis illius ter agitur commemoratio; primùm ejus Martyrii, & injectionis in puteum, ubi quatuordecim delituerat annos: Secundò egressionis è puteo,

cujus occasione & ipse è profundis Idololatriæ tenebris egressi, ad fidei lumen pervenerant; Tertio denique inventionis Corporis ejus quam illi solemniùs, & præmisso quinque dierum jejunio, celebrare solent.

Calumnia Hæreticorum Arm. in Ecclesiam lat. Hæc ultima præcipuè dixerim, ut cunctis notum fiat Armenis, falsam omnino esse suorum Hæreticorum calumniam; qui ut eos ab obedientia Apostolicæ sedis avertant, non cessant in vulgus jactare, nos Latinos sacrosanctum ipsorum Patriarcham Gregorium non recipere. Quamobrem opus habui sæpissimè, plerosque ex incauta plebe, qui mecum hac de re graviter querebantur, de calumniæ falsitate reddere certiores. Sed prosequamur seriem Patriarcharum.

Ex Armena Historia
CAPUT III.

II. Aristarces succedit Gregorio in Patriarchatu Arm. Dominus Aristarces, filius ejusdem sancti Gregorii, sedit annos septem. Hic á nefario quodam Principe, quem divino zelo redarguerat, interfectus est.

ANNOTATIO.

** Nomē hujus corruptum in latinis* Aristarcem, * sub nomine Arostanis, fuisse Divi Gregorii filium, eique in Armena Cathedra immediatè successisse, legimus etiam in vita ejusdem S Gregorii apud Surium, ubi hæc insuper de illo habentur: Arostanes

autem

autem vitam ſolitariam, & cui cum nullo intercedit congreſſio, ab ipſo lacte, & adhuc planè infans elegit. Nam & unica inductus tunica dicebatur verſari in ſolitudine, cum algore, & calore decertans, & ſolis veſci oleribus: nocturnas autem ſtationes, & vigilias, & diurnas precationes, & cum divinis ſcripturis familiaritatem ab ineunte ætate ei coaluiſſe.

libris reperitur Aroſtanes vel Ariſta Sur. tom 5. die 30. Sept. n. 38.

Eundem Baronius magnum appellat, & Nicæno Concilio interfuiſſe tradit, & gloriantur quidem Armenii. Porro ſi Gregorius obiit, ut omnes Hiſtorici Armeni fatentur, multò poſt Nicænum Concilium: qui potuit ejus Succeſſor Aroſtanes ad Synodum illam accedere? Hac fortaſse difficultate victus Nicephorus, aſſerit, Gregorium ipſum, & non ejus filium Aroſtanem; ſacro illi Cœtui præſto fuiſſe. Sed falſum omnino eſt, & jure ægrè fertur à Baronio; qui tamen eam affert rationem, quæ quidem Armeniis arridere nequaquam poteſt; inquit enim: Manifeſti erroris arguitur Nicephorus, cum ait, interfuiſſe Nicænæ Synodo hujus, hoc eſt, Aroſtanis, Prædeceſſorem Gregorium, quem longè ante conſtat eſſe defunctum Nam ſi idem Gregorius in Armeno vixit Patriarchatu annos 30. ut legimus in omnibus Armenis ſcripturis; ſed eſto, ſolùm 20. vel etiam 15. ſaltem annos in eo vixerit; ſique, ut ipſe refert Baronius, initiatus fuit Epiſcopus Armeniæ anno Domini 311 certè defunctus eſſe non poterat ante Nicænum quod anno Salutis 325. celebratum eſt.

Baron to 3. an 325.

Niceph. lib 8. c. 14.

Baron. in Annot. Martyrol. die 30. Sept. & in Anal. an 325.

Cefsat verò omnis difficultatis occaſio, ſi Armenæ traditionis ratio habeatur. Ajunt enim, S. Gregorium, divinæ contemplationis & ſilentii amore illectum, ad altiſſimos Armeniæ montes ſeceſſiſse; utq; ibi optata potiretur ſolitudine, Aroſtanem Epiſcopum conſecraſse, & in ſede Patriarchatus Coadjutorem adhibuiſse, quem poſteà ad Nicænam Synodum opportuno miſiſse tempore. Id quod & Metaphraſtes hiſce verbis inſinuat: Rex Tiridates ſacroſanctum per nuncios obſecrat Gregorium, ſimul cum populo, ut ſui veluti quandam imaginem, & exemplar archetypum, Aroſtanem eis relinqueret, & eum in ſedem proveheret, & ei Pontificalem traderet rectionem. Ille autem non leviter, & temerè hoc facit, ſed quoniam ſciebat, omnem virtutem plantatam in anima illius, citò ſacras illi manus imponit: cumq; eum conſecraſſet, & univerſam circumcirca Regionem cum eo obiviſſet; in eam, quam jam olim parturierat, revertitur ſolitudinem. Et inferiùs addit: Acceſſit etiam ad Nicænum nempe Concilium, Armeniæ Epiſcopus Aroſtanes, cum Imperator Conſtantinus eum accerſiſſet; qui ipſe quoque fuit pars ſacri Cœtus; & cum, quæ communi ſententia fuerant ſcripta, dogmata accepiſſet, reverſus eſt in ſuam civitatem, jucundiſſimè & lubentiſſimè viſus à ſuis poſt peregrinationem; Religioſumq; Regem Tiridatem, & omnem Armeniæ Regionem gaudio implevit propter dogmatum conſenſionem.

Metaphraſtes apud Surium loco cit. 38.

ib. c. 39.

Ariſtarces Ar. Patriarcha interfuit Niceno concilio

Quibus

Quibus in verbis diligenter advertendum eſt, quòd, etſi referat Metaphraſtes, Aroſtanem, qui ad Nicænam jam venerat ſynodum, ab Imperatore accerſitum, veniſſe; (quod anſam fortè præbuit aliquibus inferendi, vivum tunc non fuiſſe Gregorium; alioquin ipſe, & non ejus fuiſſet filius accerſitus) id tamen non eſt intelligendum perſonaliter ac nominatim, ſed illo loquendi modo uſus eſt Metaphraſtes, eò, quod ex accerſitu Conſtantini, quo Armeniæ Patriarcham ad Synodum advocabat, Aroſtanes, qui tunc vicem illius gerebat, de facto acceſſerit. Quod autem nominatim non Aroſtanes quidem, ſed Gregorius ipſe fuerit à Conſtantino vocatus, traditur communiter ab Armenis Scriptoribus, & præcipuè ab eorum Patriarcha Ghelaienſi, cujus verba ſunt hæc: *Ad Nicænum Concilium Gregorius vocatus fuit, ad quod tamen ipſe ne ampliùs afficeretur honoribus, accedere recuſavit; miſit autem loco ſui filium ſuum Ariſtarcem.*

Nierſes Ghelaienſ. Ar. Patriarcha in hiſtorico carmine de Regibus Arm.

Cœterùm quod attinet ad obitum Aroſtanis, aliàs Ariſtarcis, à nefario quodam Principe, quem divino ille zelo redarguerat, interfecti, ut ſuprà in Armena hiſtoria dictum eſt; ſic eum memorat Pater Gravina: *De inde Aroſtanes, S. Gregorii filius, glorioſo etiam fine curſum peregrinationis hujus vitæ confecit: Nam ut narrat Sozomenus, ſub Juliano Apoſtata multa paſſus pro Chriſto, & à Sapore Rege Perſarum, per inſidias captus, inclyta morte interiit.* Sed non video, quomodo

Grav. in lib. ſuprà cit. part. 1. cap. 8.

modo hæc verè dici possint de Arostane, Armeniæ Episcopo, (de quo fatur ibi Gravina) cujus obitus annos circiter triginta Imperium Juliani præcessit: nec Sozomenum invenio, nisi talia solùm de Arsatio, ArmeniæRege locutum esse. Quare indubitanter puto, R. Patrem Gravinam (pace dixerim tanti Doctoris) per æquivocationem nòminis ea de Episcopo Arostane, seu Aristarce dixisse, quæ dicenda erant de Arsace, seu Arsatio, Arm. majoris Rege, qui vixit tempore Juliani: præsertim cum ipse de obitu Arostanis eadem usurpaverit, verba, quæ Baronius in história Tiridatis & Gregorii protulit de obitu ejusdem Arsacis, inquiens: Sic igitur Ecclesia in majori Armenia, facto jam Rege Christiano, magnoperè est illustrata, propagataque Religio Christiana ad ejusdem scilicet Regis, Successorem Arsacem, qui à Juliano Apostata Christianitatis causa, (quod narrat Sozomenus) dirè exagitatus, demum à Sapore Rege Persarum, per insidias captus, multa passus interiit. Sed de hoc Arsace Rege infrà dicturi sumus. Præsenti verò tempore Constantini, Rex erat minoris Armeniæ alter Arsaces, qui tributum eidem Constantino Imperatori pendebat, à quo tamen eum absolvit, sic rescribens ad Probianum: Præter privatas res nostras, & Ecclesias Catholicas, & domum clarissimæ memoriæ, Fusebii ex Consule, & ex Magistro Equitum, & Peditum, & Arsacis Regis Armeniorum, nemo ex nostra jussione præcipuis emolumentis familiaris juvetur substantiæ.

Sozom. l. 6. c. 1.

Baron. tom. 3. an. 311

Sozom. lib. cit. et etiam Ammianus libro 27. & 30.

L. 1. de annon. & tributis Cod. Theodos.

Ex

Ex Armena Historia
CAPUT IV.

DOminus Verthanes annos quindecim. III.

ANNOTATIO.

VErthanes fuit alter Divi Gregorii filius, natu major, cujus meminit etiam Metaphrastes, dicens: Duo filii ex Gregorio, & legitima conjuge in flore illius juventutis nati fuere; quorum uni quidem nomen erat Verthanes, secundo autem Arostanes, ambo amici & custodes pietatis. Is ergo ducta uxore atque duobus ex ea liberis procreatis videlicet Hesychio & Gregorio, de quibus infrà, Presbyter ordinatus fuit, viventibus ejus Patre Gregorio & fratre Arostane: post quorum mortem Patriarchatum obtinuit, atque in eo regendo maximum prudentiæ, sanctitatis, & innocentiæ specimen dedit. Hoc tempore defuncto Rege Tiridate, præficitur Armeno Regno filius ejus Chosroës II. improbus sanè Rex, qui, relicto Regni, ac suæ iniquitatis hærede Dirano filio, citò vitam finivit.

Metaphr. apud Sur. loc. cit. cap. 38.

Chosroës II. Rex Armeniæ.

Ex Armena Historia
CAPUT V.

DOminus Hesychius, & Dominus Gregorius, nepotes S. Gregorii, annos 6. Hesychius cum Idolorum simula- IV.

Diranus Rex Arm. mulacra in Ecclesia permittere noluisset, fuit à Dirano Rege in exilium pulsus, ac demum jussu ejusdem interemptus. Beatus verò Gregorius missus Patriarcha in Albanensem provinciam, ibi martyrio pariter coronatus est.

ANNOTATIO.

Albanenses populi sunt in ea parte majoris Armeniæ, quæ ad Caspium vergit. His Bartholomæus Apostolus, teste Baronio, antea prædicaverat; ad quos jam Dominus Gregorius, peculiaris Patriarcha, ex Armenia primò destinatur: (id quod Armeniis traditur præcepisse S. Sylvester Papa, cujus verba in fœdere unionis suprà relato extant) qui quidem Patriarcha in Albania usque adhuc in Successoribus durat, ac etiam Armenus est.

Baron. annal. 44.

Hesychius Patriarcha jussu Dirani Regis occisus. Hesychius autem supremus totius Armeniæ Patriarcha constitutus, postquam sedit annos sex in cathedra S. Gregorii, cujus successio hic solùm describitur ab impio Rege Dirano, eò quòd Idola quædam confregisset, in exilio vitâ privatur. Ipse porro Diranus non multò post debita suæ impietati animadversione plexus est: nam cœcus effectus, impatienter, ac miserabiliter sibi mortem consciviit; eique

Arsaces Rex Arm. succeffit Arsaces ejus filius, de quo jam suprà fecimus mentionem.

Ex Armena Historia

CAPUT VI.

DOminus Parnierseh, non quidem V.
Bahlau, sed alius quidam ex oppido Ascdisciad Provinciæ Darunensis, annos 5.

Dominus Nierses, filius Athenogenis, & nepos Hesychii, nepotis S. Gregorii, annos 34. Hic Pabæ Regis iniquitati adversatus, ab eodem veneno interfectus, oppetiit. VI.

ANNOTATIO.

Nierses Magnus sanctissimus Patriarcha.

NIerses, primus hujus nominis Patriarcha è genere Divi Gregorii, cognomento Magnus, & reapse probitate, ac virtutum omnium præstantia Maximus in Armenia suo tempore fuit; perditissimos mores tum Arsacis Regis Armeniæ tum Pabæ, Arsacis filii & Successoris, ad vitæ usque profusionem acriter reprehendit. Quocirca cum idem Arsaces inter alia perpetrata facinora innoxium Chenielem quendam interfecisset, ac proinde graviter à Sacrosancto Patriarcha Nierse objurgaretur, eundem Antistitem in quandam insulam relegavit; in qua ipsas, ferunt, undas servo Dei pisces pro cibo mirabiliter obtulisse, atque ex arida tellure recenter erupisse aquam ad ejus sitim restinguendam. Sed de ipso Arsace justum Dei judicium debitum supplicium sumpsit; nam captus à

Idem ab Arsace projicitur in exilium

Sapore

Sapore Persarum Rege, & multa passus, miserrimam mortem obivit, & hæc dixerim ex Armenis historiis.

Arsaces Rex Armeniæ, Romanorum amicus fidelissimus. Ammianus, lib. 20.

Verùm enim verò, etsi de Arsace Rege suo improba, quantum ad mores attinet, referunt Armenii: illum tamen Latini Scriptores maximoperè laudant, tum quòd Christianæ Religionis gratia sub Iuliano Apostata, & Sapore Rege Persarum dirissima passus sit; tum etiam quòd Romanis semper fidelissimus fuerit, adeoque societate conjunctus, ut Constantius Imperator conjugem ei copulare voluerit Olympiada, sponsam fratris sui Constantis; quod Ammianus, sic loquutus, enarrat; Constantius in Cappadocia degens, accitum Arsacem Arm. regem summaq; liberalitate susceptum præmonebat, & hortabatur, ut nobis amicus esse perseveraret, & fidus; audiebat enim, sæpius eum tentatum à Rege Persarum fallaciis, & minis, & dolis, ut, Romanorum societate posthabita, suis rationibus jungeretur, qui crebro adjurans, animam priùs posse amittere, quam sententiam, muneratus cum comitibus, quos duxerat, rediit ad Regnum, nihil ausus temerare posteà promissorum, obligatus gratiarum multiplici nexu Constantio; inter quas illud potiùs excellebat, quòd Olympiada Ablabii filiam, præfecti quondam Prætorio, ei copulaverat conjugem, sponsam fratris sui Constantis.

Idem Rex Armeniæ fratriã Constantii Imperat. accipit conjugem.

At verò quantum honoris, & beneficii apud

pud Constantium Imperatorem assecutus Arsaces fuerat, tantundem posteà despectus & vexationis illatum ei fuit à Juliano Apostata, successore Constantii ; si Sozomeno credimus : Porrò, ait ille, Litteras ad Arsacem Regem Armeniæ , & Romanorum socium scripsit Iulianus, ut in hac expeditione subsidio sibi veniret ; quibus quidem in litteris de se extra modum gloriosè prædicare , se ut valde ad imperium gerendum idoneum insolenter extollere , & ut amicum illis quos ipse pro Diis habuit , arroganter efferre ipsi denique Arsaci verbis admodùm contumeliosis minitari , non veritus est ; & quoniam eum Christianum esse acceperat ; quò suam in eum augeret contumeliam , etiam nefandas in Christum blasphemias loqui , cum superba quadam jactatione contendit : cui etiam significavit , Deum , quem coleret , nequaquam eum defensurum , si imperata negligeret. Hæc Sozomenus.

Sozom. lib. 6. c. 1.

Idem Rex Arsaces Christianitatis causâ vexatur à Iuliano.

De miserando autem ejusdem Arsacis obitu , qui dolo pacis captus à Sapore, extrema pati coactus fuit , hæc alia prosequitur Ammianus : Rex verò Persidis longævus ille Sapor , & ab ipsis imperitandi exordiis dulcedini rapinarum addictus , post Imperatoris Juliani excessum, & pudendæ pacis icta fœdera , cum suis paulisper nobis visus amicus , calcata fide sub Joviano pactorum , injectabat

Ammianus lib. 27.

Ar-

Armeniæ manum, ut eam, velut placitorum abolita firmitate, ditioni jungeret suæ. Et primò per artes fallendo diversas, Nationem omnem remittentem dispendiis levibus afflictabat, sollicitans quosdam Optimatum, & Satrapas; alios excursibus occupans improvisis.

Sapor Rex Persarum captum Arsacem Regem Armeniæ dirissimè cruciat & perimit.

Deinde per exquisitas, perjuriisque mixtas illecebras captum Regem ipsum Arsacem, adhibitumque in convivium jussit ad latentem trahi posticam; eum effossis oculis, vinctum catenis argenteis (quod apud eos honoratis vanum suppliciorum æstimatur esse solatium) exterminavit ad Castellum Agabana nomine, ubi discruciatus cecidit ferro pœnali.

Giarentir Armenic. hoc est liber narrationum in narratione 46.

Sed quis non insuper admiretur firmissimam Armeniorum constantiam in cruciatibus strenuè toleratis pro Christo sub hoc Rege Persarum? haud enim Regem Arsacem solum, sed & innumerabiles ex Armenia Christianos pro fide Christi dirissimè excruciavit, & neci tradidit Sapor diversis temporibus. Legatur Armenicum Giarrentir, quod pluribus hoc testatur in locis, & præcipuè in Narratione 46. ubi sic habetur: Anno trigesimo secundo Regni Saporis, exiit adversus Christianos crudele ejusdem Persarum Regis Edictum; quo jam gladius districtus erat, ut quem libet, qui se Christianum diceret, obtruncaret; jam acuentes mucrones defatigati fuerant, delassataq; brachia Trucidantium; nec propterea veritatis unquam defecit confessio; neque uti in animum sibi Tyrannus induxerat, ita factum

ctum est. Pro certo planè existimabat, centum duntaxat homines occidendo, se finem ultro sanguinem effundendi facturum; veruntamen millia millibus jam mortem attulerat, & adhuc in principio erat. Quibus etiam verbis concordant illa, quæ Cassiodorus ex Sozomeno refert in historia tripartita dicens: Sequenti verò anno, die quo passionis Christi memoria celebrabatur, & expectabatur Resurrectionis festivitas, crudelissima Saporis præceptio per omnem Persarum cucurrit terram; morte condemnans eos, qui se profiterentur esse Christianos. Quo tempore fertur, ultra numerum multitudinem Christianorum gladio cecidisse. *Cassiod. in trip. lib. 3. c. 2.*

Succedit autem Arsaci Regi Paba filius ejus, Rex itidem flagitiosus, qui [ut ea hic memorem, quæ Armeniis historiis * prodita sunt] cum structo agmine, ad mortem Patris ulciscendam, manus consereret cum eodem Sapore Rege Persarum obviam illi veniente cum exercitu prope Nebath montem Armeniæ; dilectus Dei famulus, Nierses Patriarcha, eundem tum dicitur conscendisse montem, Deum pro Armeniorum victoriâ precaturus: ubi dum Moysis instar manus suas modo in altum elevaret, modò deorsum inflecteret, sic & varius erat eventus belli, modo scilicet pro Armenis, modo pro Persis. Porro deniq; cum idem Rex Paba pravior indies efficeretur, nec posset crebras sacri Præsulis Niersis objurgationes æquo animo ferre, ipsum Pastorem suum vita innocentissimum, veneno *Paba Rex Ar.* ** Niers. Ghebal. in carmine de Regibus Arm.* *Nierses Magn' Patriar oba in-*

veneno necavit, nequaquam horrens, nefando fœdari scelere parricidam. Cujus deinde necem molestè accipiens Imperator Theodosius, illum crudeliter ejusdem sacrilegi Regis internecione vindicavit: traditque Regnum Armenum Ardavasto, viro ex illustri quoque Arsacidarum genere strenuissimo; qui tamen, cum nec Theodosii voluntati responderet, adhuc interficitur; ac duo filii Pabæ, nimirum Arsaces, & Vagharsaces, alter quidem Græcorum, alter verò Persarum patrocinio fulti, Reges constituuntur Armeniæ. His ultro succeffit Chosroës III. quem comprehendentes Persæ Regno privant, inque locum ejus sufficiunt Verramum; & post hunc, Saporèm quendam Persam; cui tandem succeffit Ardasciras, qui ultimus fuit Arsacidarum, ut infrà dicetur.

Ardavastes Rex Armeniæ.

Arsaces & Vagharsaces, Arm. Reges.

Chosroes III. Verram & Saper Arm. Reges

Ardasciras Rex Arm. ultimus ex Arsacidarum prosapie.

At verò Ammianus de Paba filio Arsacis, quem ipse Param corrupto vocabulo, nuncupat, verba faciens, in eo discrepat ab Armenis Historicis, quòd, cùm isti Pabæ necem ex mandato Theodosii Senioris accidisse dicant; ipse tamen jussu Valentis, qui Theodosium in Orientis Imperio immediatè præcesserat, eam illi asserit fuisse allatam, & hoc sanè modo. Sapor Rex Persarum, Arsace Armeniæ Rege capto, sublatoque de medio, Cylacj Spadoni, & Artabani, quos olim susceperat perfugas, committit Armeniam; iisdemque mandarat, ut Artogerassam, arcem validissimam, quæ thesauros, & uxorem cum filio Arsacis tuebatur, invaderent,

Ammia nusl.27

rent, excinderentque. Hinc Para, seu Paba, consciis Ducibus illis, ac dissimulantibus, clam è munimento digressus, ad Valentem fugit Imperatorem. Illum Valens benignè susceptum apud Neocæsaream morari præcepit, liberali victu curandum, & cultu; qua quidem humanitate Cylaces, & Artabanes illecti, missis Oratoribus, á Valente auxilium, eundemq; Param Regem sibi tribui poposcerunt Sed pro tempore adjumentis negatis, per Terentium Ducem Para reducitur in Armeniam, interim Gentem illam recturus sine ullis insignibus, ne Imperator à Persis fracti fœderis argueretur, & pacis. Hoc comperto textu gestorum, Sapor, ultra hominem efferatus, Armenios aperta prædatione vastabat; cujus adventu tertius Para, itidemq; Cylaces, & Artabanes, nulla circumspectantes auxilia, celsorum montium petivere secessus; ubi per sylvarum profunda, & flexuosos colles mensibus quinque delitescentes, Regis multiformes lusere conatus, qui cum omni pondere multitudinis Artogerassam circumseptam, & post varios certaminum casus, lassatis defensoribus, patefactam incendit: Arsacis uxorem erutam inde cum thesauris abduxit, Quamobrem ad eas Regiones Arintheus cum exercitu mittitur Comes ab Imperatore, suppetias laturus Armeniis, si eos exagitare procinctu gemino tentaverint Persæ, inter quæ Sapor immensum quantum astutus, & cum sibi conduceret, humilis, aut elatus, societatis futuræ specie Param, ut incuriosum

Sapor Persarum Rex, depopulatur Armenias.

sui, per latentes Nuncios increpat, quòd Majestatis Regiæ velamento Cylaci serviret, & Artabani, quos ille præceps blanditiarum illecebris interfecit; capitaque cæsorum ad Saporem, ut ei morigerus, misit.

Ex eodem Ammiano, lib. 30. Has igitur ob causas diversis Para criminibus apud Valentem exoneratur á multis; inter quos & Terentius Dux per assiduas litteras Cylacis necem replicabat, & Artabani; addens, eundem Param, ad superbos actus elatum, nimis esse in subjectos immanem: unde propediem alterum Armeniæ Regem suadebat esse mittendum, ne odio Paræ Natio illa, Romanis opportuna, deficeret ad jura Persarum, eam rapere vi, vel metu, vel adulatione flagrantium. Hinc in illum inexplicabile auctum Cæsaris odium; & doli struebantur indies, ut per vim ei vel clam vita adimeretur; agentique tunc in Armenia Trajano, & rem militarem curanti, id secretis committitur scriptis, qui illecebrosis Regem insidiis ambiens, & modò serenæ mentis Valentis indices litteras tradens, modò ipse sese ejus conviviis ingerens, ad ultimum composita fraude ad prandium verecundiùs invitavit: qui nihil adversum metuens, venit, concessoque honoratiore discubuit loco. Cumque apponerentur exquisitæ cupediæ, & ædes pulsu nervorum, & articulato, flatilique sonitu resultarent, jam vino incalescente, Barbarus quidam gladium districtum intentans, accedit, Param confossurus, ne exilire posset, etiam tum præpeditum, quo viso Regulus, expedito dolo ad sur-

ſurgens, ut vitam omni ratione defenderet, perforato pectore deformis procubuit victima, ictibus multiplicatis fœdè conciſſa.' Et hæc de Rege Para, ſeu Paba, filio Aſacis, dicta ſufficiant; quæ nos ex prolixo Ammiani contextu ſummatim extraximus.

Hoc eodem tempore S. Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus minorem viſitavit Armeniam, ut in Eccleſiis illis, Paſtoribus deſtitutis, crearet Epiſcopos, Sacerdotes conſecraret, confirmaret in Orthodoxa fide Catholicos; Hæreticos tandem, ad rectum ejusdem fidei tramitem adductos, Apoſtolicæ conciliaret Eccleſiæ. Quocirca in Nicopolitano, ab Armenis Epiſcopis celebrato, Concilio Euſtathium Epiſcopum Sebaſtenum ab hæreſi revocavit: cumque illum, fidem Catholicam profitentem, ac ſuſcribentem, in communionem recepiſſet, apud Theodotum Nicopolitanæ Civitatis Epiſcopum, atque apud alios etiam graviter offendit, in ſuſpicionem adductus, quòd cum hæretico conſenſiſſet. Quamobrem idem poſtea Baſilius opus habuit, apologeticam, in qua totam hanc narrat hiſtoriam, pro ſe epiſtolam ſcribere ad Terentium Comitem, qui iisdem temporibus, ut ſuprà diximus, unà cum Arintheo in Armenia ad Perſas cohibendos in aſſiduo ſtabat procinctu. Poſt hæc verò videns idem Euſtachius, quòd ex ea à ſe ſubſcripta fidei profeſſione nullam fuerat gloriam aſſecutus, ſed æquè ac priùs a Theodoto, cæterisque rejiciebatur; quòd ſua fuiſſet ſpe fruſtratus, impudenter in priorem recidit per-

S. Baſilius viſitat minorem Armeniam.

S Baſilius Epiſt 6. ad Terent. in addit.

vicaciam; atque in ipsum quoque Basilium, tum verbis jactare convicia, tum scriptis etiam disseminare calumnias, quasi de fide haud rectè Divus ille sentiret, aggressus est, á quibus sanè calumniis statim ipsemet Basilius suam paravit defensionem in epistola ad eundem Eustathium, & in altera ad Theodothum. Quomodo autem præfati Duces Terentius, & Arintheus fuerint adjumento Catholicis, in minori Armenia persecutione Arianorum vexatis, qui scire desiderat, adeat Cardinalem Baronium.

S. Basil Epist. 77. ad Eustat. & Epist. 15. ad Theod. in addit Baron. t. 4. an. 470.

Verùm ut ad Patriarcham Niersesem nostram rursus convertam⁹ historiam: paulò ante quam hac ille excessisset vita, traditur ab Armeniis, quod accersitus ab Imperatore Theodosio, qui nuncium de illis fama sanctitatis à multis acceperat, profectus esset Constantinopolim, ubi &, ab eodem Theodosio benignè susceptus, Concilio Constantinopolitano primo interfuisset. Quòd si res ita se habet, ut illi * satis sibi esse compertam, & veteri scripturarum suarum traditione acceptam ostendunt; Personam hujus Patriarchæ sub alio certè nomine inter centum quinquaginta Patres illos recensitam putamus; cum nullus in ea Sacra Synodo, qui Nierses nominetur intervenisse legatur. Inde reversus iterum in Armeniam, Regionem illam summoperè moribus depravatam invenit, facinorosi ejus Regis exemplo quapropter nimio dolore correptus, plurima fertur de Regiæ Arsacidarum stirpis extinctione, ac de excidio Regni,

** Nierses Ghel. Ar. Patriar. in Carmine de Reg. Arm. aliique complures.*

gni, Ecclesiæque Armeniorum, ob superventuras hæreses futura, tunc illum prænunciasse, quæ quidem omnia in actibus ipsius leguntur; & ex quibus nonnulla notatu dignissima hic jam exponentur. Hæc sunt igitur verba ipsa Niersesis.

Destruetur Regnum vestrum quemadmodum Israelis, & dissipabuntur confinia vestra per manus exterorum inimicorum, tradimini in captivitatem, in famem, in gladium, nec deficiet jugum servitutis à collo vestro, Regionem vestram, & labores vestros, devorabunt coram vobis alienigenæ, & sicut dispergunturs frondes, dispergemini: neglecti eritis sicut aqua effusa, & ab intensione arcus infirmabimini. Et iterum posteà: Auferetur Regnum vestrum, & Sacerdotium; atque sine Domino vestro, circuibitis super terram, sicut Grex absque Pastore. Pro eo quòd tu non audisti me; nec te exaudiet Deus in die tribulationis tuæ; sicut tu non misertus fuisti afflictæ Regionis Armeniæ, sine Duce relictæ in discessione mea ad Græcos; & sicut abstulisti justificationes à Regione Armeniorum, sic auferetur Regnum à tua Arsacidarum progenie Armeniæque humiliabuntur Primates; à vobis fraudati, vos defraudabuntur; & avertet Creator vultum suum á vobis usque ad appropinquationem Immundi * in deserto; ac speciosum Regionis vestræ extranei comedent coram vobis.) Et rursus infra: Postquam, impleti fuerint anni quinquaginta, auferetur á Gente nostra Sacerdotium, quale fuerat San-

Armeniorum Reges & ab Arsace Parthorum Rege sunt oriundi.

Vaticinium Niersesis Magni Arm. Patriarchæ, apud Armenicum Giarrentis, ubi de actibus ipsius Armenios Regno & Sacerdotio fore privandos, longè ante prædicitur.

* *hoc est: Antichristi.*

ĉti Gregorii mei Prædeceſſoris, nec non unà cum illo Regnum à tua Arſacidarum progenie, usque ad appropinquationem Immundi. (hoc eſt Antichriſti.) In Suormach ſceleſtiſſimo Patriarcha & falſo Sacerdote, atque in Rege Ardaſcira hæc adimpleta ſunt, ut conſtabit inferiùs. Tum poſt alia ſequitur: Poſt hæc egredientur omnes de Patria ſua, & cadent ſub Græcorum Dominium in humiliationem, & ſervitutem, deficient à fide *; quare & deficiet Principatus ipſorum: ſilebitque Armeniorum Patriarchatus annos multos, extirpabuntur Armeni a fundamentis; evellentur muri inſuperabiles a gente Tartarorum: & comedet generatio illa carnes brachiorum ipſorum, & loca ſancta Armenorum Pontificum evadetq; habitationes generationum infidelium. (Mirum ſanè multum eſt, quomodo quæcunque hucusque prædixerat, omninò acciderint tandem ſubdit: Poſt hæc fiet Redemtio omnium Regionum, & Chriſtianorum a potenti Romanorum Gente, qui Franchi nominantur & poſtea in greſſibus bonis requieſcet terra quam pluribus annis: & expellentur Infideles, & cadent ſub jugum ſervitutis Romanorum, & dicetur illa die: Væ mortuis, qui ad hæc felicia tempora, & requiem hanc magnam non pervenere.) Hactenus Nierſes Patriarcha.

Hinc quotidiè ſolent Armenii, duro infidelium jugo depreſſi, à nobis Italis preces expectere, dicentes: Ec quando venient Romani, ad redimendum locum noſtrum & gentem?

** ...niorum Principatum propter hæreſes defectum, prophetavit Magnus Nierſes Armenis.*

Hæc prædictio de Armeniis libertati reſtituendis ope Romanorum citatur etiam & confirmatur à Nierſe Ar Patriarcha, in Carm. de Reg. arm. n. 460.

Hujus

Hujus autem Patriarchæ diem commemorationis Armena celebrans Eccleſia, ſic inter alia canit: * Protege nos Chriſte, precibus Sancti Nierſeſis: cui occulta temporis futuri ſecreta revelaſti &c.

** In Armeniorum Breviario.*

Ex Armena Hiſtoria

CAPUT VII.

Dominus Iſaac, ex progenie Alpiani, Harchenſis Epiſcopi annos quatuor. VII.

Dominus Zaven, frater ipſius; annos quatuor. VIII.

Dominus Asburaches, frater eorundem; annos quinque. IX.

Dominus ſanctus Iſaac, filius magni Nierſeſis, nepotis Heſychii, nepotis ſancti Gregorii; annos 51. pe- X.

Iſaac Armeniorum ſanctiſſimus Patriarcha,

tierunt ab iſto Armeniorum Primates, ut in malevoluntiſſimis obtrectationibus, quibus ſuo Regi Ardaſciræ apud Regem Perſarum officere volebant, ſecum ipſis conſpiraret; cumq; ille renuiſſet, ex eorum throno, & Patriarcham, & Regem ipſum deturbarunt, inq; Ardavaſenſem Provinciam propulere. Tum in Sede Patriarchali, Suormach virum ambitioſum, falſum-

que sacerdotem constituunt, Regisq; Persarum patrocinio firmant. Hisce temporibus, dum nonnulli in Asia festivitates dominicæ Nativitatis, atque Baptismatis unico simul die, nempe 6. Januarii celebrare solerent; omnes aliæ Regiones, juxta magnæ Ecclesiæ Romanæ ritum, festum Nativitatis 25 Decembris, & Baptismatis 6. Januarii peragere, concordissimè statuerunt. Idq; Joanne Chrysostomo adhuc superstite, per omnes Ecclesias divulgarunt. Scriptum deinde fuit etiam divo Isaac, ut & ipse similiter faciens, cum Catholica Ecclesia conformaretur, cumque hic in Ardavasensi tunc Provincia exularet, exitum res habere non potuit.

Ecclesiæ Romanæ ritus in celebratione festorum, proponitur exemplū quod imitare debeant omnes Ecclesiæ

ANNOTATIO.

Isaac Patriarcha, hujus nominis secundus, ex magno Niersese, ac ejus legitima conjuge, quem hic habuit antequam Sacerdos, & Armeniæ Patriarcha initiaretur, progenitus fuit. Vir posteà ferè quinquagenarius effectus, & eximiæ virtutis laude conspicuus, Armenæ præficitur Ecclesiæ, quamdiu sanctissimè gubernavit. Tandem senio confectus, odore sanctitatis, & spiritu prophetiæ clarus, in-

ter afflictationes exilii, eodem quo natus erat die, ab hominibus demigravit. Usq; adeò apud Armenos in honore habitus fuit; ut ipsius, sicuti etiam magni Niersesis, & aliorũ quatuor priorum Patriarcharum, à sanguine divi Gregorii descendentium, in sua semper liturgia memoriam celebrent.

In actibus Concilii Adanensis, quod ad uniendum Armenam Ecclesiam cum Romana, ab Armenis Episcopis in Cilicia celebratum fuit Año Domini, 1309. ut in calce hujus primæ partis latè videbitur; similiter legimus, quod idem Isaac Patriarcha, etsi vellet Armenam Ecclesiam conformare cum aliis Christianorum Ecclesiis, celebrando Nativitatem Domini die 25. Decembris; & non, uti illa solebat, 6. Januarii, simul cum Baptismo ejusdem: nequivit tamen sui causâ exilii ad exitum rem perducere propria illius Concilii verba damus.

Concilium Adanense Armeniũ.

Postquam, ait, dominicæ tempus Nativitatis cunctis isto examine innotuerat; dirigitur hac de re universale mandatum ex alma Urbe Roma in Ecclesiam Constantinopolitanam, & ad Joannem Patriarcham Hierosolymorum, & ad Flavianum Antiochiæ Patriarcham, omnesque sanctæ Romanæ Ecclesiæ adhærentes, unanimiter decreverunt, ut ejusdem Nativitatis festivitas 25. Decemb solemniter in universa celebraretur Ecclesia, Festumque Baptismatis 6. Ianuarii; eratque tunc temporis Ecclesiæ Romanorum Patriarcha, Anastasius. Scripserunt autem, ex urbe

vide, quantum in alias Orbis Ecclesias imperium olim etiam habuit Ecclesia Romana.

que sacerdotem constituunt, Regisq; Persarum patrocinio firmant. Hisce temporibus, dum nonnulli in Asia festivitates dominicæ Nativitatis, atque Baptismatis unico simul die, nempe 6. Januarii celebrare solerent; omnes aliæ Regiones, juxta magnæ Ecclesiæ Romanæ ritum, festum Nativitatis 25 Decembris, & Baptismatis 6. Januarii peragere, concordissimè statuerunt. Idq; Joanne Chrysostomo adhuc superstite, per omnes Ecclesias divulgarunt. Scriptum deinde fuit etiam divo Isaac, ut & ipse similiter faciens, cum Catholica Ecclesia conformaretur, cumque hic in Ardavasensi tunc Provincia exularet, exitum res habere non potuit.

Ecclesiæ Romanæ ritus in celebratione festorum, proponitur ex emplũ quod imitare debeant omnes Ecclesiæ

ANNOTATIO.

Isaac Patriarcha, hujus nomi[illegible] secundus, ex magno N[illegible]rsese, ac c[illegible] [illegible]ma conjuge, quem h[illegible] an[illegible] Armeniæ P[illegible] fuit. Vir [illegible]

ter afflictationes exilii, eodem quo natus erat die, ab hominibus demigravit. Usq; adeò apud Armenos in honore habitus fuit; ut ipsius, sicuti etiam magni Niersesis, & aliorũ quatuor priorum Patriarcharum, à sanguine divi Gregorii descendentium, in sua semper liturgia memoriam celebrent.

In actibus Concilii Adanensis, quod ad uniendum Armenam Ecclesiam cum Romana, ab Armenis Episcopis in Cilicia celebratum fuit Año Domini, 1300. ut in calce hujus primæ partis latè videbitur; similiter legimus, quod idem Isaac Patriarcha, etsi vellet Armenam Ecclesiam conformare cum aliis Christianorum Ecclesiis, celebrando Nativitatem Domini die 25 Decembris; & non, uti illa solebat, 6 Januarii, simul cum Baptismo ejusdem: nequivit tamen sui causâ exilii ad exitum rem perducere propria illius Concilii verba damus.

Concilium Adanense Armenũ.

Postquam, ait, dominicæ tempus Nativitatis cunctis isto examine innotuerat; dirigitur hac de re universale mandatum ex alma Urbe Roma in Ecclesiam Constantinopolitanam, & ad Joannem Patriarcham Hierosolymitanum [illegible] ad Flavianum Antiochiæ Patriarcham [illegible]sque Sedis Romanæ Ecclesiæ [illegible] decreverunt, ut ejus[illegible] [illegible]vitas 25. Decemb solem[illegible] [illegible]lebraretur Ecclesia. Fe[illegible] [illegible]s 6. Ianuarii; eratque [illegible] [illegible]iæ Romanorum Patriar[illegible] [illegible]pserunt autem, ex urbe

vide, quantum in alias Orbis Ecclesias suum imperium clem etiam habet Ecclesia Romana.

 Byzan-

Sapore Persarum Rege, & multa passus, miserrimam mortem obivit, & hæc dixerim ex Armenis historiis.

Arsaces Rex Armeniæ, Romanorum amicus fidelissimus. Ammianus, lib. 20.

Idem Rex Armeniæ fratriã Constantii Imper: accipit conjugem.

Verùm enim verò, etsi de Arsace Rege suo improba, quantum ad mores attinet, referunt Armenii: illum tamen Latini Scriptores maximoperè laudant, tum quòd Christianæ Religionis gratia sub Iuliano Apostata, & Sapore Rege Persarum dirissima passus sit; tum etiam quòd Romanis semper fidelissimus fuerit, adeoque societate conjunctus, ut Constantius Imperator conjugem ei copulare voluerit Olympiada, sponsam fratris sui Constantis; quod Ammianus, sic loquutus, enarrat; Constantius in Cappadocia degens, accitum Arsacem Arm. regem summaq; liberalitate susceptum præmonebat, & hortabatur, ut nobis amicus esse perseveraret, & fidus; audiebat enim, sæpius eum tentatum à Rege Persarum fallaciis, & minis, & dolis, ut, Romanorum societate posthabita, suis rationibus jungeretur. qui crebro adjurans, animam priùs posse amittere, quam sententiam, muneratus cum comitibus, quos duxerat, rediit ad Regnum, nihil ausus temerare posteà promissorum, obligatus gratiarum multiplici nexu Constantio; inter quas illud potiùs excellebat, quòd Olympiada Ablabii filiam, præfecti quondam Prætorio, ei copulaverat conjugem, sponsam fratris sui Constantis.

At verò quantum honoris, & beneficii apud

pud Constantium Imperatorem assecutus Arsaces fuerat, tantundem posteà despectus & vexationis illatum ei fuit à Juliano Apostata, successore Constantii; si Sozomeno credimus: Porrò, ait ille, Litteras ad Arsacem Regem Armeniæ, & Romanorum socium scripsit Iulianus, ut in hac expeditione subsidio sibi veniret; quibus quidem in litteris de se extra modum gloriosè prædicare, se ut valde ad imperium gerendum idoneum insolenter extollere, & ut amicùm illis quos ipse pro Diis habuit, arroganter efferre ipsi denique Arsaci verbis admodùm contumeliosis minitari, non veritus est; & quoniam eum Christianum esse acceperat; quò suam in eum augeret contumeliam, etiam nefandas in Christum blasphemias loqui, cum superba quadam jactatione contendit: cui etiam significavit, Deum, quem coleret, nequaquam eum defensurum, si imperata negligeret. Hæc Sozomenus.

Sozom. lib. 6. c. 1.

Idem Rex Arsaces Christianitatis causà vexatur à Iuliano.

De miserando autem ejusdem Arsacis obitu, qui dolo pacis captus à Sapore, extrema pati coactus fuit, hæc alia prosequitur Ammianus: Rex verò Persidis longævus ille Sapor, & ab ipsis imperitandi exordiis dulcedini rapinarum addictus, post Imperatoris Juliani excessum, & pudendæ pacis icta fœdera, cum suis paulisper nobis visus amicus, calcata fide sub Joviano pactorum, injectabat

Ammianus lib. 27.

Ar-

Sapor Rex Persarum captum Arsacem Regem Armeniæ dirissimè cruciat & perimit.

Armeniæ manum, ut eam, velut placitorum abolita firmitate, ditioni jungeret suæ. Et primò per artes fallendo diversas, Nationem omnem remittentem dispendiis levibus affli-ctabat, sollicitans quosdam Optimatum, & Satrapas; alios excursibus occupans improvisis.

Deinde per exquisitas, perjuriisque mixtas illecebras captum Regem ipsum Arsacem, adhibitumque in convivium jussit ad latentem trahi posticam; eum effossis oculis, vinctum catenis argenteis (quod apud eos honoratis vanum suppliciorum æstimatur esse solatium) exterminavit ad Castellum Agabana nomine, ubi discruciatus cecidit ferro pœnali.

Giarentir Armenic. hoc est liber narrationum in narratione 46.

Sed quis non insuper admiretur firmissimam Armeniorum constantiam in cruciatibus strenuè toleratis pro Christo sub hoc Rege Persarum? haud enim Regem Arsacem solum, sed & innumerabiles ex Armenia Christianos pro fide Christi dirissimè excruciavit, & neci tradidit Sapor diversis temporibus. Legatur Armenicum Giarrentir, quod pluribus hoc testatur in locis, & præcipuè in Narratione 46. ubi sic habetur: Anno trigesimo secundo Regni Saporis, exiit adversus Christianos crudele ejusdem Persarum Regis Edictum; quo jam gladius districtus erat, ut quem libet, qui se Christianum diceret, obtruncaret; jam acuentes mucrones defatigati fuerant, delassataq; brachia Trucidantium; nec propterea veritatis unquam defecit confessio; neque uti in animum sibi Tyrannus induxerat, ita fa-

ctum

ctum est. Pro certo planè existimabat, centum duntaxat homines occidendo, se finem ultro sanguinem effundendi facturum; veruntamen millia millibus jam mortem attulerat, & adhuc in principio erat. Quibus etiam verbis concordant illa, quæ Cassiodorus ex Sozomeno refert in historia tripartita dicens: Sequenti verò anno, die quo passionis Christi memoria celebrabatur, & expectabatur Resurrectionis festivitas, crudelissima Saporis præceptio per omnem Persarum cucurrit terram; morte condemnans eos, qui se profiterentur esse Christianos. Quo tempore fertur, ultra numerum multitudinem Christianorum gladio cecidisse.

Cassiod. in trip. lib. 3. c. 2.

Succedit autem Arsaci Regi Paba filius ejus, Rex itidem flagitiosus, qui [ut ea hic memorem, quæ Armeniis historiis * prodita sunt] cum structo agmine, ad mortem Patris ulciscendam, manus consereret cum eodem Sapore Rege Persarum obviam illi veniente cum exercitu prope Nebath montem Armeniæ; dilectus Dei famulus, Nierses Patriarcha, eundem tum dicitur conscendisse montem, Deum pro Armeniorum victoriâ precaturus: ubi dum Moysis instar manus suas modo in altum elevaret, modò deorsum inflecteret, sic & varius erat eventus belli, modo scilicet pro Armenis, modo pro Persis. Porro deniq; cum idem Rex Paba pravior indies efficeretur, nec posset crebras saeri Præsulis Niersis objurgationes æquo animo ferre, ipsum Pastorem suum vitâ innocentissimum, veneno

Paba Rex Ar.

** Niers. Ghehal. in carmine de Regibus Arm.*

Nierses Magn. Patriar oba in-

Ardavastes Rex Armeniæ.

Arsaces & Vagharsaces, Arm. Reges.

Chosroes III. Veram & Sapor Arm. Reges

Ardasciras Rex Arm. ultimus ex Arsacidarum progenie.

Ammian. l. 27

veneno necavit, nequaquam horrens, nefando fœdari scelere parricidam. Cujus deinde necem molestè accipiens Imperator Theodosius, illum crudeliter ejusdem sacrilegi Regis internecione vindicavit: tradiditque Regnum Armenum Ardavasto, viro ex illustri quoque Arsacidarum genere strenuissimo; qui tamen, cum nec Theodosii voluntati responderet, adhuc interficitur; ac duo filii Pabæ, nimirum Arsaces, & Vagharsaces, alter quidem Græcorum, alter verò Persarum patrocinio fulti, Reges constituuntur Armeniæ. His ultro successit Chosroës III. quem comprehendentes Persæ Regno privant, inque locum ejus sufficiunt Verramum; & post hunc, Saporèm quendam Persam; cui tandem successit Ardasciras, qui ultimus fuit Arsacidarum, ut infrà dicetur.

At verò Ammianus de Paba filio Arsacis, quem ipse Param corrupto vocabulo, nuncupat, verba faciens, in eo discrepat ab Armenis Historicis, quòd, cùm isti Pabæ necem ex mandato Theodosii Senioris accidisse dicant; ipse tamen jussu Valentis, qui Theodosium in Orientis Imperio immediatè præcesserat, eam illi asserit fuisse allatam, & hoc sanè modo. Sapor Rex Persarum, Arsace Armeniæ Rege capto, sublatoque de medio, Cylaci Spadoni, & Artabani, quos olim susceperat perfugas, committit Armeniam; iisdemque mandarat, ut Artogerassam, arcem validissimam, quæ thesauros, & uxorem cum filio Arsacis tuebatur, invaderent,

rent, excinderentque. Hinc Para, ſeu Paba, conſciis Ducibus illis, ac diſſimulantibus, clam è munimento digreſſus, ad Valentem fugit Imperatorem. Illum Valens benignè ſuſceptum apud Neocæſaream morari præcepit, liberali victu curandum, & cultu; qua quidem humanitate Cylaces, & Artabanes illecti, miſſis Oratoribus, á Valente auxilium, eundemq; Param Regem ſibi tribui popoſcerunt Sed pro tempore adjumentis negatis, per Terentium Ducem Para reducitur in Armeniam, interim Gentem illam recturus ſine ullis inſignibus, ne Imperator à Perſis fracti fœderis argueretur, & pacis. Hoc comperto textu geſtorum, Sapor, ultra hominem efferatus, Armenios aperta prædatione vaſtabat; cujus adventu tertius Para, itidemq; Cylaces, & Artabanes, nulla circumſpectantes auxilia, celſorum montium petivere ſeceſſus; ubi per ſylvarum profunda, & flexuoſos colles menſibus quinque deliteſcentes, Regis multiformes luſere conatus, qui cum omni pondere multitudinis Artogeraſſam circumſeptam, & poſt varios certaminum caſus, laſſatis defenſoribus, patefactam incendit: Arſacis uxorem erutam inde cum theſauris abduxit, Quamobrem ad eas Regiones Arintheus cum exercitu mittitur Comes ab Imperatore, ſuppetias laturus Armeniis, ſi eos exagitare procinctu gemino tentaverint Perſæ, inter quæ Sapor immenſum quantum aſtutus, & cum ſibi conduceret, humilis, aut elatus, ſocietatis futuræ ſpecie Param, ut incurioſum

Sapor Perſarum Rex, depopulatur Armenias.

sui, per latentes Nuncios increpat, quòd Majestatis Regiæ velamento Cylaci serviret, & Artabani, quos ille præceps blanditiarum illecebris interfecit; capitaque cæsorum ad Saporem, ut ei morigerus, misit.

Ex eodem Ammiano, lib. 30. Has igitur ob causas diversis Para criminibus apud Valentem exoneratur á multis; inter quos & Terentius Dux per assiduas litteras Cylacis necem replicabat, & Artabani; addens, eundem Param, ad superbos actus elatum, nimis esse in subjectos immanem: unde propediem alterum Armeniæ Regem suadebat esse mittendum, ne odio Paræ Natio illa, Romanis opportuna, deficeret ad jura Persarum, eam rapere vi, vel metu, vel adulatione flagrantium. Hinc in illum inexplicabile auctum Cæsaris odium; & doli struebantur indies, ut per vim ei vel clam vita adimeretur; agentique tunc in Armenia Trajano, & rem militarem curanti, id secretis committitur scriptis, qui illecebrosis Regem insidiis ambiens, & modò serenæ mentis Valentis indices litteras tradens, modò ipse sese ejus conviviis ingerens, ad ultimum composita fraude ad prandium verecundiùs invitavit: qui nihil adversum metuens, venit, concessoque honoratiore discubuit loco. Cumque apponerentur exquisitæ cupediæ, & ædes pulsu nervorum, & articulato, flatilique sonitu resultarent, jam vino incalescente, Barbarus quidam gladium districtum intentans, accedit, Param confossurus, ne exilire posset, etiam tum præpeditum, quo viso Regulus, expedito dolo ad sur-

surgens, ut vitam omni ratione defenderet, perforato pectore deformis procubuit victima, ictibus multiplicatis fœdè concissa.' Et hæc de Rege Para, seu Paba, filio Asacis, dicta sufficiant; quæ nos ex prolixo Ammiani contextu summatim extraximus.

Hoc eodem tempore S. Basilius Cæsariensis Episcopus minorem visitavit Armeniam, ut in Ecclesiis illis, Pastoribus destitutis, crearet Episcopos, Sacerdotes consecraret, confirmaret in Orthodoxa fide Catholicos; Hæreticos tandem, ad rectum ejusdem fidei tramitem adductos, Apostolicæ conciliaret Ecclesiæ. Quocirca in Nicopolitano, ab Armenis Episcopis celebrato, Concilio Eustathium Episcopum Sebastenum ab hæresi revocavit: cumque illum, fidem Catholicam profitentem, ac suscribentem, in communionem recepisset, apud Theodotum Nicopolitanæ Civitatis Episcopum, atque apud alios etiam graviter offendit, in suspicionem adductus, quòd cum heretico consensisset. Quamobrem idem postea Basilius opus habuit, apologeticam, in qua totam hanc narrat historiam, pro se epistolam scribere ad Terentium Comitem, qui iisdem temporibus, ut suprà diximus, unà cum Arintheo in Armenia ad Persas cohibendos in assiduo stabat procinctu. Post hæc verò videns idem Eustachius, quòd ex ea à se subscripta fidei professione nullam fuerat gloriam assecutus, sed æquè ac priùs a Theodoto, cæterisque rejiciebatur; quòd sua fuisset spe frustratus, impudenter in priorem recidit per-

S. Basili9 visitat minorem Armeniam.

S Basilius Epist 6. ad Terent. in addit.

vicaciam; atque in ipsum quoque Basilium, tum verbis jactare convicia, tum scriptis etiam
S.Basil disseminare calumnias, quasi de fide haud
Epist. rectè Divus ille sentiret, aggressus est, á quibus
77. ad sanè calumniis statim ipsemet Basilius suam
Eustat. paravit defensionem in epistola ad eundem
& Epist. Eustathium, & in altera ad Theodothum.
15. ad Quomodo autem præfati Duces Terentius,
Theod. & Arintheus fuerint adjumento Catholicis,
in addit in minori Armenia persecutione Arianorum
Baron. vexatis, qui scire desiderat, adeat Cardinalem
t.4. an. Baronium.
470. Verùm ut ad Patriarcham Niersesem nostram rursus convertam historiam: paulò antequam hac ille excessisset vita, traditur ab Armeniis, quod accersitus ab Imperatore Theodosio, qui nuncium de illis fama sanctitatis à multis acceperat, profectus esset Constantinopolim, ubi &, ab eodem Theodosio benignè susceptus, Concilio Constantinopolitano primo interfuisset. Quòd si res ita se
** Nier-* habet, ut illi * satis sibi esse compertam, & ve-
ses Chel. teri scripturarum suarum traditione acce-
Ar. Pa- ptam ostendunt; Personam hujus Patriarchæ
triar. in sub alio certè nomine inter centum quinqua-
Carmi- ginta Patres illos recensitam putamus; cum
ne de nullus in ea Sacra Synodo, qui Nierses nomi-
Reg. netur intervenisse legatur. Inde reversus ite-
Arm. rum in Armeniam, Regionem illam summo-
aliique perè moribus depravatam invenit, facinorosi
complu- ejus Regis exemplo quapropter nimio dolore
res. correptus, plurima fertur de Regiæ Arsacidarum stirpis extinctione, ac de excidio Regni,

gni, Ecclesiæque Armeniorum, ob superventuras hæreses futura, tunc illum prænunciasse, quæ quidem omnia in actibus ipsius leguntur; & ex quibus nonnulla notatu dignissima hic jam exponentur. Hæc sunt igitur verba ipsa Niersesis.

Destructur Regnum vestrum quemadmodum Israelis, & dissipabuntur confinia vestra per manus exterorum inimicorum, tradimini in captivitatem, in famem, in gladium, nec deficiet jugum servitutis à collo vestro, Regionem vestram, & labores vestros, devorabunt coram vobis alienigenæ, & sicut dispergentur frondes, dispergemini: neglecti eritis sicut aqua effusa, & ab intensione arcus infirmabimini. Et iterum posteà: Auferetur Regnum vestrum, & Sacerdotium; atque sine Domino vestro, circuibitis super terram, sicut Grex absque Pastore. Pro eo quòd tu non audisti me; nec te exaudiet Deus in die tribulationis tuæ; sicut tu non misertus fuisti afflictæ Regionis Armeniæ, sine Duce relictæ in discessione mea ad Græcos; & sicut abstulisti justificationes à Regione Armeniorum, sic auferetur Regnum à tua Arsacidarum progenie Armeniæque humiliabuntur Primates; à vobis fraudati, vos defraudabuntur; & avertet Creator vultum suum à vobis usque ad appropinquationem Immundi * in deserto; ac speciosum Regionis vestræ extranei comedent coram vobis.) Et rursus infra: Postquam, impleti fuerint anni quinquaginta, auferetur à Gente nostra Sacerdotium, quale fuerat San-

Armeniorum Reges ab Arsace Parthorum Rege sunt oriundi. Vaticinium Niersesis Magni, Arm. Patriarcha, apud Armenicum Giarrentis, ubi de actibus ipsius Armenios Regno & Sacerdotio fore privandos, longè ante prædicitur.

* *hoc est: Antichristi.*

ĉti Gregorii mei Prædeceſſoris, nec non unà cum illo Regnum à tua Arſacidarum progenie, usque ad appropinquationem Immundi. (hoc eſt Antichriſti.) In Suormach ſceleſtiſſimo Patriarcha & falſo Sacerdote, atque in Rege Ardaſcira hæc adimpleta ſunt, ut conſtabit inferiùs. Tum poſt alia ſequitur: Poſt hæc egredientur ómnes de Patria ſua, & cadent ſub Græcorum Dominium in humiliationem, & ſervitutem, deficient à fide*; quare & deficiet Principatus ipſorum: ſilebitque Armeniorum Patriarchatus annos multos, extirpabuntur Armeni a fundamentis; evellentur muri inſuperabiles a gente Tartarorum: & comedet generatio illa carnes brachiorum ipſorum, & loca ſanĉta Armenorum Pontificum evadetq; habitationes generationum infidelium. (Mirum ſanè multum eſt, quomodo quæcunque hucusque prædixerat, omnind acciderint tandem ſubdit: Poſt hæc fiet Redemtio omnium Regionum, & Chriſtianorum a potenti Romanorum Gente, qui Franchi nominantur & poſtea in greſſibus bonis requieſcet terra quam pluribus annis: & expellentur Infidéles, & cadent ſub jugum ſervitutis Romanorum, & dicetur illa die: Væ mortuis, qui ad hæc felicia tempora, & requiem hanc magnam non pervenere.) Hactenus Nierſes Patriarcha.

Hinc quotidiè ſolent Armenii, duro infidelium jugo depreſſi, à nobis Italis preces expetere, dicentes: Ec quando venient Romani, ad redimendum locum noſtrum & gentem? Hujus

** ...m. niqrum Principatum propter hæreſes defectum, prophetavit Magn⁹ Nierſes Armenis. Hæc prædiĉtio de Armeniis libertati reſtituẽdis ope Romanorum citatur etiam & confirmatur à Nierſe Ar. Patriarcha, in Carm. de Reg. arm. n. 460.*

Hujus autem Patriarchæ diem commemorationis Armena celebrans Ecclesia, sic inter alia canit: * Protege nos Christe, precibus Sancti Niersesis: cui occulta temporis futuri secreta revelasti &c.

** In Armeniorum Breviario.*

Ex Armena Historia
CAPUT VII.

DOminus Isaac, ex progenie Alpiani, Harchensis Episcopi annos quatuor. VII.

Dominus Zaven, frater ipsius; annos quatuor. VIII.

Dominus Asburaches, frater eorundem; annos quinque. IX.

DOminus sanctus Isaac, filius magni Niersesis, nepotis Hesychii, nepotis sancti Gregorii; annos 51. petierunt ab isto Armeniorum Primates, ut in mâlevoluntissimis obtrectationibus, quibus suo Regi Ardascira apud Regem Persarum officere volebant, secum ipsis conspiraret; cumq; ille renuisset, ex eorum throno, & Patriarcham, & Regem ipsum deturbarunt, inq; Ardavasensem Provinciam propulere. Tum in Sede Patriarchali, Suormach virum ambitiosum, falsum- X.

Isaac Armeniorum sanctissimus Patriarcha.

ter afflictationes exilii, eodem quo natus erat die, ab hominibus demigravit. Usq; adeò apud Armenos in honore habitus fuit; ut ipſius, ſicuti etiam magni Nierſeſis, & aliorũ quatuor priorum Patriarcharum, à ſanguine divi Gregorii deſcendentium, in ſua ſemper liturgia memoriam celebrent.

In actibus Concilii Adanenſis, quod ad uniendum Armenam Eccleſiam cum Romana, ab Armenis Epiſcopis in Cilicia celebratum fuit Año Domini, 1309. ut in calce hujus primæ partis latè videbitur; ſimiliter legimus, quod idem Iſaac Patriarcha, etſi vellet Armenam Eccleſiam conformare cum aliis Chriſtianorum Eccleſiis, celebrando Nativitatem Domini die 25. Decembris; & non, uti illa ſolebat, 6. Januarii, ſimul cum Baptiſmo ejusdem: nequivit tamen ſui causâ exilii ad exitum rem perducere propria illius Concilii verba damus.

Concilium Adanenſe Armeniũ.

Poſtquam, ait, dominicæ tempus Nativitatis cunctis iſto examine innotuerat; diriguntur hac de re univerſale mandatum ex alma Urbe Roma in Eccleſiam Conſtantinopolitanam, & ad Joannem Patriarcham Hieroſolymorum, & ad Flavianum Antiochiæ Patriarcham, omnesque ſanctæ Romanæ Eccleſiæ adhærentes, unanimiter decreverunt, ut ejusdem Nativitatis feſtivitas 25. Decemb ſolemniter in univerſa celebraretur Eccleſia. Feſtumque Baptiſmatis 6. Ianuarii; eratque tunc temporis Eccleſiæ Romanorum Patriarcha, Anaſtaſius. Scripſerunt autem, ex urbe

vide, quantum in alias Orbis Eccleſias imperium olim etiam habuit Eccleſia Romana.

 Byzan-

Byzantia, sicut ad alias Ecclesias, sic & ad magnum Isaac epistolam, ut vel ipse cum tota Ecclesia conveniret. Hic interim, cum noluisset in perniciem Armeni Regis Ardasciræ unà cum Armeniorum Primatibus conspirare, eumque apud Regem Persarum falsis impetere calumniis, fuerat ab iisdem Magnatibus, ac præsertim ab ambitioso quodam calumniatore, falsoque Sacerdote, Suormach nuncupato apud ipsum Persarum Regem de falso hoc crimine accusatus, Rex noster Ardasciras, inquiunt, & Isaac Patriarcha, cum Græcorum Imperatore fœderati, rebellionem à tuo cœptare Dominio machinantur, quibus fidem adhibens Persa, & Regem, & Patriarcham ex eorum throno dejecerat: ipsumq; Suormach, tanquam in mercedem proditionis, Patriarchali remuneraverat dignitate. Ea propter, dum in adventu generalis illius mandati Rex Ardasciras, & Isaac Patriarcha in Ardavasensi Provincia exularent, nullum ex eodem beato Isaac responsum ad Archadium Imperatorem, ac Divum Ioañem Chrysostomum, Constantinopolis Patriarcham, redire potuit. Unde & illa consequenter Ecclesiæ Armenicæ cum magna Romanorum, aliisque Christianorum Ecclesiis conformatio in festis Dominicis celebrandis ad exitum tunc perduci nequivit.) Hucusque acta Concilii Adanensis Armeni.

Satrapa Armeniorum Regem suum, & Patriarcham calumniatur apud Regem Persarum.

Ex historico Carmine Niersesis Ghelade Regibus Arm. n. 490.

Hac eadem tempestate floruit etiam in Armenia celeber quidam Heremita, dictus Miesrobus, vir planè eruditissimus, & inge-

nio perspicax; qui cum Armenarum, tum Iberarum quoque literarum characteres accuratissimè primus expressit; ac Posteris singulare hoc beneficium, quo tot transactis sæculis eorum majores expertes fuerant, dereliquit. Is igitur, & Isaac Patriarcha, plures in Armenia erudierunt discipulos; quos & Athenas ad græcam linguam, aliasq; facultates adipiscendas miserunt. Inter eos autem maximè omnium profecerunt tres, videlicet Moyses, cognominatus Grammaticus, David Philosophus, & Mampræus: qui posteà plerosq; libros, ac præsertim Bibliorum veteris & novi Testamenti, ex græco Idiomate in Armenum transferendo, suam ipsorum linguam mirum in modum locupletarunt, atq; instar Græcæ, vocibus compositis affluentem, efflorescentemq; reddiderunt: adeò, ut, quas nostra adhuc Latina desiderans, ex Græca lingua voces usurpat, & iis quoq; omnibus de proprio sumptis Armena nunc scateat.

Interpretes Armeni S. Scripturam aliosq; libros ex Græco in suum convertunt Idioma.

Extat prætereà ejusdem Isaac Patriarchæ liber quidam revelationum, in Armenæ Historiæ codice insertus: in quo præcipuè legitur, quòd, dum hic Dei famulus exularet, pœnitentia ducti primates Armeniæ, venerunt ad ipsum, ut erroris sui veniam peterent: quibus ille visionem quandam, divinitùs sibi revelatam, aperuit; quam & Angelus explanans, simile quid, quod antea de Regni, & Ecclesiæ Armeniorum ruinis Nierses Magnus prædixerat, his ei verbis vaticinatus fuerat:

In lib. revel. Isaac Patriarchæ Arm.

Throni

Regni, & Ecclesiæ Armeniorum Eversio futura Isaac Patriarchæ divinitus revelatur.

Throni visio, quæ tibi apparuit, similis fluctui maris glaciati, significat fluctus agitationum Regionis Armeniæ. Nam absconditum illud sub nigro, & denso velo, ostendit flagellum, quod subitura est Regio tota Vestis autem Pontificia ex purpura, & globus, quæ posita supra discum vidisti, altera Sacerdotium, alter verò indicat Regnum. At quia nemo erat, qui vestem induceretur; nec qui globum manu gestaret; audi rectè: silebit jam jam Regnum à progenie Arsacidarum, & Patriarchatus à genere digni Patriarchæ Sancti Gregorii; per membranam verò quadrilateram, quæ tibi ostensa est, habentem in primo ordine scriptam literis aureis manum justitiæ virorum sanctorum, significat tibi Spiritus Sancti gratia, eos qui orti ex genere dilecti S Gregorii, dignè Patriarchatus sedem rexerunt, filios electos esse, aureisq; literis scriptos in libro vitæ. Quoniam verò tibi apparuit in medio membranæ, longè ab aurearum literarum ordine, confusa quædam & deleta scriptura: scito, in Cathedra S. Gregorii nonnullos sessuros esse Patriarchas, qui haudquaq. àm juxta Canones Sacro-sancti Concilii trecentorum decem & octo initiati sunt honore cœlesti; sed ob mundi hujus gloriam ad illam sese audacter evexerunt dignitatem, argenti amatores, & non Dei: & quia falsum est ipsorum Sacerdotium, & Dei placito odibile, deleti sunt à libro bonorum cœlestium, rationem reddituri Gehennæ incendiis de se ipsis, & populorum perditione.]

Pseudo-patriarchæ, in Armena Cathedra prædicuntur sessuri, unà cum sectatoribus populis Gehennæ incendiis puniendi.

Hæc

Hæc ab Angelo acceperat perilluſtris Iſaac; in cujus comemorationem Armena quotannis ſic decantat Eccleſia: *Domine, qui tua futura myſteria Sancto Iſaac revelatione ſignificaſti, ſuſcipe noſtras commemorationem ejus celebrantium preces, &c.*

Hoc itaq; ſanctiſſimo Patriarcha defuncto cœperunt ſtatim præfata impleri vaticinia; Nam idem Iſaac, poſtremus ex genere divi Gregorii Patriarcha fuit, cui mox Suotmach falſus Sacerdos, aliique deinceps, interrupta licet ſerie, ſchiſmatici Patriarchæ ſucceſſerunt: quorum primus fuit Nierſes Aſchdarachenſis, ſecundus Joannes Oznienſis, & alii, quibus ultro adhæſerunt Armeni Pſeudodoctores nonnulli, fidei veritatem ſcriptis, ac totis ſuis viribus oppugnantes: de quibus infra ſuis locis, ac præſertim in ſecunda Parte, ubi eos ex aliis Armeniæ ſanctis Patribus, Doctoribus, & Conciliis confutabimus. Ultimus ſimiliter ex Arſacidis Armeniæ Regibus fuit ipſe Ardaſciras: cum exinde Armenii, ſuis orbati Regibus, primò fuerint Perſarum, tum modò Græcorum, modò Sarracenorum, modò Tattarorum duriſſimo ſub dominio mancipati; jam verò huc illucque diſperſi, partim Perſis, partim Turcis miſerrimè penitusque ſubjiciuntur: atque ſi qui in poſterum Armeniæ Reges, a nobis interdum memorabuntur, potius Reguli, Provinciæque alicujus Principes tributarii habendi ſunt. Hoc ipſo Archadii tempore teſtatur Sozomenus, Hunnos in Armeniam irruiſſe, ac nonnullas alias Orientalis Imperii Regiones devaſtaſſe. *Soz. lib. 8. c. 1.*

Ex Armena Historia

CAPUT VIII.

XI. SUormach, qui sedit, adhuc vivente magno Isaac, annum unum, & sex alios post obitum illius.

XII. DOminus sanctus Ioseph, discipulus beati Miesrobi, annos duos. Hic sub Isdegerde Persarum Rege, unà cum sanctis Leontio, & sociis ejus, pro Christi fide passus est.

Martyres in Armenia passi

XIII. DOminus Chyut Vanantanus ex Oppido Iotmuds, discipulus sancti Isaac annos 15. qui stabilivit sedem Patriarchatus in Civitate Thevin post Martyrium sanctorum Vartani, & sociorum.

ANNOTATIO.

IOseph Patriarcha cum Leontio, aliisque penè innumeris Martyribus, quorum Ecclesia Armena annuum commemorationis diem festum agit, passus est sub Isdegerde Persarum Rege, in persecutione cœpta in Perside, & Armenia contra Christianos ab eodem Isdegerde, continuata verò à Bararane, ejusque successore. Lege Baronium, & Cyrillum monachum; Licet peculiaria horum martyrum nomina ab ipsis non memorentur: ac denique Theodoretum, cujus verba sunt hæc: Mortuo quidem Isdegerde, post Patrem defun-

Baron. tom. 5. an. 420 Cyrill. Monac. in vita S. Eutym. Metaphr. die 20 Ian. Theodor. lib. 5. c. 39.

defunctum Bararanes filius unà cum Regno & jam bellum suscepit adversus, pietatem; atque ipse moriens ambo quoque filio suo reliquit, genera autem suppliciorum, & exquisitiones pœnarum, quibus pios excruciaverunt, non facilè poterunt oratione exponi.

Præterea Vartanus, aliique milites Armeni 1036. durante eadem persecutione, in qua exercitus Persicus omnes Christianorum Ecclesias in Armenia devastabat, cum seipsos pro Christiana Religione tuenda adversus exercitus totius furorem fortiter, constanterque objecissent, meliùs existimantes mori in bello, quàm videre mala Gentis suæ, & Sanctorum, crudelissimè omnes simul cum ipso Vartano, eorum Duce, trucidati fuere: qui ab Armena Ecclesia quotannis speciali quoque memoria recoluntur.

Sub hæc tempora, anno nimirum Salutis 435. ut notat Cardinalis Baronius, quatuor annis post sacram Synodum Ephesinam, celebratum fuit in Armenia Concilium, communiter dictum Armenum; in quo Episcopi illius, orthodoxæ fidei tunc zelo flagrantes, damnaverunt scripta Theodori Mopsuestini, & Diodori Tarsensis, a quibus hæresis suæ venenum Nestorius hauserat. Causa verò, cur Armeni Episcopi talem Synodum celebrassent, ut scribit Liberatus Diaconus, ea est: Postquam ex publico Theodosii Imperatoris edicto, omnia sacrilegi Nestorii scripta, a Synodo Ephesina damnata, igne fuerant absumpta; Nestoriani fontem ipsum aperue-

Baron. tom. 5. an. 435

Concilium orthodoxum in Armenia celebratum.

runt, unde illa primitus derivarunt: scilicet hæreticos Theodori Mopsuesteni, & Diodori Tarsensis libros ubique legendos exposuere: & quo latius sparsi, sine ulla suspicione susciperentur, eorundem volumina in Syrorum, Armenorum, atque etiam Persarum linguam transferenda curarunt sub hoc catholico titulo: Liber duarum naturarum in vna Christi Persona adversus Eunomiam, & Appollinarem: Sed ubi callidam hanc Nestorianorum fraudem perspicaci animo præsensere Acacius Melitenus in Armenia Episcopus, & Rabula Episcopus Edessenus, illico per literas cæteros Armenos Episcopos monuerunt, ne Theodori Mopsuesteni librum, tanquam hæreticum, & auctorem dogmatis Nestoriani, susciperent; quamvis ab Episcopis Ciliciæ ipse Rabula, & Acacius accusarentur, quòd hoc non ex charitate, sed ex contentione, & æmulatione fecissent. Hac igitur ex causa convenientes simul Episcopi in Armenia, cum post accuratum examen Mopsuesteni scripta à tramite orthodoxæ fidei aberrantia invenissent, eadem damnaverunt.

Nestorianorum astutia.

Verùm ne ipsi soli ea damnasse viderentur, sed universa quoq; Ecclesia Orientalis id ageret, legationem dirigunt ad Proclum Constantinopolitanum Episcopum; de qua hæc prosequitur idem Liberatus: Miserunt duos Presbyteros, Leontium & Aberium ad Proclum Constantinopolitanum Episcopum, secundum morem, cum libellis suis. & uno volumine Theodori Mopsuesteni; scire volentes

Episcopi Armeni Legatos mittunt ad Proclum Episcop. Const.

lentes, utrùm Doctrina Theodori, an Rabulæ & Acacii, vera eſſe probaretur? itaque Proclus, accipiens Armeniæ Epiſcoporum libellos, & illud Theodori volumen, diligentius utraque examinans, tomum Armeniis ſcripſit, & deſtinavit; in quo poſuit, ad interimendum Neſtorianorum verſutias, qui duas in Chriſto inducunt Perſonas, unum de Trinitate incarnatum; quem & direxit Ioanni Antiocheno per Theodotum Diaconum, continentem ſubter capitula ab hæreticis prolata; expetens ab eo pro communi fide ſervanda, ut cum ſuo Concilio eundem tomum ſuſciperent, & ſubſcriberent. Joannes autem, & qui cum eo erant congregati Epiſcopi, legentes tomum, & ejusdem laudantes compoſitionem, ſubſcripſerunt in eo, & Proclo transmiſerunt.) Hoc totum Liberatus.

Extat ipſa Procli Epiſtola ad Armenios, quæ incipit: Non mediocriter, fratres, confundit animum noſtrum, & mærore validiſſimo ſauciavit rumor novellorum erroris Zizaniorum, &c. Ubi poſtquam duas Chriſti naturas in una ſolummodò Verbi divini Perſona, atq; in uno filiò unitas, diſertiſſimè demonſtravit ex Armeniorum ejus temporis ſententia, illam hoc fine claudit: Hæc veſtræ Charitati direximus, veſtris permoti libellis, quos ad nos miſiſtis; ſignificantes, peſtiferos quoſdam homines, ac verborum portenta proferentes, in veſtram Regionem irruiſſe, ſtudentes perverſis ſcriptis, & oppoſitionibus falſi nominis ſcientiæ, ſimplicem ac puram

S. Procli epiſt. ad Armenios in tom. 1. Concil. in fine.

rectæ fidei speciem pervertere Sed ego vos iterum Beati Pauli verbis admoneo :* Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem nugacium hominum, & non secundum Christum. * Fundamentum enim aliud piæ fidei nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus JESUS.* State igitur in uno spiritu, unanimes collaborantes per fidem Evangelii, & in nullo terreamini ab Adversariis; sed custodite traditiones, quas accepistis à sanctis, ac beatis Patribus, qui apud Nicæam rectam fidem ediderunt; & à Sanctis, ac beatis viris, Basilio & Gregorio, & reliquis, qui cum illis eadem senserunt, quorum nomina sunt in libro vitæ.]

* *Coloss. 2.*
* *1. Cor. 3.*
* *Phil. 1*

Quæ quidem Procli epistola ad Armenios, quamvis catholica comperta esset, quòd Theodori Mopsuesteni, atq; Nestorii errores damnaret; multorum tamen commovit animos, præsertim Monachorum Armeniæ; eò quòd nulla in ea de ipso Theodoro à Proclo mentio facta esset, quid autem iidem Monachi adversus Theodori scripta egerint, Liberatus, ubi supra, narrat; qı em tamen cautè legendum esse, Baronius admonet: utpote qui ex aliquo Nestoriano eam videtur mutuatus historiam; quod in pluribus demonstratur. Et primò, dum refert, eosdem Armenos Monachos, insectantes Theodori Mopsuesteni scripta, fuisse Apollinaristas. Secundò, quòd ejusdem Theodori scripta edicto Theodosii Imperatoris probata fuerit. Tertiò, quod scriptis

Lib. Brev. Cap. 10.

Baron. t. 5. An 435.

Cyrilli

Cyrilli Alexandrini ipse Theodorus laudatus sit. Quartò deniq; quòd eadem scripta epistolis Joannis Antiocheni fuerint quoq; laudibus celebrata: quin etiam (quod est omniũ pessimum) ait, Concilium Chalcedonense, in relatione Synodica ad Marcianum, suscepisse, & confirmasse prædictas Joannis Antiocheni epistolas, quibus Theodorum laudabat.

Heretici Concilium Chalcedonense calumniantur

Verùm sicuti, in detegendo, ac refellendo tres priores calúmnias, haud quaquàm immorari debemus; cum & ipsis adhuc Armeniis earum falsitas satis perspicua sit: ita planè, quartam mendacii manifesti convincere, operæ pretium ducimus; ea quippe validè nunc armantur eorundem Armeniorum hæretici, ut Sacram Synodum Chalcedonensem ad illud crimen adducant, quo vel Nestorianæ impietatis argui possit: dum SS. ejusdem Synodi Patres non alio ipsi nomine, quam Nestorianos, appellant. Videamus ergo, quomodo Epistolas à Joanne datas, & ut Liberatus ait, laudibus Theodori refertas, Concilium Chalcedonense receperit, & confirmaverit? Hæc sunt verba ipsa Concilii, in relatione ad Marcianum, à Liberato citata: Si enim per epistolas Ecclesiæ dogmata declarari pro unaquaque quæstione, dignum culpa judicant: ipsum imprimis beatissimum Cyrillum quilibet poterit denotare, qui litteris suis Orientalibus, quod sentiebat, expressit. Nec non & magnum Proclum huic vituperationi subjiciet, qui eisdem Orientalibus volumen ad Armenios pro fidei congruentia destinavit.

Tom. 2. Concil. in principio 3. partis Concilii Chalc.

ſtinavit. Huic autem conſociabitur ad culpam & ſapientiſſimus Joannes Antiochenus Epiſcopus, qui Hæreticorum maledicta repellens, & Apoſtolica doctrinà religioſiſſimũ dogma declarans, totius Orientis confeſſionem, velut ex uno ore, ſanctiſſimo Proclo, & ei, qui per idem temp' Mundi regebat gubernacula, deſtinavit. Quibus quidem in verbis nulla Theodori Mopſueſteni fit mentio, ſed iſti tantum, tanquam magni nominis Epiſcopi in exemplum adducuntur.

Concilium Chalc. à calumnia vindicatur.

Nec eſt, quod dicere poſſint, cum probaverit Synodus Joannis Antiocheni epiſtolas, quaſi idem hoc eſſet, ac ſi conſenſiſſet laudib' Theodori, ejuſq; ſcripta probaſſet, nam liquidò conſtat, rectam in omnibus fidem dictis epiſtolis exhibuiſſe Joannem, nec repudioſum quid ex falſa Theodori doctrina illis admiſcuiſſe: adcò ut non potuerint eædem epiſtolæ à Proclo, atq; á Cyrillo, & ipſo Theodoſio Imperatore non recipi. Quod verò ad laudem attinet Theodori; non eum laudavit Joannes, præſertim in erroris auctorem; ſed putans, illum calumniam paſſum, dum ſub ejus nomine errores circumferrentur, tantummodo excuſavit, non eſſe Theodori, quæ nomine Theodori divulgabantur: ut ex ipſis Liberati verbis manifeſtè colligitur; ait enim: *Lib. ib.* Nihilominus & Proclus per Mennam Diaconum ſuum ipſi Joanni reſcribens, cujus eſſent illa, quæ Theodori dicebantur, quæſivit; qui, pro ejus excuſatione, ignorare ſe dixit: Nec ſanè mirum, quod Joannes Antiochenus,

ea ſcripta non eſſe Theodori, putaret; dum defenſores ipſius Theodori ita hoc ipſum ſeriò ſuadere contendebant, ut prudenter Proclus in Epiſtola ad Armenios eadem ſcripta refellens, nullam penitus de Theodoro habuerit mentionem, ut ſuprà dictum eſt. Cum verò detectum poſtea fuit, ea eſſe Theodori ſcripta, unà cum ipſo auctore damnata prorſus fuerunt ab omnibus Catholicis.

Ex Armena Hiſtoria

CAPUT IX.

Dominus Joannes Mantacunenſis, nobilis genere; annos 12. Hic primus ſacras Eccleſiæ Armenæ preces, & liturgiam miro ordine diſpoſuit, ac ampliavit; ediditque ad Dei gloriam Conciones, Orationes, Cantica ſpiritualia, & præcipuè illud, quod incipit, Domine Deus omnipotens. XIV.

XV. Dominus Papchen Vanantanus, ex Oppido Jotmuds; annos 5.

ANNOTATIO.

Joannes Mantacunenſis fuit vir in ſua natione ſapientia præditus ſingulari, propter quam & Philoſophi cognomen acceperat. Sacræ Synodi Chalcedonenſis decretum de duabus Chriſti naturis, ſub id ferè temporis editum (cui aliqui ex Armenia adverſari incipiebant, hortatu quorundam hæreticorum, ac præſertim Dioſcori Alexandriæ Patriarchæ,

Joañes Mantac. Arm. Patriarcha duarum Chriſti naturarum propugnator acerrimus.

chæ, quem in eadem Synodo damnatum, hæc verba ad Armenios scripsisse, mihi relatum fuit Constantinopoli á Cyriaco, Armeniorum Patriarcha Catholico, aliisq; gravibus viris, qui eadem in Armenis libris legerunt: O vos felices, & beati, dum Chalcedonensi Concilio, ubi plures hæreses stabilitæ sunt, minime interfuistis) Armenus hic Patriarcha Sanctorum testimoniis comprobavit, suæq; Ecclesiæ amplexandum proposuit: ut testatur Nierses Lampronensis, Armeniorum Episcopus, in oratione, habita ad Patres Concilii Tarsensis Armeni, de quo plura inferiùs suo loco, in ea namq; sic legitur: In hoc quænam nobis est materia contradictionis? idem enim est, Deum & hominem asserere Christum, ac dicere duas naturas. Et paulo post sequitur: Sed quare dicunt, nemo ad hodiernum usq; diem hoc nobis manifestavit? cum præcipuè multi ex nostris antiquis Patribus, Sanctorum imitatores facti, id ipsum dixerint; sed cum mores hominum ad oppugnandum totum id, quod veritatem præ se ferebat, tunc proni fuissent; declinantes à pace, verba ad inimicitiam provocantia dilexerunt. Verùm si non sic: ubi relinquemus verba Joannis Philosophi, & Patriarchæ, qui hoc ad nos, Sanctorum Patrum testimoniis traditum, admandavit? Ubi Jeseris Patriarchæ, suiq; concilii assensum? ubi concordiam Papchenis cum Ecclesia magna Græcorum? Sic ille, qui postquam de Joanne Mantacunensi Patriarcha habuit mentionem, plures alios illustres Armeniæ viros subjicit, cum

Nierses Lampr. in orat. ad Patres Concilii Tars.

Papchē Arm. Patriarcha conciliatur Ecclesia Græca tunc cū latina concordi.

cum Ecclesia Catholica adhuc post Schisma concordes, de quibus singulis, ut ordinatim procedamus, alibi suscipietur à nobis oratio.

Sed quisnam iste fuerit Papchen Patriarcha, qui cum Græcorum Ecclesia concordiam composuisse dicitur, nequaquam invenire potuimus. Enimverò non nisi unum tantummodo in præsenti Patriarcharum serie legimus extitisse Papchenem, jam nuper recensitum post antedictum Joannem: sed hunc, illum non esse, satis exploratum habemus; primò, quia nullum Armeniorum Patriarcham, usq; ad Niersesen Ascdarachensem, Patriarcham hæreticum, ab Ecclesia Græca, vel Latina discordem fuisse, ut concordiam cum iisdem inire opus haberet, ex ipsius Armenæ Historiæ contextu infrà constabit. Secundò, quia ista Papchenis concordia post, & nō ante concordiam Ieseris Patriarchæ suprà memorata est ab Episcopo Lampronensi. Tertiò tandem (quæ quidem est omnium potissima ratio) Mænologium Armenum, Papchenis Patriarchæ, qui cum Græcis unionem coivit, mentionem faciens, contemporaneum eum fuisse affirmat S Germani Patriarchæ Græcorum, qui creatus fuit Episcopus Constantinopolis anno salutis 714. * post duo ferè secula à tempore, in quo hæc contigisse narramus. Aut ergo Papchen, qui ab historico nostro post Joannem in serie collocatur, procul à suo loco aberrat: aut, (quod fortasse probabilius) alterum extitisse Papchenem, asserendum est, qui cum Græcis concordiam constituerit, & sub alio nomine

Menol. Arm. die 24. Julii

** Baron tom. 8. an. 714*

hac in serie positus, temporibus Germani respondeat. Sed quisquis ille fuerit; quæ in Armeno Mœnologio de ejus concordia referantur, audiamus:

Stephanus Siuniensis Episcopus (sic ibi habetur) ad Græcos profectus, attulit inde secum tres libros, qui fidei veritatem explicabant. Porrò sanctus Germanus, Constantinopolis Patriarcha, epistolam Armeniis destinavit, per quam ita eos monebat: quare vos non asseritis duas naturas in Christo, nec recipitis Concilium Chalcedonense; hæc quidem scripsit, & per Stephanum misit ad Armenios. Ut vero pervenit Stephanus ad Papchenem Armeniorum Patriarcham, ostendit ei Germani litteras; quibus lectis, præcepit ipsi Stephano Dominus Papchen, ut responderet litteris Germani; & scripsit vir eruditissimus Stephanus, compositione, ac ordine quidem peregregio, plurimas sacrarum scripturarum, & Sanctorum Patrum sententias in confirmationem adducens. Quæ omnia ubi legerunt Græcorum sapientes, consentientes scriptis, nimium laudaverunt veram, ac rectam Armeniorum fidem, hæresisq; immunem. Hæc in Mœnologio.

S. Germanus Episc. Constāt. Armenios ad conciliū Chalced. suscipiendum adhortatur.

In quibus tria præcipuè notanda sunt, sed duo pro certo habenda: unum est, Germanum Constantinopolis Patriarcham ab ipsis adhuc Armeniis, quos ille, ut Chalcedonense Concilium susciperent, duasque in Christo crederent naturas, hortabatur, sanctum appellari; (qualem revera fuisse, Ecclesiæ Latinæ, & Græcæ

Idem S. Germanus ab Ecclesia Armena suscipitur.

Græcæ teſtimonio confirmatur.) quin etiam illi memoriam ejus, quam in eodem agunt Mœnologio die 12. Maji, hiſce præconiis illuſtrant. Cum fuiſſet, inquiunt, Sanctus Doctor Germanus vitæ ſanctimonia celebris, omniq; ſapientia decoratus, nec non humilis ſpiritu, purus corde, pacificus, manſuetus, miſericors, pius, hoſpitalis, & amator pauperum; divina electione, communiq; Epiſcoporum & Patriarcharum conſenſu, creatus fuit Conſtantinopolis Patriarcha; evaſitq; ſtrenuus paſtor, ac veritatis fidei orthodoxæ Magiſter, Chriſto ipſi conſimilis. Quamobrem magnoperè mirari non deſino, quòd, hæc omnia in ſuo Mœnologio legentes Armenii, illorum hæreticorum, qui ipſos ad ſacram Synodum Chalcedonenſem rejiciendam, & duas Chriſti naturas demoliendas contra tanti Doctoris monita, impiiſſimè hactenus incitare præſumunt, non retundant audaciam, peſtilentia ora non obſtruant. Alterum eſt: ejus temporis Armenios, ac præ aliis Papchenem ipſum Patriarcham, procul dubio à conſilio non receſſiſſe Germani, ſcribentis; Quare vos non aſſeritis duas naturas in Chriſto, nec recipitis concilium Chalcedonenſe? Tum quia illum uti ſanctum & fidei Orthodoxæ præceptorem reverebantur; tum quia præfatus Nierſes Armenus, Epiſcopus Lampronenſis, auctor graviſſimus, & omni fide dignus, Concordiam Papchenis Patriarchæ cum Eccleſia magna Græcorum inde fuiſſe conſequutam, affirmat, tum deniq; quia Græci

Mœnolog. Ar. die 12. Maii

Armenios epiſtola Orthodoxæ Germani aſſenſiſſe oſtenditur.

quam maxime laudaverunt epistolam, ipsi Germano à Papchene rescriptam; & fidei Armenæ professionem, quæ ibi declarabatur, rectam fideiq; Catholicæ consentaneam tunc fuisse, asseruerunt. Quod plane haudquaquam facere potuissent, si aliquid virulentum, præsertim adversus Chalcedonense Concilium, aut duas Christi naturas, in illa pronunciatum epistola reperissent.

Armenorum hæreticorum fraus aperitur.

Ex veritate autem horum duorum falsitatem illius tertii, quod fraudulenta hæreticorum calliditas finxit, & Armeno inseruit Mœnologio, manifestè colligimus: hoc est, mendaciter subjungi, hanc eandem, à Græcorum sapientibus collaudatam epistolam, eam fuisse, quam Stephanus Siuniensis, Armeniorum Episcopus, scripsit ad Græcos, plenam omni blasphemia, & fœditate errorum. Circumfertur enim hæc ipsa inter Armenios sub hoc titulo: Epistola Stephani Siuniensis Episcopi, & Philosophi, rescripta Germano Constantinopolis Patriarchæ; eamque ipse legi insertam in Armenico Giarrentir: in qua hæreticus, Sanctorum Patrum authoritates depravans, ac divinarum oracula scripturarum pervertens, Sacrosanctam Synodum Chalcedonensem primùm oppugnat; mox unam in Christo naturam, voluntatem, & operationem stultissimè prædicat; quo tandem modo, per conversionem naturæ humanæ in divinam, unius portentosæ naturæ monstrum illud emerserit, explicare conatus, in has sacrilegas, & à quibus vel ipsi abhorrere profitentur Armenii, erumpit ineptias.

Stephanus Ar. Episcopus hæreticus.

Giarrentir: Ar. narr. 31.

Incarnatio, ait, totius ſanctæ Trinitatis fuit opus; Pater enim voluit, Spiritus Sanctus obumbravit, Filius autem, velut ignis, materiam in vaſe coagmentavit, ſeu tanquam coagulum lactis ſibi corpus in utero Virginis ex vero ſanguine condenſavit, porró corpus illud haud erat ſecundum ſe ſubſiſtens quidquam; ſed per divinam aſſumptionem promotum fuit ad eſſe corporis, propriâ licet naturâ informis; quia natura corporis facta eſt natura Dei; per hunc enim cœpit illud habere naturam. Quamobrem, licet ex corruptibili initium ſumpſerit, dicitur tamen incorruptibile corpus; quippe, ſolis inſtar, ad intemeratam veniens conceptionem, procul fugavit tenebras corruptionis, atq; ex utero puriſſimo lucem incorruptibilitatis accepit. Sic igitur quod aſſumptum fuit, factum eſt totum id, quod erat aſſumentis natura; ſimiliter & voluntas rei aſſumptæ & quicquid illius rei naturam conſequebatur. Quemadmodum lux candelæ, accedens ad ſplendorem ſolis, absq; eo quod auferatur, non remanet in ſuo ſuppoſito; ſed ſplendor intenſior vincens, in ſe ita convertit lucem debiliorem, ut nulla ſuperſit utriusq; lucis diſtinctio aut differentia: ad hunc prorſus modum nullus in Dei verbo incarnato humanæ naturæ, aut voluntatis, aut operationis numerus manſit; ſed quicquid in eo eſt, & voluntas & operatio totum divinum dicitur: quoniam ſimplex, & indifferens perſtitit Trinitas, & emerſa à materialibus. Hactenus perverſa Siunienſis deliramenta; quæ

Ex Epiſtola Stephani Siun. erroribus referta.

Naturam humanam converſam in divinā fabulatur Siunienſis.

4.Synod quæ jam in quarta, quinta & sexta universali
act. 5. Synodo damnata sunt, & à nobis in secunda
5.Synod parte distinctissimè refellentur. Scias interim
can 2. Lector, Armeniorum Ecclesiam, quamvis Ste-
6.Synod phanum hunc hæreticum, sanctum appellet,
act.4. in explicatione tamen erroris unius naturæ
& 17. cum eo non convenire. Asserit enim illa nunc (quicquid olim asseruisse dicatur ab aliis) unam in Christo naturam, non per confusionem alterius in alteram, uti blaterat fanaticus iste; sed per inconfusam compositionem uni⁹ cum altera, juxta sensum Acephalorum, quemadmodùm ex materia, & forma, una composita dicitur natura constitui, Ignorat sanè, quod ex duabus naturis completis nequit una componi; ut potest ex incompletis, ex potentia nimirum, & actu, qui quidem error inscitiæ est; ille verò prior malitiæ.

Exorat Nerse-sis Lam pronen-sis ad Pa tres Tar sensis Concilii qua ex-tat in actibus eju dē Concil.

Qui ergo fieri potuit, ut scriptum, tot, ac talia execrabilia continens, à S. Germano, aliisq; Græcorum sapientibus probatum fuerit, ac insuper collaudatum: Adde nec potuisse probari á Græcis epistolam illam, quæ vel ab ipsis Armenis Patribus Tarsensis Concilii rejecta fuit ut erronea, & Stephanus Siuniensis, ejus auctor, ut Zizaniorum seminator, & schismatis, atq; contentionum incentor, unà cum aliis hæreticis, Armenam Ecclesiam infestantibus, reprobatus. Constat hoc ex memorata superiùs Episcopi Lampronensis oratione, in eodem habita Concilio, à quo & ipsa oratio, & cætera decreta Synodalia, ad finem unionis Ecclesiæ Armenæ cum Græca ab eodē Epi-

Epiſcopo edita, confirmata fuerunt, in ea enim ſic ille ait;

Hinc proferunt aliqui verba, & miſerabili mente nos ad inimicitiam provocant: qui licet ex ſapientibus, charitatis tamen dulcedine inſipidi ſunt, fructus ſpiritus, ait Apoſtolus, eſt charitas, gaudium & pax; non autem iſtorum, quorum eſt ſchisma, invidia, ira, & contradictio; quæ nobis præſcribunt, ut ſeperemur in charitate à multitudine aliarum Chriſtianarum Nationum, à concordia, communicatione, & legibus Eccleſiarum illarum: proh divinæ legis negl ctio. Defl at nos Jeremias, aut alius ei ſimilis, queribundus Propheta Chriſtum Pacis mediatorem, fomitem odii, & contradictionis accepimus. Ecquomodò non digni lacrimis ſumus? caput anguli parietis unionis, fatui Prophetæ inſtrumentum diviſionis in medio noſtrum fecere Ecquomodò non defleant nos veritatis diſcipuli? quæ enim in finibus orbis Eccleſia Chriſti eſt, quæ Chriſtum Dominum, Deum & hominem non confiteatur? Quod ſi res ita ſe habet; quare igitur tanta in medio noſtri exorta eſt contradictio? qui bellum adverſus alias gerimus Nationes; opinantes, quod illæ, Chriſtum ex duabus naturis ineffabiliter unitum confitendo, ſubſtantias, ac proprietates dividant naturarum, & eſſentias, non quaſi unitas, ſed potiùs diviſas confiteantur: & hoc totum contendimus * ſive in Thevinenſi Concilio, ſive in Manaſchiertenſi ſive in Siunienſis Doctoris epiſtola, ſive in Scirachenſis, ſive in Daranenſis,

Armeniorum cæcitas deploratur.

** Adducuntur concilia bula & epiſtola Armen. hareticorum.*

ranensis, sive tandem in qualibet alia; ubi circa talem materiam pugna committitur adversus eos, qui Christum in personam divinam dividunt, & humanam. At vero Nestorii quidem opinio ista est, non autem Ecclesiæ Dei magnæ, & Throni Imperialis totius orbis, &c. Hucusq; Episcopi Lampronensis Oratio ; in qua, dum inter facinorosa Conciliabula , & alias Hæreticorum epistolas ista Siuniensis epistola recensetur ; & eadem, potiùs ut ad Schisma fovendum , quàm ad conciliandam concordiam apta, ab eodem Episcopo, quin ab universo Armeniorum Tarsensi Concilio explosa fuit ; profectò credendum non est, quòd ea mediante inita sit inter Græcos, & Armenos concordia , ut ipsi sunt Armenii in depravatis quibusdam libris perperàm eruditi. Quare per aliam sani dogmatis Epistolam, quæ à Græcis suscipi, ac laudari potuerit, unionem illam subsequutam, putamus; & fortasse ab ipsomet Papchene Patriarcha, uti decebat Germano rescriptam; quæ posteà ab hæreticis concordiæ inimicis, suppressa fuit; & loco illius dicta Siuniensis, erroribus referta, epistola in libris Armeniorum substituta.

Ex Armena Historia
CAPUT X.

XVI. DOminus Samuel Pesnuinanus ex oppido Anzchierræ annos. 5.

XVII. DOminus Muscæ Guodainus ex oppido Aghpieri, Annos 6.

Domi-

DOminus Isaac Harcanus ex Oppido Elichhighæ, annos 5. XVIII.

DOminus Christophorus Pacriavantanus ex Oppido Dirargi, annos 5. XIX.

DOminus Leontius Aghpieranus ex Oppido Puoccraresti annos. 2. XX.

DOminus Niérses Pacrievantanus ex Oppido Ascdarachensi, años 5. XXI.

Hic jussu Regis Persarum, ut Armenos separaret á Græcis, Synodum coegit in Civitate Thevin; cujus suffragio decrevit, festivitates dominicæ Nativitatis, & Baptismi esse simul una die concelebrandas; eò, quòd, sicut Christus erat simul conjunctim Deus & homo; ita pariter Nativitatem & Baptismum ipsius conjunctè uno die, & non pluribus divisim celebrari, fas esset. Præterea quoque superaddit Trisagio verba illa, qui crucifixus es pro nobis; prohibuit Armenis, ne Hierusalem amplius proficiscerentur: eosq; à Græcis segregavit. Occasione hujus Synodi, Georgiani, Siunienses, & quatuor Armeni ab unione cum cæteris Armenis seipsos retraxerunt; quanquam cum iisdem posteá iterum reconciliati sunt.

Armeniorum Thevinense conciliabulum, in quo schisma inter Armenam & Catholicã Ecclesiam primo completur.

AN-

ANNOTATIO.

Niersses Ascdarachensis Armeniorum primus Patriarcha schismaticus, & hæreticus.

Gregor. Sisen. Epistola ad Haytonem Regem Arm.

Albania, Provincia majoris Armeniæ.

** Concil Chalc. in fine primæ actionis*

Niersses Ascdarachensis, primus Patriarcha fuit, qui sanctam synodum Chalcedonensem detestatus, inter Armenam, & universalem Ecclesiam apertum schisma molitus sit, etenim post annum Christianum 500. Conciliabulo Thevinensi decem Episcoporum in Armenia convocato, jussu infidelis Persarum Regis, qui Christianorum divisionem, ad Armeniam sibi omnimodè subjiciendam, vehementer exoptabat, unam in Christo naturam, plerasq; eidem Sacræ Synodo Chalcedonensi repugnantes constitutiones stabilivit: Manseruntq; in hoc Schismate sex alii successores Patriarchæ usq; ad Ieserem Parrasnachiertensem exclusivè. Hujus conciliabuli mentionem faciens Gregorius Sisensis, Armeniorum Patriarcha, in Epistola ad Haytonem Regem Armeniæ, sic ait: Interroga denique Cœnobitas istos; quid narret Albanensis historicus? id planè, quod universo notum est Orienti; decem nimirum Episcopos in Thevinensi Concilio permutasse totam penè legem, quæ à Divo usq; Gregorio in nobis inviolata perstiterat: unam quippe naturam in Christo constituerunt; & Trisagium illud, Sanctus Deus, &c. quod sacrum * Concilium erga sanctissimam Trinitatem decantandum, decreverat, superaddentes, qui crucifixus es pro nobis, erga filium direxerunt. Hæc ad Haytonem Gregorius.

Pervaserat itaq; in Armeniam temporibus istis

iſtis nefandiſſima Acephalorum hæreſis, bellua, inquam, illa ſine capite; quæ pluribus tamen in Oriente prodierat armata capitibus, inter ſe quidem pugnantibus, ſed in ſuſcipiendis ſacrilegi Dioſcori partibus poſt infelicem ejus interitum, atq; in Chalcedonenſi ſacra Synodo oppugnanda, iniquiſſime fœderatis. Nec ſolum inferiorem Syriam, Ægyptumq; exitiali, peſtiferoq; plurimarum hæreſium flatu jam illa corruperat per Severum Antiochinum Epiſcopum, hominem execrabilem, caput immanis hujus Hydræ primarium, ex quo denominati ſunt Severiani; qui * poſtquam Antiochiæ in Religionem impiè debacchatus fuerat inſectatus à Juſtino Imperatore, ut inficeret pari morbo Ægyptios, fugerat Alexandriam: verum etiam alia plurima, ex hoc pullulantia, capita proferens monſtrum illud horribile, * nempe Julianum, ex quo Julianiſtæ, Gajanum, ex quo Gajanitæ, Theodoſium, ex quo Theodoſiani, Berſanium, ex quo Berſaniani, ad deniq; aliorum omnium peſſimum, Jacobum Syrum, ex quo Jacobitæ, maximam Orientis partem ſordidiorum errorum fæce conſpurcaverat.

Turpis enim Jacobus,* ejuſq; Sectarii, mortiferum impietatis ſuæ venenum apud Armenios evomentes, & Syros ſuperiores, illud eorum animis virus infixerant, Chalcedonenſe Concilium fuiſſe Neſtorianorum Conventum, ab eoq; deſtrui quæcunque SS Patres, præſertim Cyrillus Alexandrinus, contra Neſtorianam hæreſim conſcripſiſſent, & in tertio univer-

Acephalorum Monoſophytarũ hæreſis in Armeniã introducitur.

**Ex Liberato in Breviar. cap 19.*

**Vide Euthym in Panopl. parte 2. tit. 16. & 17. & Jo. Damaſc. lib de hæreſ.*

**Niceph l. 18 cap. 32.*

universali Concilio, Ephesino videlicet, decrevissent. Quibus, aliisque hujusmodi dolosis artibus, calumniis, atque mendaciis perditissimi Impostores illi incautos Armeniorum, Syrorumq; populos adeò dementaverant, ut plures obsequium se præstare Deo putarent, si adversus fidem Catholicam fortes, immobilesq; consisterent, eamq; vitæ quoq; dispendio oppugnarent. Hinc Armenii universi, tum ipsius Jacobi, tum posteà * Euchanii cujusdam Mandacunis falsis dogmatibus erudîti, Dioscorum, Eutychis collegam, uti Martyrem acclamare cœperunt, maledictis verò insectari Synodum Chalcedonensem, quæ illum damnaverat; mox præterea, cum omnibus Acephalis monophysitis concordes, unam in Christo naturam ex duabus factam esse post unionem, prædicare; cum Theodosianis Theopascitis, passibilem Filii Divinitatem asserere; atq; cum Julianistis, & Gajanistis Aphthardocitis, corpus Christi omnino incorruptibile, naturæque legibus minime obnoxium fuisse, fateri; quamobrem * laudantes Severum quoad cætera, in eo autem quòd Christi Corpus corruptibile dixerit, ipsum reprobarunt.

Eutym. in panopl. part. 2. tit. 20.

* *vide Catalogum hæreticorũ apud Armenios manuscriptum.*

Enimverò celebris eo tempore fuerat quæstio illa, Alexandriæ inter Severum, & Julianum, tametsi in impietate etiam tum concordes, exorta de corruptibili, & incorruptibili: quam Liberatus enarrans, hæc ait: Requisivit quidam Monachus Severum, quid oporteret dicere, corpus Domini Nostri JESU Christi

Liberatus in Brev. c. 19.

corru-

corruptibile, an incorruptibile? ille respondit, Sanctos Patres corruptibile illud dixisse. Hæc audientes quidam Alexandrinorum, cum requisissent Julianum, in alio loco sedentem, quid ipse diceret de eadem quæstione? ille dixit, Sanctos Patres contraria dicere. Horum itaq; singuli statuere proprium responsum volentes, scripserunt libros adversus alterutrum: qui venientes in multitudine Civitatis, Ecclesiam illam diviserunt; & alios quidem fecerunt Corrupticolas appellari; verum incorruptibilitatis assertores, Phantasiastas. Timotheus verò, Episcopus Alexandriæ, magis sententiam Severi sequutus est.

Dissensio inter Severũ, & Julianum

Et sanè quæstio ista, nullius licet ponderis, inter eos tamen Armenios, qui Catholicæ fidei adhærere student, adhuc videtur irresoluta; utpote qui æq; timent asserere, Christi Corpus fuisse corruptibile; cum scriptum sit, non dabis Sanctum tuum videre corruptionem; quare adhuc post mortem perstitit incorruptum: ac fuisse incorruptibile; cum famem, sitim, cruciatus, & ipsam quoq; vetissimam mortem, illud jam perpessum, fateantur, adeoq; in eâ hinc inde hæsitantes, implicitosq; eos sæpe numerò reperire, expertus sum ego ipse; ut multis rationibus vix potuerim, expulsa perplexitate, ipsorum intellectum in sani dogmatis certitudine confirmare. Non gravabor idcirco, ad solatium eorundem, S. Joannis Damasceni germanam hujus rei solutionem obiter huc afferre: nam graviores aliæ quæstiones opportuniorem à nobis discussionis locum postulant in secunda Parte.

Ps. 15.

Damas. apud Eutym. in pa-nopl. p. 2 tit. 16. Corruptionis nomen, inquit Damascenus, duplicem habet significationem. Significat enim humanas has affectiones, famem, sitim, laborem, clavorum ictus, mortem, seu animæ à corpore sejunctionem, & alia ejusdem generis: qua quidem significatione corpus Domini dicimus corruptibile; hæc enim omnia sponte suscepit. Significat etiam corruptio perfectam corporis in elementa, ex quibus compositum est, dissolutionem, & interitum. Hanc Domini corpus non est expertum; ut ait Propheta David: Quoniam non relinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Priore significatione dicere Christi Corpus ante resurrectionem incorruptibile, ut stulti homines, Julianus, Gajanusq; sentiunt, impium est. Nam si est incorruptibile, non est ejusdem essentiæ, qua nos sumus; & opinione, non veritate facta sunt, quæ narrat Evangelium, nempe famem, sitim, clavos, lateris vulnus, & mortem; quæ si opinione facta sunt, fictio & simulatio est humanæ salutis mysterium; & opinione, non veritate factus est homo; & opinione, non veritate servati sumus. Sed abeant, qui hæc dicunt, & salute spolientur. Altera verò corruptionis significatione Domini corpus incorruptibile, & ab interitu liberum confitemur; quemadmodum divini nobis Patres tradiderunt. Quanquam post resurrectionem priore etiam significatione Domini Corpus incorruptibile dicimus. Dominus enim per corpus proprium nostro etiam corpori resur-

Christi corpus corruptibile fuisse, quo sensu intelligendum sit.

rectio-

rectionem priore etiam significatione Domini Corpus incorruptibile dicimus.

Dominus enim per corpus proprium nostro etiam corpori resurrectionem, & posthæc incorruptionem largitus est: ipse resurrectionis, & incorruptionis, & impatibilitatis primitiæ nobis factus. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, ut divus ait Apostolus.] Hucusq; Damascenus. *1.Cor. 15.*

Et hæ quidem tunc temporis erant hæreses Armenorum; qui easdem unà cum prædicto Thevinensi Conciliabulo haud multò post in sua Charnensi Synodo detestati, ad pristinam unionem cum Ecclesia Catholica rediere; quamvis deinde in hos, & pejores errores iterum relabi, iterumq; resipiscere, frequenter consueverint; ut suo loco, & tempore dicendum occurret.

Illud verò præ cæteris animadvertendum hic arbitror: nimirum post tempora Chalcedonensis Concilii, quod planè sicut Ecclesiæ Catholicæ contra pestiferos Eutychetis errores antidotum tunc præbuerat salutis, ita postea è contrario incautis Armeniis perniciosissimi fuit occasio schismatis; tunc, inquam, ad ultimum pene excidium pervenisse non modò Regnum, verum etiam Ecclesiam eorundem Armeniorum, quæ adhuc quoad spiritualia, & Conciliorum celebrationes, Persis obtemperare miserrimè cogebatur; manifestum profectò divinæ ultionis indicium: quod non solum sacrosancti Armeniæ Præsules *, magnus Nierses, & religiosissimus Isaac, longè,

Armenii, concilium Chalced. repudiantes, à Deo puniuntur

*Vide supra, in pag. 57. 64. & 35.

ge ante prænunciaverant; sed & sanctus ipse Gregorius, Apostolus ejusdem Armeniæ, in fœdere unionis Romæ inito, juxta traditionem Armenam, cum Beato Papa Sylvestro, imprecatus fuerat illis verbis: Hoc autem fœdus, inter has duas initum nationes, firmum usq; ad sæculi consummationem persistat; quicunq; verò ab illo se subtraxerit, sit à sancta Christiana fide discussus; Cainique, Judæ, & Christicidarum Sacerdotum maledictionem incurrat.

Scenita, Gens vaga in Arabia deserta, vid. Plin. l. 6. c. 18. & l. 5. cap. 11. Niceph. lib. 16. cap. 35. Marcell. in Chronico apud Baron. t. 6. an 515. Cedrenus in Annal.

Porrò quid de præsenti Ascdarachensis, perversi Patriarchæ, tempore proferemus? Vix propemodùm ab execrabili ejus conciliabulo iniquæ damnationis sententia in Chalcedonense Concilium lata fuerat, & obrepere cœperat in Armeniam hæresis Acephalorum; cum iisdem ferè temporibus, Anastasio I. Orientis Imperium obtinente, Scenitæ barbari, inquit Nicephorus, incursionem in Mesopotamiam fecerunt; Armeniam quoque & utramq; Phæniciam populati sunt. Sed & anno salutis, 515. eodem Anastasio imperante, Hunni, ut testatur Marcellinus, Armeniam ipsam iterum affligentes; & Cappadociam, cujus Ecclesiæ Metropolitanus Episcopus erat Sotericus Cæsariensis, Eutychianorum Princeps, devastantes; usq; ad Lychaoniam pervenerunt. Nec pro scelere tanto soli Armenii, atq; Cappadoces, meritis pœnas tunc luere suppliciis; sed donec illi, refert Cedrenus, per Hunnos affligerentur, Alexandrini, qui canum instar oblatrare contra eandem sacram

Syno-

Synodum minimè desistebant, hæc itidem mala divinitus accidisse: Eodem anno, ait, Alexandriæ viri plurimi, itemq; mulieres & pueri, graviter à dæmonibus verberati, assiduè latrabant, in somnis autem cuidam terribilis quidam apparuit, dicens, Civibus hæc ob damnationes, in Chalcedonense Concilium editas, accidere.

Similia quoq; tradit Anastasius; qui insuper addit, hæc non sine fructu contigisse; siquidem eodem tempore Monachos hæreticos, recantantes palinodiam, scripsisse quatuor libellos contestationis; quorum duos Anastasio Imperatori, tertium Præfectis Provinciæ, quartum verò Joanni Episcopo Hierosolymorum obtulere; contestati, se Chalcedonensem sanctam Synodum amplexari, detestari verò Severum cum suis sectariis, & in promptu habere, mortem oppetere pro fide Catholica. Sed & Illyrici Episcopos, subdit, misisse Romam Catholicæ fidei confessionem ad Romanum Pontificem. *Anastasius Bibliothecarius in Chronico.*

At quid alia ego in Armenios cœlitus immissa flagella propter exitiabile schisma, & Concilii Chalcedonensis damnationem, pluribus nunc attexere nitar? dum hoc me labore levavit Nierses Ghelaiensis Armenus, sexagesimus tertius Patriarcha, atq; in ipsorum liturgia inter sanctos quoque commemoratus; qui ea omnia, singulisque illata temporibus, in suo elegiaco carmine enumeravit, amaroque deploravit animo, versibus hisce: *Nierses Ghel. in elegiaco Carmine n. 540. deplorat Armeniorum calamitates.*

Hæc nobis mala primi Patres nostri præsagientes vaticinati sunt: Di-

Divinam scilicet indignationem, quæ subinde exorsa, adhæc usq; tempora durat.

Nam statim Persarum Reges Armenis domibus dominati fuere,

Quique pauci manserant Principes, munitis in montibus conclusi.

Ecclesiæ nostræ igne consumptæ sunt juvenes earum in luctu dissipati:

Decor ornamenti sui deperiit, ut absconditum illud * sub nigro velo significabat.

** innuit visionē, Isaac Patriarchæ divinitus revelatam, ut superius dictum est.*

Tandem post multos annos imminuta sunt mala, Armeni spiritum resumpserunt;

Cum Regem habuerunt Pacratidem, qui in una Armeniæ parte dominabatur.

Sed iterum scelera nostra emerserunt, ac Gentem Meridionalem concitarunt.

Surrexit cum suis erroribus Mahometes, cæcus, & dux cœcorum factus:

Qui primùm Persarum occupans Imperium, Orientales subegit;

Deinde tanquam vorax ignis in nostram perniciem exarsit.

Posthæc è remotis, desertisque locis alia egressa est Natio:

Gens, inquam, Turcarum, ejusdem seductoris sectam sequuta.

Hæc in viginti quatuor divisa soboles,

Saracenorum, quorum Religionem profitebatur, potita est Imperio;

Mox diffusa per orbem, quicquid citra mare fuit, suæ subjecit ditioni.

Atque ossa nostra, à priori Gente illà pressa, & exhausta,

Veluti

Veluti Draco voravit, quasi Leo contrivit.

Innumeri namque fuerunt, innocens quorum sanguis effusus est;

Quique servituti addicti, aut venditione dati sunt mancipio;

Vel quorum opes direptæ in potestatem pervenere raptorum;

Vel qui omnino depauperati, ferreisq; catenis obstricti sunt.

Omittam, quod malum pejus, animarum inde jacturam consequutam,

Quæ aut à fide * desciverunt, aut pravis operibus inquinatæ sunt.

** Arm. à fide desci-visse di-cuntur.*

Ob nostra sanè crimina hac fuimus clade afflictati;

Quæ à sancto usq; Isaac suborta, non dum nobis fine clausa est.

Quoniam de terra, ubi nati sumus, ejecti, è Patria nostra propulsati,

In Oris peregrinamur alienis, omnium rerum nostrarum obliti.

Regionem nostram Exteri devorant in conspectu oculorum nostrorum.

Ab insanâ divexamur Gente, nec dum tamen à peccatis erigimur.

Sedes Pontificia, ex qua lux oriebatur, jam offunditur tenebris;

Procul ab ea facti sunt Rectores, per extraneas regiones errantes,

Gens, quæ Regali priùs gloriabatur corona, nunc plebejis postponitur.

Qui pluribus dominabantur Provinciis, panem ab esurientibus quæritant, &c. c.]

Patriarchalem Armeniorum Sedem tenebris offusam esse post Schisma, ait Ghelaiensis, Arm Patriar

Hæc Patriarcha Ghelaienſis Armenus. Atq; poſt illum, & quidem noſtram magis ad rem, easdem Armeniorum miſerandas calamitates, fructus hæreſis amariſſimos, inconſolabiliter iterum deploravit ſanctiſſimus Epiſcopus, Nierſes Lampronenſis, Oſcini Principis Armeniorum filius, & ipſe quoq; in eorum Mænologio celebratus; qui in oratione ad Patres Armenos Tarſenſis Concilii, poſtquam catholicos Armeniæ Patres recenſuit, ſummisq; laudibus celebravit; ſermonem convertens ad hæreticos, hæc alia proſequutus eſt:

Mænol. Arm. die 17. Julii. Nierſes Lampronenſis, in oratione ad Patres Armenos Tarſenſis Concilii

At quòd alii rurſus fuerint, qui adverſum hos contenderunt; & ipſe quidem ſcio, & verborum eorum virtutem agnoſco, nec ſum ignarus, quapropter & illos deprehendo, ſive ſanctos dicant, ſive doctos, in charitatis tamen lege, veritate minime decoratos: qui haud ſibi aſcripſere pro culpa, Eccleſiæ Chriſti unitatem animo perverſo deſtruere; unde & in hoc ipſum ſeſe merſerunt impudenter, quibus parcat Deus veſtris orationibus ſecundam hanc magnam peccatorum partem, & errorum; nec amplius peſſimum hujus illuviei malum augeſcere ſinat; cujus non alium inſpicimus fructum, niſi ſolum nominis Chriſti contemptum, & quo plures jam inquinatos intueor, & lacrimis ingemiſco; quia ex frequentiori uſu natura ipſorum odium facta eſt adverſus alias Chriſtianorum Gentes, & Eccleſias. Quapropter pravum inimicitiæ fomitem iniquis blaſphemiarum verbis exaturantes, Chriſto fieri videntur exigentia vindictæ.

Armeniorum hæreticorum pertinacia; & odium in Catholicos.

Omiſe-

O miseriæ calamitatem, quin & si acceptabilem articulorum fide confessionem ab aliis audiant; nolunt tamen in charitate humiliari; sed potiùs ad alias versi opiniones, si illi, inquiunt, nostra odio habent, idcirco & à nobis ipsi qu q; odio habeantur. Et quidem ab illis fortasse sese abduxit Tentator, & apud vos solummodò struit dolos, maximè, quia vos ab illis, non illi à vobis scissi sunt; vos illos, non illi vos ab initio dimisere: atq; ut Apostoli v rbis utar, vos oleaster sylvestris contra naturam excisi estis à bona oliva, non enim vos illos, sed illi potiùs, radix cum sint, vos olim portabant sufferendo; at tunc, cum non simus tales, quales anteà, infirmati sunt & illi ad legē amoris, hæc pro materia accipientes Et inferius it m. Rejicite procul à cordib' pravum thesaurum, qui nobis diversas peperit calamitates, sed quas? Ecquisnam eas valeat recensere? Hinc cœpimus esse sine Rege, sine Principatu, miserè sub Gentilium redacti dominium, constitutiones nostræ, sub schismate existentes, pravæ radicis germina pejora esse cœperunt. Populi nostri, insipientes; Principes, socii furum; Ecclesiæ, speluncæ, atq; alienigenarum tabernæ; aliaq; permulta, quæ quidem percurrere verbis, menteq; recolere, difficile admodum est. Et post alia demum. Præterea & aliis causis; quandoquidem illi Christianæ fidei & constitutionum Ecclesiasti arum ipsorumq; Apostolorum fundamentum, ac principium præ se ferunt, idque throno imperturbabili; nos autem quodcunq; habemus

Pœna Armeniis a Deo inflicta propter schisma

Beneficia à Deo collata Catholicis.

Hæc Patriarcha Ghelaiensis Armenus. Atq; post illum, & quidem nostram magis ad rem, easdem Armeniorum miserandas calamitates, fructus hæresis amarissimos, inconsolabiliter iterum deploravit sanctissimus Episcopus, Nierses Lampronensis, Oscini Principis Armeniorum filius, & ipse quoq; in eorum Mænologio celebratus; qui in oratione ad Patres Armenos Tarsensis Concilii, postquam catholicos Armeniæ Patres recensuit, summisq; laudibus celebravit; sermonem convertens ad hæreticos, hæc alia prosequutus est:

Mænol. Arm. die 17. Julii. Nierses Lampronensis, in oratione ad Patres Armenos Tarsensis Concilii

At quòd alii rursus fuerint, qui adversum hos contenderunt: & ipse quidem scio, & verborum eorum virtutem agnosco, nec sum ignarus, quapropter & illos deprehendo, sive sanctos dicant, sive doctos, in charitatis tamen lege, veritate minime decoratos: qui haud sibi ascripsere pro culpa, Ecclesiæ Christi unitatem animo perverso destruere; unde & in hoc ipsum sese merserunt impudenter, quibus parcat Deus vestris orationibus secundam hanc magnam peccatorum partem, & errorum; nec amplius pessimum hujus illuviei malum augescere sinat; cujus non alium inspicimus fructum, nisi solum nominis Christi contemptum, & quo plures jam inquinatos intueor, & lacrimis ingemisco; quia ex frequentiori usu natura ipsorum odium facta est adversus alias Christianorum Gentes, & Ecclesias. Quapropter pravum inimicitiæ fomitem iniquis blasphemiarum verbis exaturantes, Christo fieri videntur exigentia vindictæ.

Armenorum hæreticorum pertinacia; & odium in Catholicos.

Omisse-

O miseriæ calamitatem, quin & si acceptabilem articulorum fidei confessionem ab aliis audiant; nolunt tamen in charitate humiliari; sed potiùs ad alias versi opiniones, si illi, inquiunt, nostra odio habent, id circo & à nobis ipsi qu q; odio habeantur. Et quidem ab illis fortasse sese abduxit Tentator, & apud vos solummodò struit dolos, maximè, quia vos ab illis, non illi à vobis scissi sunt; vos illos, non illi vos ab initio dimisere: atq; ut Apostoli v rbis utar, vos oleaster sylvestris contra naturam excisi estis à bona oliva, non enim vos illos, sed illi potiùs, radix cum sint, vos olim portabant sufferendo; at tunc, cum non simus tales, quales anteà, infirmati sunt & illi ad legē amoris, hæc pro materia accipientes. Et inferius it m, Rejicite procul à cordib' pravum thesaurum, qui nobis diversas peperit calamitates, sed quas? Ecquisnam eas valeat recensere? Hinc cœpimus esse sine Rege, sine Principatu, miserè sub Gentilium redacti dominium, constitutiones nostræ, sub schismate existentes, pravæ radicis germina pejora esse cœperunt. Populi nostri, insipientes; Principes, socii furum; Ecclesiæ, speluncæ, atq; alienigenarum tabernæ; aliaq; permulta, quæ quidem percurrere verbis, menteq; recolere, difficile admodum est. Et post alia demum. Præterea & aliis causis; quandoquidem illi Christianæ fidei & constitutionum Ecclesiasti arum ipsorumq; Apostolorum fundamentum, ac principium præ se ferunt, idque throno imperturbabili; nos autem quodcunq; habemus

Pœna Armeniis a Deo inflicta propter schisma

Beneficia a Deo collata Catholicis.

bemus, ab illis mutuatum accepimus. Ii sapientiæ culmen adepti sunt, atq; à Paulo Apostolo irrigati, floruere: sacri etiam libri, qui apud nos, ipsorum sunt, & scripta, Patrum eorum. Illis thronum Regni, fidei Christianæ robur, & columnam, Christus largitus est: Apostolo attestante, quod cum ipsorum Principatus occiderit, Christi Regnum sempiternum dominabitur: nondum, inquit Romanorum auferetur dominium; nondum adveniet homo iniquitatis, filius perditionis, qui à Domino Jesu Christo disperdetur. Vides jam, quantum testimonium perhibeat Patriarcharum Apostolus, hæc dicens. Non quod ipse inter spiritualia, ac de Christi imperio gloriantes, secularem magnifaciam principatum; sed ut sapientibus ostendam, quòd illi & seculari potiuntur throno unà cum spirituali, voluntate divina. Quamobrem in Ecclesiæ ipsorum ordinibus decora est immutabilitas, ac mutationes quidem ad majorem gloriam Dei. Nos autem quot Reges insipientes fortitissim', aut quomodò fuerint Ecclesiæ nostræ leges à stultis Principibus confusæ, jam in historiarum libris eruditi estis: nec erubescere scripta debemus, ad finem correctionis, &c.]

Existimo S. Gregorium Armeniæ Episc. hic Apostolum appellari.

Hactenus divinus ille, perpete, perpetuoq; laudum præconio celebrandus, Lampronensis, totius Armeniæ decus, & corona. Cujus quidem verbis universa Armeniorum Synodus illa ad Schisma detestandum adeò permota fuit; ut, unionis cum Ecclesia Catholica perficiendæ desiderio, singula rectæ fidei dogmata,

mata, à Manuele, piissimo Imperatore, sibi proposita, lubenti, alacriq; animo susceperit, & amplexata fuerit. Quanàm verò de causa ad perfectum finem tunc res illa perducta non sit: ubi hæc omnia majori fulcientur testimonio, suo loco * dicetur.

** vide infr: in actibus Conc. Tarsensis, circa finem.*

Cæterùm, quod attinet ad reliquas illius Pseudoconcilii Thevinensis nugatorias sanctiones, de dominicis festis celebrandis, stulteq; apposita Trisagio appendice, & id quodammodò discutiendum hic erit. Otto Frisingensis Episcopus tradit, ab Armenis quoq; Legatis Eugenium III. Romanum Pont. monitum fuisse, festivitates Nativitatis, & Epiphaniæ Domini in Armenia, una simul die nempe 6 Januarii celebrari solere: qui sanè abusus in hodiernum usq; diem ibi firmiter retinetur: nec obstat, quòd in quatuor Armenis Conciliis generalibus eorum Ecclesiam semper advertisse deprehenderim, se in harum celebratione festivitatum errare, emendationemq; suscipere statuisse: & primò quidem in Concilio Charnensi, secundo in Tarsensi, tertiò in Sisensi, quartò demum in Adanensi, ut infrà in historiis, actibusq; horum Conciliorum videri poterit, trium præsertim postremorum, quorum acta afferentur integra.

Otto Frisf Episc. l. 7. c. 31.

Appendicem insuper illam, qui crucifixus es pro nobis, Trisagio primùm superaddidit, teste Nicephoro, Petrus Cnaphæus, & post illum deinde Severus, uterq; Antiochenus Episcopus, à quibus Theopascitæ. assertores scilicet passæ Divinitatis, duxerunt originem.

Niceph. lib. 18. c. 51.

Unde

Unde ter illud Sanctum Trinitati Divinæ adaptum, ita deinceps decantare maluerunt: Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus & Immortalis, qui crucifixus es pro nobis, miserere nostri. Hoc ipsum postea Jacobus Syrus derivavit in Armenos, ut idem Nicephorus Auctor est; ait enim: Jacobus, Syrus genere, Petri Cnaphæi, atq; Severi dogmata apud Syros & Armenos propagare cœpit. Additq; inferius: * Cnaphæi Petri Appendicem ter-Sancto Hymno annexam amplectuntur. Unde Niersès iste Ascdarachensis, Armenus Patriarcha, quem, ut ex Baronio conjicere valeo, prædicti Severi, atq; etiam Jacobi tempora attigisse, non dubitandum est, in sua Natione hoc item malum Conciliabuli auctoritate primò confirmavit.

Ibidem cap. 52.

** c. 53.*

Eadem deinde additio, quamvis Patres Armeni Charnensis Concilii, unionem cum Græcis coëuntes, illam à Trisagio removissent, ut patebit ex actibus Ieseris Patriarchæ, * qui ejusdem Concilii auctor fuit, iterum nihilominùs processu temporis ab Armena Ecclesia recepta est; adeò, ut, quando Græci ab Armenis Episcopis Concilii Tarsensis propter unionem denuo recollecti, petierunt, ut eam è medio Trisagii rursus auferrent: volumus, inquiunt, * ut sacrum Trisagium sine additione illa, qui crucifixus es pro nobis, concinatis; responderint Armeni, seipsos Ter sanctum illud non quidem erga Sanctissimam Trinitatem, sed in secundam duntaxat personam Filii incarnati dirigere, propria autem ipsorum responsio hæc est. Vix

** vide infra in actibus vigesoctavi Patriarchæ.*

** In actibus Concilii Tarsensis Armeni, proposit. 3.*

Vix ullius momenti, & minor quidem, quàm ut perfectissimæ vestræ sapientiæ scandalum parere possit, suspicio ista est, quin si in Christum diceremus, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, miserere nobis; scandalum fortè sumere, potius conveniret; quasi humanationis gratiam, & quam pro nobis ille subiit, passionem erubescentes abjuraremus: Verùm cum & hoc confiteamur gloriantes, ut inquit Paulus, mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini Nostri Iesu Christi; *ad Gal. 6.* cur mendaces existimamur à fratribus? Anne quia Deum crucifixum asserimus, & non Christum? sed quæsumus, ne in hoc offendatis: nam crucem adjecisse, sufficit ad illius humanitatem, quam mente concipimus, explicandam, & ad servandum nos ab omni passionis Divinitatis opinione remotos. Et post alia rursum: At quia exoptamus vel in hoc summa nostra voluntate Dilectionem vestram ædificare, processimus, & justo sanè modo, ad medendum in hac parte isti fratrum nostrorum suspicioni, ita in posterum erga Christum canentes Trisagium: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, qui incarnatus & crucifixus es pro nobis, miserere nostri, sicq; vestræ charitatis opinio dirigi poterit. ne additio illa, qui crucifixus es, in ipsam videatur Trinitatem, aut in Christum secundum Divinitatem acceptum à nobis referri.] Hucusq; Patres Armeni. *Eindè additionem ad catholicum sensum trahere student, id tuto fieri non posse ostenditur.*

Verum enim verò Fratres charissimi, esto contueri hoc modo valeatis vestram appen-

di-

dicem, abstinere adhuc ab ea nihilominus deberetis; primò, quia Trisagium illud, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sebaoth, non modo ante Christi passionem, Jsaiæ 6. verum etiam post illam, Apocalypseos 4. in honorem totius Sanctissimæ Trinitatis, & non solius tantùm Filii, sine additione illa cantatum est, & in æternum cantabitur in triumphanti Ecclesia, cui Ecclesia militans debet concordare. Hujus autem rei testimonium perhibet Sanctus Athanasius; qui, cum Seraphini, ait, glorificant tertiò, dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sebaoth, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum gloria afficiunt. Et Damascenus hæc fatur; quod non de Filio duntaxat, sed de Sancta Trinitate dictus sit ille ter Sanctus hymnus, testantur divus, & Sacer Athanasius, Basilius, Gregorius, ac totus divino numine afflatorum Patrum Chorus.

Athan. in orat. de Incarn. & Trin. cujus initium est: qui maligne

Damasc. de ter-Sancto hymno, lib. 3. cap. 10.

Secundò, quia hoc eodem sensu acceptum, concinit etiam sacrum eum hymnum universalis Ecclesia, à qua minimè vobis dissentire licet. Tertiò, quia adjectio illa instituta primo fuit ab hæreticis viris, ut supra dictum est, & ad hæresim Theopascitarum comprobandam. Quartò, quia vos ipsi percinitis interdum Sacrum Trisagium cum eadem additione, non erga Filium modò, vero & universam sanctissimam Trinitatem: quod sanè maximum est inconveniens Ut cum Sacerdos inter Missarum solennia, postquam dixit: Sanctus Deus, sanctus fortis, Sanctus & immortalis,

in Armena Liturgia.

talis, qui crucifixus es pro nobis, miserere nostri; immediatè prosequitur: Deus Sancte, qui in Sanctis habitas, & voce Ter-Sanctus à Seraphim celebraris, & á Cherubim glorificaris, atq; ab omni cœlesti virtute adoraris; qui Creaturas omnes ex non esse ad esse produxisti; qui creasti hominem ad imaginem, & similitudinem tuam: Tu Domine suscipe ex ore nostro, qui peccatores sumus, Ter-Sanctum Hymnum, &c. Quinto demum, quia idem hymnus sine præfata adjectione, nobis divinitus confirmatus fuit, eo miraculo, quod Nicephorus fusè describit: atq; ante illum S. Joannes Damascenus, quem Armena Ecclesia præcipuo honore veneratur, breviter his retulit verbis, *Niceph. lib. 14. c. 46. Damas. loc. cit.*

Cum Plebs Constantinopolitana ob minas quasdam, Proclo Archiepiscopatum obtinente, divinitus intentatas, supplex Deo preces adhiberet; puer quidam è plebe in sublime raptus fuit, atq; Angelis quibusdam Magistris Ter-Sanctum hunc hymnum didicit: Sanct' Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, miserere nobis Cumq; ad se rediisset, atq; id, quod didicerat, retulisset; multitudo universa hunc hymnum cecinit; atq; hoc pacto impendens periculum conquievit. Quin in sancto & magno, ac universali IV. Concilio, quod Chalcedone coactum est, ita cantatus fuisse hic hymn' traditur: sic enim inter hujusce sancti Concilii acta refertur. Quamobrem ridiculum sanè fuerit, illum ab Angelis proditum, & incumbentium malorum depulsione con- *Concil. Chalcedonense in fine primæ actionis*

firmatum, & tot sanctorum Patrum Concilio comprobatum, ac priùs etiam à Seraphim decantatum, Ter-sanctum hymnum, utpote quo tres Deitatis personæ declarentur; Cnaphæi stulta, ac nulla ratione nixa opinione, tanquam scilicet ille Seraphim antecellat, obteri, ac (si superis placet:) emendari. O insignem arrogantiam, ne dicam amentiam. Nos verò (disrumpantur licèt etiam Dæmones) ita dicimus: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis.] Hactenus Damascenus; qui ad idem confirmandum citatur etiam à Gregorio Sisensi Armeniorum Patriarcha in epistola ad Haytonem Regem Armeniæ, quæ à duobus Armenis Conciliis, Sisensi scilicet, & Adanensi approbata fuit: ut videbimus infrà.

Greg. Sisen. in Epist. ad Haytonem.

Ex Armena Historia

CAPUT XI.

XXII. DOminus Joannes Capieghinus ex Oppido Zieghuani, annos 15.

XXIII. DOminus Moyses Aracazuodanus ex Oppido Jeghivartæ, annos 30. Hujus mandato, Turcomannorum annorum computatio, tempore Miesgesci Chenuni, in Armeno Calendario posita est. Referunt nonnulli, eundem Patriarcham in Urbe Thevin, post Niersesem, alterum celebrasse Concilium,

Ex hoc tempore initium sumit Millesimus Armeniorum.

lium; ejusque auctoritate confirmasse in Trisagio additionem illam, qui crucifixus es pro nobis.

ANNOTATIO.

ARmenii utuntur peculiari computatione Millesimi, quæ tempore Moysis, vigesimi tertii Patriarchæ, incepit ab anno Christi 551. qui quidem numerus, si Armeniorum addatur Millesimo, efficitur annus Christianus.

Hoc ergò Patriarcha Ecclesiam Armenam regente, dum universalis Ecclesia anno à Christi Nativitate 553 in V generali Synodo definitioni Chalcedonensi stabiliendæ, roborandæque dedita esset, Armenia in oppositum, iteratis Conventiculis, ad eandem oppugnandam definitionem, atque ad hæresim Monophysitarum, & Theopascitarum firmandam, sua quoque studia conferebat. Intereà non cessabat Deus improbam ejus audaciam meritis pœnis retundere, dignaque animadversione punire. Etenim anno posteriore 572. eodem forsan in Armena Cathedra perseverante Pontifice, illam incolentes Regionem adeò crebris, gravissimisq; affligebantur angustiis, atq; molestiis à Chrosroë Rege Persarum, ut legatos miserint ad Justinum II. Imperatorem, quærentes, sicut olim erat, Romani Imperii subjici ditioni: quod & his verbis narrat Evagrius.

V Synodus generalis.

Evagr. hist. l. 5.

Ex magna Armenia [quæ posteà Persamenia dicta, anteà Romanis subdita fuerat, à Philippo autem Gordiani successore Sapori

prodita; minor interim Armenia Romanis, reliqua verò universa Persis subjecta erant] qui Christianam fidem colebant, quoniam à Persis malè affligebantur, præsertim propter consuetam ipsorum Religionem, clanculùm ad Justinum legationem miserunt, orantes, ut Romanis subjicerentur, ut libere sine ullo impedimento Deum honorare possent. Justino hoc illis promittente, & nonnulla in literis hac de re pollicitatione facta, eaq; gravi juramento affirmata, Principes suos Armeni interimunt, & passim ad Romanum Imperium accedunt; secumq; vicinam cùm cognatarum, tum alienarum gentium Regionem trahunt, operâ Vardani utentes, qui apud eos & genere & dignitatē bellicarumq; rerum experientiâ præcellebat. Itaq; conquerentem ea de re Cosroën Justinus hac ratione rejecit; pacem, quæ inter ipsos fuerat, terminatam esse; fieriq; non posse, ut Christiani, tempore belli ad Christianos confugientes, deserantur. & hæc quidem respondit; verùm intereà ad bellum sese non parabat; sed consuetis deliciis immersus, voluptatibus suis omnia posthabebat.] Sic Evagrius.

Armenia Persis ad Romanos deficiunt

Talis autem Justini Imperatoris ignavia supra modum Chosroæ animos excitavit; qui [ut idem latè prosequitur Auctor] prælio cum eodem Imperatore derepente commisso, post devastationem Syriæ, & expugnationem Daræ, Armeniam tempore æstivo invadit; indeq; iter versus Cæsaream, primariam Cappadociæ urbem, suscipit: adeoq; crebris elatus victo-

Ibid. c. 14. & 15.

Persæ invadunt Armeniam.

riis insolenter se gerebat adversus Romanum Imperatorem, ut cum hic Legatos ad eum misisset, ne illis quidem adeundi potestatem facere dignaretur, sed eos Cæsaream usq; sequi juberet ubi de eorum Legatione se consilium initurum, dicebat. Verùm extemplò superbum vicit hominem Tiberius Imperator, Justini successor, qui eum primo impetu ita penitùs ad perniciem profligavit, & in fugam convertit, ut etiam mœrore afflictum mori cogeret, ac morientem, veluti sempiternum suæ fugæ monimentum post se legem relinquere, ne Rex Persarum in posterum arma ferret contra Romanos. *Tiberius Imperator fugat Chosroen Reg. Pers.*

At nec silentio prætereundum hic est, [res alioqui miranda] ab ipsis etiam Armeniis, post eorum schisma, & Concilii Chalcedonensis repudium uti sanctissimum Ecclesiæ Patrem, ac Doctorem suscipi, & in Ecclesiis suis concelebrari Gregorium Magnum Papam; qui tempore Mauritii Imperatoris, successoris supradicti Tiberii, cœlesti planè sapientia, & admirabili sanctitate universam simul cum Romana regens Ecclesiam, quatuor Conciliis generalibus, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi, tanquam quatuor Evangeliis, honorem haberi traditur voluisse. Nec Armenios quidem id latere debere, dum illius acta in suum fuisse idioma translata, ipsorum testatur Mænologium die 17. Julii, ubi sic habetur: Niersès Lampronensis ex Græco vertit in Armenum historiam sancti Gregorii Papæ Romanorum, & Regulam Be- *Armeni suscipiunt Gregorium Magnũ Papam.* *Mænol. Arm. die 17. Julii.*

nedicti, apud eosdem Romanos observatam. Immo [quod mirabilius est] ritum conferendi ordinis Sacramentum ab eodem se suscepisse Summo Pontifice, ipsi adhuc Armeniorum hæretici gloriantur, teste Gregorio Cæsariensi, Armeno Doctore, & Concilii Chalcedonensis hoste infensissimo; qui arguens per epistolam Moysen, Armeniorum Patriarcham catholicum, quòd Ecclesiæ Romanæ conciliatus, eidem per Crucidatum Legatum obedientiam præstitisset, hæc illi, præter alia, scripsit: Quamvis Armeniorum Ecclesiæ ritum conferendi Ordines à Gregorio Papa suscipiant, ut in nostro Rituali manuum impositionis compertum habetur; quoniam eo ritu [scilicet ab ipso nobis tradito;] accipimus eorundem Ordinum potestatem: in ritibus tamen Missarum, & aliarum Orationum cum Romanis minimè concordemus. Hinc ergo perspicimus, Armenam Ecclesiam Chalcedonense Concilium reprobantem, manifestæ contradictionis convinci; eos enim suscipit Doctores, ac dignè vocitat sanctos Patres, Magnum nimirum Gregorium Rom. Pont. & præterea, ut superius dictum est, Germanum Constantinopolis Patriarcham; quorum tamen doctrinam, consiliumq; de Chalcedonensi Synodo recipienda, immeritò se profitetur respuere. Sed hujusmodi discrepantiis, ulterius procedentes magis magisq; obvolutam, nisi in melius corrigetur, eam deprehendemus.

Greg. Cæsariens. Arm. in Epist. ad Moysen Arm. Patriarcham.

Ecclesia Armena conformatur cum Latina in ritu conferendi Ordines.

Interim ut clariùs innotescat, Armenios, in ritu conferendi Ordines, cum latinis magna

saltem

ſaltem ex parte conformari; [qua quidem in re graviſſima, & ſi non eà qua deceret, conſummatione perfectionis, laudabiliùs tamen ac tutiùs videntur ipſi, quam Græci, ſe gerere] præcipuas verborum formulas, rerumq; materias, quibus illi in hujus adminiſtratione Sacramenti utuntur, huc afferemus, eas enim Conſtantinopoli, ut Sacræ Congregationis de prop. Fide, id mihi per literas committentis, mandatis obtemperarem, eodem ordine, iisdemq; verbis exſcripſeram ex vetuſtiſſimo Rituali Armeno, quo eorum Epiſcopos in ordinibus conferendis uſos, ipſe priùs videram in Armena, quæ inibi extat, Eccleſia Patriarchali; atq; Romam ſimul cum ſequente miſeram translatione latina.

Initium Ordinum pro Clericis faciendis.

Inter Miſſarum ſolennia, poſt orationes nonnullas, & cæremonias, Pontifex Armenus incidit capillos Oblati in 4 locis ad modum crucis, dicens: Erige aures, totoq; animi conatu intellige, quod modularis ore, fac, ut corde credas: & quæ corde credidiſti, eadem opere exhibito; ut in horum capillorum tonſura, à te terreſtre deſiderium ſeculi præcidatur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. *Ritus conferendi Ordines, ſecundū Eccleſiam Armenorum.*

Tum poſt alias preces, & hymnorum cantum, tradit Oblato ſcopas, dicens: Accipe poteſtatem mundandi Eccleſiam Dei: ac ſimul mundet te Dominus à peccatis, quæ committere potuiſti, in nomine Patris, &c.

De Ordinatione Ostiarii
Primus ordo

Post orationes, &c. Pontifex accipit, & tradit Clerico claves Ecclesiæ, dicens: Sic age, quasi redditurus Deo rationem hujus muneris, & earum rerum, quæ his, tibi commissis, clavibus recluduntur, esto vigilans, & ora, dum apperis, & claudis ostium Ecclesiæ.

Deinde procedunt omnes ad januam Ecclesiæ; ubi Diaconus ter dicit Pontifici: Doce hunc, & Pontifex, ponens clavem in sera, ter quoq; dicit Ordinando: Sic age, quasi redditurus Deo rationem, &c. ut supra.

De ordinatione Lectoris
Secundus Ordo.

Post orationes, &c. Pontifex tradit Oblato librum Epistolarum, dicens: Accipe librum hunc, & esto verbi Dei relator, & conscius ejusdem; habiturus, si recta mente, & spiritu impleveris officium tuum, partem cum cœtibus Sanctorum, & amatorum Dei, & tu frater eris lector in domo Dei, ordinem habes, cui diligenter satisfacies, Deus, qui affluens est, det tibi gratiam suæ misericordiæ, per Dominum nostrum Iesum Christum, nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen, &c.

De Ordinatione Exorcistæ
Tertius Ordo.

Post orationes, &c Pontifex tradit Ordinando librum, in quo scripti sunt exorcismi, dicens: Accipe, & commenda memoriæ, quæ hic

hic scripta sunt, do tibi potestatem imponendi manus super Energumenos, & faciendi, ut venientes ad baptismum, abrenuncient Satanæ, cum gratiarum actione glorificabis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen. &c.

De Ordinatione Acolyti, Quartus Ordo.

Post orationes, &c. Pontifex tradit Oblato candelabrum cum candela, dicens; Accipe ceroferarium cum cereo; & scias, te accendendi luminaria potestatem habere.

Similiter accipit, & tradit ei urceolum vacuum, dicens; Accipe urceolum hunc, ad suggerendum vinum calici pro sanguine Christi, &c.

De Ordine Subdiaconi, Quintus Ordo.

Post lectionem Epistolarum Prophetarum, & Apostolorum, nec non Evangeliorum, Pontifex imponens dexteram super caput Oblati, legit orationem, in cujus medio sic prosequitur. Vnde Servus hic tuus, imitator factus Sanctorum Apostolorum, hunc ordinem concupivit! quapropter obsecramus te, benefice, & multùm misericors Deus; exaudi preces nostras, & respice ad orationes omnium nostrorum; & hunc famulum tuum N: quem elegisti, & vocasti ad ministerium tui sacri altaris, & ad lectionem divinorum mandatorum tuorum, sanctum in sua vocatione custodi, Domine fortis, & omnipotens: dignum fac

eum, qui cum ſapientia, & intellectu divinas lectiones tuas mente percipiat, & opere compleat: ſerva eum ab ignominia, & pravitate, ut ad magnum Diaconatus ordinem mereatur tempore congruo pervenire: concede ei manſuetudinem, humilitatem, & modeſtiam: ſpira in eum Sanctum Spiritum tuum, ut dignus ſit divinas res meditari die ac nocte; libera eum à vaniloquentia; & præſta per miſericordiam, & pietatem Chriſti tui, ut Eccleſiæ tuæ ſanctæ miniſtret, te enim Patrem, cum Filio, & Spiritu tuo ſancto decet gloria, imperium & honor, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Tum proſequens alias preces, induit eum veſtibus Subdiaconi, poſteà tradit illi calicem cum patina, dicens: Vide, ad quod myſterium vocatus fuiſti; quoniam ab ultimo miniſterio, in quo eras, ulteriùs promotus es, vigilans eſto deinceps in miniſtrando, nec torpeſcas ignavia: & de pane propoſitionis, quem dedit Chriſtus Eccleſiæ panem vitæ, diligenter adverte, ut tantum adducas in altare, quantum populo ſufficere poſſit ad communionem, in catino, ubi corporalia lavas, nullum aliud linteamen debet levari; ipſaq; lotionis aqua in Baptiſterium debet vergi, in quo & catinum ipſum lavabis. His ergo te moneo; ut officium tuum diligentiſſimè exequens, acceptus inveniaris Deo, & Domino noſtro Jeſu Chriſto, quem decet gloria, Imperium, & honor, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum, Amen, &c.

[Hic

[Hic deberet Armenus Pontifex, quod inconsultè prorsus omittit, juxta ritum Ecclesiæ Romanæ tradere ordinando librum Epistolarum, ac dicere: Accipe librum Epistolarum; & habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis. quàm pro defunctis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen:]

De Ordinatione Diaconi.

Sextus Ordo.

Post cantum Psalmorum, & alias preces, astant Subdiaconum ordinandum ante Pontificem, cui Diaconus dicit. Sancte Pater, postulat à te sancta mater Ecclesia; ut ordines nobis N. Subdiaconum, quem offerimus ad onus Diaconii. Pontifex interrogat, dicens: Scitis, illum esse dignum, bonis moribus præditum, ex sancto matrimonio natum, & sapientiam ac sanctitatem habere? Respondet Sacerdos quidam ex circumstantibus: Quantum humana fragilitas nosse sinit, & scimus, & testificamur, ipsum dignum esse ad hujus onus officii, & sapientiam & sanctitatem habere.

Tunc Pontifex crucem signat versus illum, dicens: Per gratiam Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, vocamus N. Subdiaconum in ordinem Diaconii, quapropter deprecemur hominum amatorem Deum, ut eum splendore præfulgere faciat hunc donis sanctitatis suæ, per Dominum nostrum Iesum Christum, quem decet gloria, &c.

Et

Et post alias orationes, ponit dextram super caput illius, dicens: Domine Deus Omnipotens, Pater Domini nostri; servus hic tuus colla tibi subjecit animæ, & corporis; extende invisibilem dexteram tuam, & benedic eum, ut dignus sit, vocari ad ministerium Ecclesiæ Sanctæ, & accipere gratiam ad similitudinem dilectorum tuorum; qui eam affluenter fidelibus tuis juxta ordinem uniuscujusq; largiris, ad serviendum tibi Deo vero. Concedatur huic, dignum fieri, qui terrena despiciat, & gratias tuas uberrimas prædicet, & Evangelii pacem, ad gloriam sanctissimæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Similiter post alias preces iterum imponit manus super caput ejusdem, dicens: O divina & cœlestis gratia, quæ semper adimples ministerii Ecclesiæ Apostolicæ indigentiam, voca N. è subdiaconatu ad officium Diaconii, & ejusdem Ecclesiæ Sanctæ ministerium, juxta testificationem sui ipsius, & omnis populi hujus. Ego manus super mpono: vos autem omnes orate, ut dignus sit hic, Diaconatus ordinem, ante hoc sanctum Domini altare, intemeratum custodire.

Tum aliis præmissis precibus, induitur Oblatus vestibus Diaconi; & Pontifex ponens super humerum ejus sinistrum stolam, dicit: Accipe puram & sanctam stolam de manu Domini nostri Jesu Christi; & esto mundus ab omni fraude peccati ante faciem ejus. Vita tua & mores tui ita exemplum præbeant fide-

lipo-

li populo huic, ut te illud videant operari, quo pervenire poſſis ad vitam Chriſti.

Deinde tradit ei librum Evangeliorum dicens: Accipe poteſtatem legendi ſanctum Evangelium in Eccleſia Dei ad aures vivorum & commemorationem mortuorum, &c.

De Ordinatione Presbyteri

Septimus Ordo.

Iisdem expletis cæremoniis & teſtificationibus de aptitudine dignitateq; Oblati, quæ ſuprà in inceptione ordinationis Diaconi poſitæ ſunt: nec non aliis fuſis precibus, &c. Pontifex imponit dexteram ſuper caput Ordinandi, dicens: Domine Deus omnipotens, omniũ conditor, redemptor, ac vivificator humaniq; generis reparator; qui infinita beneficentia tua gratias, & dona viſibilia, & inviſibilia Eccleſiæ tuæ ſanctæ largiris! & nunc deprecamur tuam erga homines beneficam charitatem; concede huic famulo tuo, ut ordinem presbyterii per hanc vocationem, & manus impoſitionem ſuſcipiat; digneq; Spiritum Sanctum tuum, & regiminis donum mereatur accipere, per gratiam Domini, & Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti; qui vocavit omnes vocatione ſancta juxta unumquemque ordinem, ad ſerviendum Deo, & glorificandum cum gratiarum actione Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, nunc & ſemper, &c.

Tum ſecundò, atq; tertiò iterum ponit dexteram ſuper caput ejuſdem, dicens alias ſimiles orationes, poſt hæc reflectit ſtolam ab

humero

humero sinistro illius, & imponit super dexterum, dicens: Accipe jugum Domini nostri Jesu Christi; jugum enim ejus suave est, & onus ejus leve.

Deinde post diversas Epistolarum, & Evangeliorum lectiones, aliásq; preces & cæremonias, imponit mitram incurvam super caput ejus, dicens: Accipe galeam salutis de manu Domini nostri Jesu Christi. Similiter & amictum super humeros illius dicens; accipe thoracem justitiæ de manu Domini nostri Jesu Christi. Posteà induit illum casulâ, dicens: Dominus noster Jesus Christus induit te vestimento salutis; & indumento lætitiæ, renovatum in decore novæ & spiritualis vitæ.

Prætereà ligat eum cingulo, dicens: Accipe potestatem à Spiritu Sancto ligandi, atq; solvendi; quam & Dominus noster Jesus Christus dedit sanctis Apostolis, dicens: quodcunq; ligaveritis super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunq; solveritis super terram, erit solutum & in cœlis.

[Pontifex Armenus tradit nunc Oblato potestatem absolvendi á peccatis; existimans, illum jam accepisse sacerdotalem characterem; sed tutius traderetur hæc in fine, post collatam potestatem conficiendi corpus, & sanguinem Christi, juxtà ritum Ecclesiæ Romanæ; quæ in eà conferenda, præcipit, ut Pontifex ambas manus imponat super caput nuper ordinati Presbyteri, dicens: Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis; & quorum retinueris, retenta

sunt

sunt. His enim verbis Christus, post resurrectionem à mortuis, eam dedit potestatem omnibus, & singulis Apostolis, quos anteà in cœna Sacerdotes instituerat. Verba verò, ab Armeniis hic usurpata, dicta fuerunt à Christo ante cœnam, & duntaxat Petro, ad constituendum illum caput Ecclesiæ.]

Post hæc, Clero hymnum canente, ungit eum oleo sancto in manibus, & in fronte, dicens: Domine Deus noster, qui manus hasce sanctitate, & benedictione unxisti; quæcunq; istæ benedixerint, tu benedic; & quicquid manus istius consecraverint in nomine tuo, tu confirma, & perfice: ut sint roboratæ per gratiam Domini nostri Jesu Christi; quem decet gloria, imperium & honor, nunc, &c

Deinde tradit illi calicem cum vino, & patinam superpositam cum hostia, dicens: Accipe, suscipe: accepisti enim potestatem consecrandi, & conficiendi sanctum Sacrificium, in nomine Domini nostri Jesu Christi, tam pro vivis, quàm pro defunctis.

[Tutiùs diceretur, juxta morem Ecclesiæ Romanæ; Accipe potestatem, offerre sacrificium Deo, Missasq; celebrare, tam pro vivis, quàm pro defunctis. in nomine Domini: A.]

Tandem Pontifex benedicit novum Presbyterum, dicens: Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, descendat super te; qui jam perfectus es in Ordine Sacerdotali, ad offerendum propositionem corporis & sanguinis Christi pro pace, & remissione peccatorum. A. Et in fine Missæ impertitur novo Sacerdoti comunio Corporis, & Sanguinis Christi.

Ex Armena Historia

CAPUT XII.

DOminus Abraham Rusdunianus ex Oppido Aghpatani, annos 25.

Tempore istius Jberi, & Colchi ab Armenis divisi sunt; atq; Sacrosanctum Chalcedonense Concilium suscipientes, Græcis adhæserunt, cujus rei auctor fuit Cyrinus, Jberorum, atq; Colchorum Patriarcha, Catholicus nuncupatus.

ANNOTATIO.

QUoniam sub hoc adnotanda capite, præsertim circa errores aliarum Nationum, nullo fore videntur emolumento Armenis Lectoribus; eorum idcirco omittimus consultò Armenam translationem.

Jberorum ergo, atq; Colchorum Populi, qui vulgò Georgiani dicuntur, & Mengrellenses, nunc temporis ex Armeniorum, magno quidem numero apud ipsos degentium, communicatione, ac societate retracti, eosdem deinceps, Græcorum impulsu, tanto sunt odio prosequuti, ut veteri proverbio dicere soliti sint: [quod ego hisce priùs auribus ab ipsis acceptum Jberis, posteà traditum quoq; reperi à Belvacense in spec. hist.] Si quis nostrûm spinam in pede infixam habeat; transiens ante Armeniorum Ecclesiam spinam illam sustinere debet, nec se ad pedem suum,

Vincen. Belvac. in spec. hist. l. 4. cap. 98.

eam evellendi ſtudio, inclinare; ne per hoc videatur, ante Armeniorum Eccleſiam, ab omnibus Chriſtianis vilipendendã, inclinari.

At de ſtatu Chriſtianitatis apud Jberos, plena, ut inferiùs videbitur, allàta fuit relatio ad Urbanum VIII. Rom. Pontificem à Patre D. Petro Avitabole, Clerico Regulari, regreſſo ex Jberia, quò paulò ante ab eodem Pontifice Maximo, ad Gentes illas fide Catholica imbuendas, erudiendasq;, unà cum aliquibus ſociis legatus fuerat: quod accidit anno ſalutis 1626. Quantum enim Reipublicæ Chriſtianæ tunc intereſſe deberet, ejusq; profuiſſet utilitati expeditio aliqua Miſſionariorum ad Jberos, certiores facti idem Summus Pontifex, & Sacra Congregatio de Prop. Fide ab illuſtriſſ. ac piiſſimo Domino Petro de Valle, patritio Romano, [cujus planè admirabiles, ac infrangibilis animi ſtrenuitate ſuſceptas, univerſum per Orientem usq; ad Jndos peregrinationes, aliaq; in eis egregiè patrata facinora, nec non eximiam ingenii præſtantiam, eruditionem, exterarumq; linguarum peritiam nulla unquam poſteritas conticeſcet, nec celebrabit ſatis,] diuq; animo rem illam volventes, * tandem aptiſſimos ad eandem aggrediendam adjudicarunt Clericos Regulares, ac prîmò præ cæteris dictum Patrem Avitabolem, virum prudentia, probitate, morumq; gravitate conſpicuum. Hunc ergo ſociorum Præfectum conſtitutum, vigilantiſſim' Eccleſiæ Paſtor Urbanus ad Jberiæ Principes, his datis litteris, allegavit.

Sic teſtatur illuſtr. Dom. Petrus de Valle in ſcripto quod extat] Romæ in Archivo S. Andreæ de Valle.

Theimuraz Principi Racheti.

URBANUS PP. VIII.

Nobilis vir, salutem, & lumen divinæ gratiæ.

Sequentes Epistolæ depromptæ sunt ex Grammatophylacio Sacr. Congreg de prop. Fide.

FOecunditas Georgianæ Regionis, largo Sylvarum, ac segetum fœtu pubescens, inundabitur fontibus æternitatis, si hac ætate fructus progignet Europæ notos, & Romæ salutares. Neque votum hoc sine propinqua optati gaudii spe concipimus in præsentia. Allegamus enim istuc Sacerdotes, scientiarum salutis edoctos, & populorum felicitati servientes, eos si istic tutò commorari volueris armatos patrocinio Nobilitatis tuæ; si eorum verba è charitatis fonte manantia isti populi pronis auribus exceperint; vix dici potest, quantum tibi, istisq; Regionibus solatium debebit hæc Civitas Sacerdotalis, culta Regum obsequiis, & celebrata domiciliis Nationum: jam Italia inferet Principem Racheti eorum Procerum conciliis, qui parasse dicuntur viam Domino, & rectas fecisse semitas ejus. Quid ais Nobilis vir? levis ne fructus est eorum beneficiorum, quæ à tua magnanimitate Sacerdotes nostri expectant, plausus Romæ, & laudatio Pontificis? certè si excelsum ingenium oblectat gloria, facilè conjicimus, quanti facturus sis, nomen tuum celebrari in hac arce Christianitatis, & Patria Mundi. At enim iisdem officiis, quibus nos demereberis, parabis patrocinium Omnipotentis, qui se in peregrinantibus excipi, & in pauperibus pasci pro-

profitetur. Eum verò Nos assiduè orabimus, ut tibi cœlestes fores patefaciat, & per divinæ legis semitas ambulanti ostendat Regna triumphantis immortalitatis. Verùm nec populos istos Sacerdotum nostrorum pœnitebit. Non enim sitientes pecuniarum, aut potentiæ avidi ex Europa in Asiam commigrant; sed iis unum erit votum, & negotium salus Provinciarum, & gloria Principum. O te felicem, si populos tibi subjectos salutaribus eorum doctrinis erudiendos curaveris. Ea enim vis est sapientiæ, quam è Christi pectore hauserunt, ut possit homines in Angelos, & terram in Cœlum convertere. Audita Romæ est fama earum calamitatum, quæ dum te diu conflictarunt, dicuntur illustrasse virtutis tuæ vim, terroribus indomitæ. Scimus, quàm constans fuerit Genitricis tuæ pietas, quæ è Regno maluit exulare, quàm à Christo desciscere. Tam laudatæ Parentis filius, & tantorum periculorum Victor, crederis Sacerdotibus nostris ea auxilia præbiturus, quæ videantur esse consilia maternæ religionis, & decora fortitudinis, frustrà oppugnatæ. Ea quidem si præstiteris, felicitati, qua te remunerabitur Deus, plaudet Ecclesia. Nos autem faventes laudibus nominis tui, una cum Senatu Apostolico tibi victores exercitus, & propitios Cœlites precabimur, ut inter mortalis vitæ triumphos progredi possis ad patriam beatitudinis sempiternæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 4. Julii 1626. Pontificatus nostri anno tertio.

Principi Odisci

URBANUS PP. VIII.

Nobilis vir, salutem, & lumen divinæ gratiæ.

IN Caucasi scopulis decorem Carmeli, & in Phasidos fluctibus fluenta Jordanis inventuros se sperant, qui à Nobis in Georgianam Regionem allegantur, Sacerdotes; si eos muniet patrocinium, & consolabitur humanitas Nobilitatis tuæ. Roma verò Patria Nationum, quam tanquam Matrem Christianitatis potentissimi Reges religiosis tributis venerantur, nomini tuo plausus Vaticani, & Tiberis studia pollicetur, si tanti solatii con possem effici volueris Ecclesiam. Neq; potest illustrius ab Asiatico Principe flagitare nunc Europa magnanimitatis documentum, quam beneficentia eos juvare. qui deliciarum obliti, & contemptores periculorum, Regiones tuas propriæ Patriæ antetulerunt Neque enim eos per iter terroribus obsitum istuc deducit potentiæ, aut pecunia cupido, quam illi aspernantur, ut Dei gratiam quærant: salus animarum, in qua Romani Pontificatus gloria collocatur, eos nostro nutui obsequentes istuc advocat. Humanitatem planè, ne dum Religionem abjecisse videbitur, qui obvia charitate istic non excipiet eos Sacerdotes, qui in Regna tam remota proficiscuntur, ut vestræ felicitati famulentur Illustre habetur ubiq; documentum fidei, & an oris, suam utilitatem commodis amicorum posthabere. Quam autem vos de

de Romanæ Ecclesiæ charitate sententiam feretis, cum eos, quos à vobis non solùm locorum longinquitas, sed etiam famæ taciturnitas disparavit, istuc deductos videbitis ob unam eam causam, ut populis, ac Principibus Georgianis concilient patrocinium Dei, & parent thesauros æternitatis?

Itinerum discrimina, hostium insidiæ, maris procellæ, quæ omnia illi contempserunt, vestræ incolumitati consulturi, petunt viris tam benè meritis favorem nobilitatis tuæ, & beneficia Georgianæ Nationis Ea tamen Nos Apostolicis litteris flagitare voluimus, ut apud te extet luculentum hoc Pontificii amoris testimonium. Eos benignitas tua dum benignè audiet, & benevolenter excipiet, audientur in hoc Mundi Conventu laudes nominis tui. Porrò autem Deus misericordiarum, qui se ejusmodi beneficiorum debitorem alligari vult, illustri aliqua felicitate Principatum tuum decorabit. Quod ab eo, dum nos postulamus, lumen Spiritus sancti præfulgere cupimus Nobilitati tuæ; ut manus possit in Cœlo, quam in terra Imperium possidere. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, &c. die 4. Julii 1626. Pontificatus nostri anno tertio.

Principi Gurieli

URBANUS PP. VIII.

Nobilis vir, salutem & lumen divinæ gratiæ.

AUri cupido, quæ priscis temporibus dicitur è Græciæ litore ad Phacidis ostia de

duxisse Argivos Heroës per iter, fabulosis terroribus obsessum, non advocat certè hoc tempore Sacerdotes Romanæ Ecclesiæ in Georgianas Regiones. Quamvis enim istuc & agri felicitas, & incolarum gloria possit peregrinantes abducere; qui tamen à Nobis ablegantur, ii inter majores longioris viæ difficultates non armantur ferro, non stipantur militibus, non petunt thesauros; sed unam sitiunt salutem animarum. Eos par est, benevolenter excipi, ubicunque humanitas dominatur. Quæ Gens enim tam ferrea extra anni, solisq; vias reperietur, quæ eos in hospitali feritate violet, quos suæ felicitatis curatores adesse cognoverit? Quare cum Principatus tui decus haberi velle credaris beneficientiæ gloriam, & patrocinium innocentiæ; haud temerè possumus Sacerdotibus nostris polliceri ea officia, quibus viris, tuam gloriam curaturis, Nobilitatis tuæ humanitas declarabitur. Certè si perfeceris, ne Nos hujus Spei pœniteat; fama tui Principatus Caucasi scopulos, & Ponti limites prætergressa Romam perveniet, auditura plausus, quos Nationes, in hac Orbis patria commorantes, dare solent Principibus: Christus Regum arbiter, qui pulchros esse vult pedes evangelizantium pacem, cum se in hospitibus excipi profiteatur, facile est conjicere, quæ præmia paret beneficientiæ, ac pietati tuæ. Ei autem dum Roma servit, colitur tributis Provinciarum, & obsequiis Regum. Digni tamen sunt Urbis mores, qui ubiq; filios Ecclesiæ Romanæ commendare possint: hic

enim

enim hospitia patefiunt exteris Nationibus, patet aditus ad sacros Principatus peregrinæ virtuti; & cum diversæ Gentes hîc commorentur, omnes tamen se tanquam in Patria vivere testantur in Urbe Parente generis humani. Hanc Urbem demerebitur Nobilitas tua iis beneficiis, per quæ efficietur, ut Romani Sacerdotes, in Georgiam pervenientes, non se in exilium ablegatos, sed in Patriam missos fateantur. Eos ergò audire poteris testes charitatis nostræ, quæ tibi semper divinum patrocinium, & populorum benevolentiam precabitur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die 4. Julii 1626. Pontificatus nostri anno tertio.

Principi Imereti

URBANUS PP. VIII.

Nobilis vir, salutem, & lumen divinæ gratiæ.

NOmen Nobilitatis tuæ, quod inter Caucasi juga, & Caspii fluenta colitur obsequiis populorum, ignotum non est Principibus Vaticani & Patri Christianitatis. Quare decrevimus ad Te litteras dare conciliatrices benevolentiæ & obsides voluntatis nostræ. Cupimus enim, illustre aliquod beneficium debere Nobilitati tuæ ab Urbe Roma; quæ cum Patria sit Nationum universarum, & magistra doctrinæ cœlestis credatur, triumphalia Christianæ obedientiæ tributa accipit á potentissimis Europæ Regibus, qui deposito diademate Apostolicos Romani Pontificis pedes religiosis osculis venerantur. Quin & latè dominantes in Asia Reges Persarum amici-

tiam nostram ultro petivere; & tuto divisos Orbe Japonios solenni Legatione ætas nostra vidit absentium Dynastarum officia Apostolicæ authoritati pollicentes. Fortitudo nostra, & laus nostra Dominus, cujus omnipotentis clementiæ beneficium est Romanæ sedis Principatus. Iis tamen legibus Ecclesiasticum hoc Imperium gubernatur, ut serviens saluti Mundi naufragantis, habeatur patrocinium generis humani. Ex altissimo enim Apostolicæ Majestatis solio petimus prospectum terrarum; atq; ubicunq; homines commorantur ibi Cœli fores patefieri, & Angelorum legiones militare cupimus, neq; inanibus tantùm votis hanc causam agimus, quâ divini nominis gloria continetur. Ea enim consilia dies, noctesq; meditamur, quibus, vel inviti fateantur inimici, excubare in Romana specula solicitudinem, quæ Nationum etiam remotissimarum felicitati prospiciat. Neq; desunt Sacerdotes, qui ut Charitati Pontificiæ obsequantur, longinqua exilia dulcibus Patriis anteferant, & montium scopulos, marisq; procellas eluctati, ipsa penetrare non timeant antra Draconum, & ad hominum sævitiam accedere, coronati scuto bonæ voluntatis. Hos autem vitæ mortalis prodigos, & tot periculorum contemptores, ut alienæ saluti famulentur, quæ gens tam Barbara uspiam reperietur, quæ eos, quasi ex alio terrarum orbe se delatos, non excipiat hospitio, non complectatur charitate? Neque enim thesauros quæritant, aut affectant imperia; sed triumphum arbi-

arbitrantur, parere morte sua felicitatem gentibus, & gloriam dominantibus Quin immò tanta vis nunquam inerit hostili crudelitati, ut odium in eorum animis accendat, qui sciunt etiam inimicos diligere, & his, qui mortalem vitam adimunt, æternos principatus optare. Hanc doctrinam profitebuntur, qui à nobis in Georgianas Regiones allegantur in præsentia Religiosi Sacerdotis. Accepimus, eo esse ingenio Nobilitatem tuam, ut potentiæ istius coronam arbitreris possessionem gloriæ, & tutelam innocentiæ, quare speramus fore, ut Sacerdotes nostri consolari Nos possint testificatione eorum beneficiorum, quibus Romam, & Pontificem demereas, fœneraberis Deo misericordiarum, qui in thesauris cœlestis opulentiæ præmia sempiterna servabit Nobilitati tuæ Quod si magnanimi Principes bella periculosa toties susceperunt, ut nominis sui gloriam apud exteras gentes propagarent; non vile præmium Nobilitati tuæ Roma beneficiorum memor pollicetur. Si enim hos Sacerdotes audieris, si patrocinio amaveris, si divini verbi semina in Georgianos agros spargi passus fueris, Princeps Imereti, & Basciaciuchi sentiet nomen suum esse in benedictione Romæ plaudentis. Porrò autem, Parens Regum, & custos Religionis, Pontifex Romanus unà cum Apostolico Senatu, & Civitate Sacerdotali precabitur Nobilitati tuæ populos obsequentes, & faventes Cœlites; ut tantus Princeps divino lumine fœcundatus, pariat fructus salutis, & speret segetem beatitudinis.

Datum Romæ apud S. Petrum, &c. die 4. Julii 1626. Pontificatus nostri anno tertio.]

Hactenus ad Jberiæ Principes epistolæ Urbani Papæ: in quarum verbis quo luculentiùs emicat ejusdem Urbani magnanimitas Pontificia, admirabilis planè facundia, gratia, & lepor dicendi; quibus interdum beatissimus ille Pater, ut filios devios ad viam salutis alliceret, uti de industria non intermittebat: eò clariùs ex iisdem conjicere est, quanta de ovibus amissis, quantumlibet dissitis, ac remotis, in pectore strenuissimi Pastoris, tametsi in reliqua totius Ecclesiæ mole regenda operosissimi, cura inesset, & solicitudo; quantique duceret ille Jberiacam Missionem; & quàm benè Clericorum Regularium fama, maximè verò studium paupertatis in ejus existimatione audiret.

Ut autem illustrius hic specimen patefiat flagrantissimi Zeli, quo tam bonus Pastor aberrantes Christianorum greges in ovile Matris Ecclesiæ advocare, expectare, reducesq; alacriter, ac tenerè complexari solitus erat: hæc alia obiter mihi prosequi liceat, aureis certè literis ad memoriam omnium gentium perpetuam consignanda, Colchidem petierat, Odisci Principem Dadiam visendi studio, Metropolitanus Archiepiscopus Trapezuntis, Cyrillus Græcus: cujus quidem adventum cum nostri illius Residentiæ Patres auribus accepissent; ac præsensissent animo, quantum hujus viri nomen, & authoritas apud Græcos haberet ponderis, & Jberos; statim, quibus pos-

possent ejus mentem, & voluntatem ad Catholicam fidem prolectare, ad hæc sua omnia dirigunt consilia. Invisunt frequenter Episcopum, amicè invitant ad prandium, ejus captant benevolentiam, multa cum illo de fide colloquia faciunt; ad summam, ita rem prosperè ex animi sententia gerunt, ut Græcus Metropolita non modò catholicus, & Ecclesiæ Romanæ conciliatus brevi apparuerit: sed quoad ibi moratus est maximo quoq; fuerit in ministerio Missionis Nostratibus adjumento. Is itaq; postquam animum suum ad orthodoxam fidem sectandam applicuit; adeundi, alloquendiq; sanctum Christianorum omnium Patrem, & Antistitem, Urbanum, cujus insignem pietatem ex illorum testimonio jam optimè noverat, adeò exarsit desiderio; ut qua id assequi valuisset, ab iisdem Patribus opem sibi porrigi, assiduè, & quam diligentissimè poterat, postularet. *Græcus Metropolita trahitur ad fidem catholicam.*

Mihi ergo, Constantinopolitana tunc in Residentia Armeniorum saluti elaboranti ex præscripto ejusdem Summi Pontificis, ipsorummet Armeniorum hac de re precibus, ac petitionibus inclinati; atque Romam alia interim urgenti de causa profecturo, omni majore cura à Præfecto Missionis committitur, ut Cyrillo, è Colchide Constantinopolim venienti, usq; Romam, usq; ad Urbani Pontificis Maximi pedes comitem me præberem obsequiosissimum. Advenimus igitur unà simul terrà mariq; in Urbem incolumes; ad pedum oscula Beatissimi Patris benignè, humaneq;

neq; ultro admittimur. At enim ubi virum Græcum, Pontificia veste indutum, statura procerum, gravitate spectabilem, ad suos provolutum pedes cernit Urbanus; quisnam ille foret, me mox interrogat: habitaq; boni viri notione, statim jussum stari, ut ovis sua vocem suam audiret, Græco eum sermone alloquitur, me obstupescente, pariter & inutili, quem illic interpretem affuturum mihi anteà persuaseram. Porrò haud satis tunc fuit Græco Metropolitæ, in Romano, ac summo Pontificum Pontifice os admirari, sua secum patria voce loquutum; quem & jam dudum audierat, linguarum Hebraicæ, Græcæ & Latinæ florere peritià: sed, quod facit magis ad rem, Christianorum quoq; á schismate potissimè redeuntium, piissimum Patrem ac Pastorem, fideiq; Zelotypum ardentissimum, illum expertus, ac majorem in modum demiratus est; tunc maximè quidem, cum audita Urbanus humili, officiosaq; ejus conciliatione cum Apostolica sede, non insolito tantùm perfusus jubilo, ac lætitia, cunctis circumcirca genuflexis apparuit; sed etiam lacrymæ præ teneritudine ex oculis ejus erumpere visæ sunt non sine maxima nostri omnium admiratione, præsertim Rev. P. D. Caroli de Palma, qui præsens aderat, Missionum nostrarum procuratoris, memorandum sanè, immò in omni memoria omnino inauditum, paternæ pietatis spectaculum! Papam vidimus super inventam ovem præ lætitia lacrymantem: quasi ejusmodi signis, si non verbis illud nobis diceret piissimus:

ſimus Paſtor: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.

Conſimilem prætereà animi oblectationem, vel eò fortaſſe uberiorem, quo de majore fuerat lucro, biennio antè perceperat idem Sanctiſſimus Dominus noſter Urbanus; cum Cyriacus, pro Armena natione Conſtantinopolitanus Patriarcha debitam Apoſtolicæ ſanctæ ſedi obedientiam præſtitit per epiſtolam, ad ipſum Papam Conſtantinopoli datam Excellentiſſimo ac illuſtriſſimo Dn. De la Haye, Regis Chriſtianiſſimi ibidem Oratori, ut eam ille mitteret ad Urbanum: in qua & Romanæ fidei profeſſio, ab eodem Patriarcha ſeorſim propria manu conſcripta, ſigilloq; munita; & efficax ejuſdem petitio pro Clericis Regularibus, quorum induſtriâ tantum ipſe bonum patrarat, eâdem in Urbe ſtabiliendis ad Armenum Populum inſtruendum in fide Catholica, etiam inſertæ fuerant. Quæ quidem Epiſtola ab Urbano Papa ſimul cum altera ejuſdem Oratoris Galli accepta, eo ipſius animum gaudio cumulavit, ut propterea Beatiſſimus ille Pontifex, perjucundis, & gratiarum actionibus refertis, ad eundem Patriarcham & oratorem reſcriptis litteris, non modò gratum ſe illis dignatus ſit exhibere; verum etiam benignitatis ſuæ gratias ad ipſos quoq; diffluere, paſſus ſit, Clericos Regulares, eos quippe dignos reddidit, qui & Conſtantinopoli ſtabilem in poſterum haberent Reſidentiam; & ab Eminentiſſimo ac Illuſtriſſimo Domino Cardinale Antonio Barbarino, ejus

Cyriacus Armenus Patriarcha conciliatur Eccleſiæ Romanæ.

Nepo-

Extat epistola haec originalis in Archivo S. Andreae de Valle ejus veroexemplar in Tabulario Congregationis de prop. Fide.

Nepote, quin á tota purpuratorum sacra congregatione de fide prosequentem acciperent de Cyriaci conversione gratulationis epistolam; quæ ne vel leviter ab Originali dimoveatur Italico, quo tibi extat afferetur idiomate:

Molto Rev. Padre.

LA Conversione di Monsignor Cyriaco, Patriarcha costì de gl' Armeni, alla Santa fede Catolica, essendo riconosciuta da questa Sacra Congregatione de Propaganda Fide per frutto del Zelo di V. R. invita questi miei Signori Eminentissimi della Sacra Congregatione medesima, á rallegrarsene, come fanno hora, con lei. E perche sperano, chè il trattenersi ella costì, per instruire nelle sacre lettere, la detta Natione, sarà di gran giovamento à quell' anime, glie ne danno con la presente la facoltà & ordine, che si richiede. Se le mandáno in oltre quì aggiunte le lettere per la Residenza di Pera; & raccordandole di salutar in nome dell' Eminenze loro, e mio proprio, Monsignor *Arcivescovo di Diarbechir, le prego per fine ogni contento.

Roma, 31. Maggio, 1642.

Al Piacer di V. R.

Il Cardinal Antonio Barberino.
Francesco Ingoli, Secret.

**Joañes Doctor Armen' septuagenario qui eodē anno obsequētes literas dederat Clericis Regul. ad eandē Sac. Congr.*

At verò, ne enarrandi gratia inenarrabile Urbani studium, & vigilantiam in fide Catholica propaganda, digressionem longiùs, ac extra limites protrahamus, revertamur ad rem nostram Jberam. Illarum itaq; summi Pontificis litterarum officiis Pater Avitabolis communitus, perrexit unà cum sociis ad Jberos: ad quos tamen pervenire ante non potuit, quàm laborioso duorum fermè annorum confecto itinere. In longum certè sermonem me vocaret, præsertim ad alia properantem, qui cuncta Patribus obvia in tam ardua peragratione incommoda, difficultates, vitæq; pericula scire vellet. Illud unum silentio non abscondam, injuriosam, molestissimamq; quam in urbe Constantinopoli passi sunt obiter insectationem hæreticorum. Objecta fuit ab his, quin penè jurata, malitiosa apud Turcarum Præsidem in eos calumnia: quòd scilicet à Principibus Christianis in perniciem Jmperii Ottomanici missi Servi Dei fuissent illuc exploratores. Hoc audiente, & graviter, acerbeq; nimis ferente Præside, confestim in insontes, nullo aliter jure probato crimine, ut ibi mos est, mortis pronunciatur sententia, è qua porrò speciali Dei providentià à mirabili modo ereptos, datis ex eadem Urbe ad Admodum Rev. Patrem nostrum Præpositum Generalem litteris, * ipsimet indicarunt hisce verbis.

** asservantur hæ litera in supra citato Archivum vo.*

Dies secundus Maji, vigilia Inventionis sanctæ crucis, dictus jam fuerat nobis, quo in judicio adesse coram Caim Acchàm Turca-

rum Præside, deberemus, mortis in nos sententiam audituri. Omnes, hoc nuncio, indicibili animi lætitia prægestivimus; tempus jam advenisse arbitrati, quo sanctæ nostræ Missionis primitias Deo libaturi essemus. Igitur summo manè Missæ Sacrificio de more peracto, atq; sanctæ orationis, & contemplationis dulcedine eo die uberiùs solito recreati, celebratis etiam cum jubilo hora debita primis vesperis Sacro-Sanctæ Crucis, accessimus ad Tribunal, adeò in spe læti, quod illam salutiferæ Crucis solennitatem haud dispari ratione essemus Domino nostro Jesu Christo consecraturi, ut vix contineri, præ gaudio intra nos ipsos potuissemus. Attamen [sic Deo, aut pro nostra virium infirmitate, aut pro sua majori gloria, disponente] contra quam pro certo sperabamus, & mirabili sanè modo, res exitum habuit. Etenim idem Præses, è furibundo, iraq; pleno Judice, qualem pessima de nobis opinio priùs fecerat, visis duntaxat nobis, admodùm benignus, atq; ad humanitatem propensus apparens, nequeunt, dixit, tam venerandi horum Virorum aspectus, versipellis speculatorum animi esse notæ.

Quamobrem pro eo, quòd patibulo nos suspenderet; uti anteà & sibi in animum induxerat, & lata quoq; sententiâ promulgarat: libertate donatos paucis; ac mitissimis verbis à se dimisit, cum ea tamen præceptione, ut eàdem, quâ veneramus, navi eò regressuri essemus, unde fueramus digressi.] Hæc ad suum Præpositum Generalem D. Petrus Avitabolis,

D. Ja-

D. Jacobus de Stephano & D. Joannes Philomià: quæ postea ita prorsus, uti suprà narrantur, accidisse, à Catholicis quoque Viris Constantinopolitanis ego ipse accepi.

Eam igitur ob causam præfati Sacerdotes, pedem retrorsum non levi cordis sui mærore referentes Constantinopoli Siciliam coguntur repetere. Verùm reflexo itinere, haudquaquam inflectunt animi magnitudinem, nec ab incæpto desistunt: sed majori firmati constantia, sua in uno Deo ponentes præsidia, ut ad Iberos se conferrent incolumes, aliud pertentant iter, universamq; strenuè circumeunt & Syriam, & Persidem, & Armeniam. Cardelium deniq; & Cachétum, primo sibi obvias Iberiæ Provincias, ubi Theimuraz Rex dominabatur, post innumeras difficultates prosperè sub divinis ingrediuntur auspiciis. Adeunt illicò Regem, cui post debita obsequiosæ salutationis officia, & litteras offerunt Pontificias.

Profectò exprimere satis non possum, quibus ille gratulationis, & benevolentiæ signis eos exceperit, & amplexatus fuerit. Liberalis pro loci tenuitate multis eos donavit munusculis; Ecclesiam Goride, primaria Cardelii Civitate, jam erectam ultro largitus est; situm quoq; domus ædificandæ prope Ecclesiam assignavit. Quibus deniq; feliciter gestis, ac non multo dilapso tempore, Pater Avitabolis, tum ut suorum Collegarum numerum adaugeret, tum ut acceptum ab eodem Theimuraz Rege legationis responsum ad Summum Pontificem Urbanum perferret, relictis ibi sociis,

revertitur Romam; atq; hanc ipsi sanctissimo Patri relationem de statu Iberorum, unà cum subsequente ejusdem Regis ad illum Epistola, exhibet:

Beatissimo Patri

URBANO VIII. PONT. MAX.

Post humillima pedum oscula.

Hæc de statu Christianitatis in Iberia, Provincia Regis Theimuraz refert D. Petrus Avitabolis Cler. Reg. illi Missioni à Sac. Cong. de Prop. Fide Præfectus:

BEATISSIME PATER!

Biennium ferè Goride commoratus apud Iberos, jam ad pedes Sanctitatis vestræ provolvor, litteras Theimuraz Principis Iberiæ traditurus, testes sui erga Sanctitatem vestram, pro paterno in eum amore, devinctissimi animi. Ut ego illas ferrem, Principis vota fuerunt, arbitrati decentiùs fore, me litterarum Sanctitatis vestræ ad ipsum olim latorem, esse nunc & suarum; cui non obsecundari, nefas judicavi, hoc potissimum tempore, quando in ejus animum conciliandum, & erga sedem Apostolicam flectendum, quanti quanti sum9 incumbimus. Et sanè, ut reor, profundiore etiam Dei consilio id decretum fuit; ut ipsemet, huic Missioni præfectus, tametsi indignissimus, possem & effundere cor meum ante pedes Sanctitatis vestræ; & ovium, tibi Patri vigilantissimo concreditarum, laniatus immanes enarrare; & tenebras, inter quas Gens illa cæcutiens aberrat, edicere; & comploratum catho-

catholicæ fidei casum, quo majore valeam animi cruciatu referre; haud dubius, à mei voce, non clamantis, sed gementis, commovenda superliminaria cardinum Apostolicæ Cathedræ; & commotis visceribus super contritione filiæ populi tui oportunè providendum; quo & lupi arceri, & tenebræ dispelli, & dejecta erigi queant. Itaque non dedignetur Sanctitas vestra aurem mihi præbere.

Errores Georgianorum circa fidei Articulos, Sacramenta, Præcepta, & bonos mores.

1. Negant, Spiritum Sanctum à Filio procedere.

2. Purgatorium esse quidem asserunt, non tamen per ignem; sed tantùm animas cruciari in loco quodam obscuro, & mœstitudinis.

3. Negant Judicium particulare animarum Christianorum, sive injustorum. Vnde decedente aliquo, dicunt, per manus Angeli sui custodis deferri illius animam ante Christum; & si quidem justus omnino fuerit, mitti in locum quendam lætitiæ, ubi viridaria, & pulchra sunt palatia; si impius in locum tetrum, & obscúrum demitti; si verò impœnitentiâ ex hac vitâ discedat, per aliquod tempus mitti ad locum illum horroris, & postmodùm ad lætitiæ locum transmitti: quibus in locis eorum animas, dicunt, usque in diem Judicii detineri, sistendas tunc post Resurrectionem ante Judicem, æternæ Beatitudinis, aut damnationis sententias accepturas.

4. Visionem Dei ante corporum resurrectionem animabus non concedunt; ut ex præcedenti patet errore.

5. Infideles tantùm in particulari Judicio, asserunt, judicari, quando moriuntur; & nequaquàm judicandos in generali; pro quo adducunt illud Joann. 3. Qui non credit, jam judicatus est.

6. Inferorum pœnas non faciunt æternas; nam si Christianus decedat in peccato mortali & sine pœnitentia; si pro eo oretur, poterit, inquiunt, à pœna liberari ante universale judicium: unde contemptus pœnitentiæ oritur, & cæterorum operum bonorum.

7. Fidei confessionem, quæ ore fit ad salutem, adhuc in re gravissima, negant, esse necessariam, urgente gravi metu.

8. Festos dies licet multos agnoscant; ab opere tamen servili in illis non feriantur, etiamsi Nativitatis Domini dies sit.

9. Baptismi Sacramentum hoc modo conferunt: Primùm Sacerdos multas super Infantem baptizandum legit preces; quas inter & formulam verborum Baptismo necessariam, perinde ac si una esset ex dictis precibus, Græco ritu prolatam, & tunc sine Infantis ablutione, legendo percurrit. Tum, expleta lectione, exuitur vestibus infans; qui tandem, tempore notabili á formæ prolatione excurso, non quidem ab ipso Sacerdote sed à Susceptore sine alia prolatione formæ totus diligenter abluitur.

10. De Baptismi Sacramento recipiendo non

non sunt valdè soliciti; ignorant enim illud esse januam aliorum Sacramentorum. Paucis ante nostrum adventum diebus accidit, Episcopum quendam ex primoribus compertum fuisse nequaquam baptizatum: cui cum Baptisma contulissent, ordines tamen minimè reiterato contulerunt.

11. Rebaptizant reconciliatos fidei Christianæ ab errore apostasiæ.

12. Existimant, Baptismi Ministrum esse solum Sacerdotem, etiam in articulo mortis: unde imminente periculo obitus Infantis, si absit Sacerdos, nemo illum baptizat: in quo casu, dicunt multi, sufficere saluti Infantis Baptismum matri suæ collatum.

13. Pueris, dum baptizantur, conferunt Confirmationis, & Eucharistiæ Sacramentum.

14 Peccata primùm confitentur, cum uxores sunt ducturi; & tunc Confessionis integritatem parvi ducunt: nam exacto lubrico adolescentiæ statu, quatuor se verbis expediunt. Iterum confitentur extremo vitæ tempore, eodem etiam verborum compendio.

15. Si Sacerdos in carnis peccatum vel secretissimè labatur, Confessarius in Sacramentali Confessione privat eum facultate celebrandi: ex quo pessima inolevit consuetudo; ut Sacerdos, in ejusmodi peccatum lapsus, minimè illud confiteatur, eoq; maculatus non cessat usque ad mortem celebrare.

16. Pueris morientibus Eucharistiam præbent; asserentes, Christi esse præceptum, dicentis Joh. 6. Qui non manducat meam car-

nem, non habet vitam æternam. Adulti verò rarissimè in vita eandem Eucharistiam recipiunt, & multi ob incuriam ne in morte quidem.

17. Ecclesiastici omnes, immò & Sacerdotes, & Episcopi, ad bellum ire coguntur à Principe, iidemque, ab inimicorum cæde revertentes, Missam celebrant sine ulla dispensatione ab irregularitate.

18. Sentiunt, uno die unicam tantum Missam in uno altari, vel in una Ecclesia posse celebrari. Nec Episcopi, nec Sacerdotes omnibus diebus festis celebrant; neque alterius celebrationi intersunt: undè sæpissimè iis diebus populus totus Sacrificio Missæ privatur.

19. In Missæ celebratione sordidissimis vasis, & vestibus utuntur; consecrantque in calice ligneo. Item cum Eucharistiam ad infirmos deferunt, maxima id faciunt irreverentia, sine comitatu, & luminibus. Cum Missa celebratur, seculares, & præcipuè mulieres, extra fores Ecclesiæ manent, risui vacantes, & vaniloquio: nec aliter se habent, Ecclesiam ingressi, ubi assistunt immodestissimè.

20. Aliquibus diebus festis multi Sacerdotes, Missæ Sacrificio adstantes, communicant; sed Eucharistiam ab Episcopo celebrante recipiunt in propriis manibus, quam ipsimet proprio apponunt ori.

21. Ecclesiastici circa divini officii recitationem in eo sunt errore, ut non omnes illud recitent; sed unus tantùm vel duo, aliis multis audientibus, & qui recitat; ut plurimùm non

est

est Sacerdos: quin etiam adstantes ; ad ea, quæ dicuntur, minime attendunt, sed aliis vacant negociis.

22. Omnes, quamvis adultæ sint ætatis, maxima rudimentorum fidei tenentur ignoratione, quamobrem nec Orationem Dominicam, nec salutationem Angelicam, fidei Symbolum, præcepta Dei, & Ecclesiæ, peccata vitanda, & quæ ad salutem sunt necessaria, sciunt. Parentes enim in educandis religiosè filiis nullam prorsus curam ponunt.

23. Si de uxore liberos non recipiant, de Sacerdotum licentia dant illi libellum repudii, atque aliam ducunt. Idem similiter faciunt, si rixosa sit, aut in adulterio eam deprehenderint.

24. Dum quis in agonia mortis positus est, ita, ut de illius salute desperetur; accelerant ejus mortem; primò in tali situ corpus illius collocando, unde citiùs moriatur; secundò vicina magis morte; os ejus, oculosque simul claudendo, ne valeat respirare: quippe malum esse dicunt, moribundum diutius animam agendo cruciari: id munus à Sacerdotibus ut plurimùm exercetur.

25. Jejunantes unica comestione minimè sunt contenti; sed vel pluries comedunt; vel si una solùm vice, tota die usque ad vesperam comessantur.

26. Vinum ita immoderatè bibunt, ut omnes temperantiæ terminos longissimè prætergrediantur, præcipuè diebus festis, in quibus magno afficiuntur pudore, si non tur-

pissimè inebrientur. Hinc singulæ ipsorum actiones omni prorsus ordine debito destitutæ sunt, & ex quotidiana inebriatione quasi semper usu rationis carent Bibentes eo affectu Deum invocant, talesque gestus corporis agunt, ut quædam adorationis species vino ab illis adhiberi videatur.

27. Auguriis, & superstitionibus perditissimè dediti sunt: Carnem manducantes, ossa respiciunt, ex quorum inspectu propriam felicitatem, aut infelicitatem augurantur. Animalium voces curiosissimè observant. Somniis maximam adhibent fidem. Super mortuos abominabili luctu lugent. Nocte, quæ Resurrectionis diem antecedit, manducant in Ecclesia, sed solæ mulieres.

28. Nullum apud eos veritatis vestigium invenitur; quin & juramentis horribilibus mendacia ipsa confirmant, etiamsi evidentissimè de illa falsitate, se sciant posse convinci; nec, si convicti fuerint, pudore ullo afficiuntur: quare si vel nobilissimus audiet, mentiris: haud illud sibi ascribit injuriam; sicut neque si dictum sibi fuerit, esse stultum, aut hujusmodi alia contumelia.

29. Latrocinii crimine omnes impensè tenentur; à quo absolvuntur à Confessario sine proposito restitutionis faciendæ.

30. Miracula remansisse apud nos, negant; & si quæ à nobis illis referuntur, sive antiqua, sive recentiora, sive per defunctos patrata, sive per vivos, mentiri nos dicunt: cujus

cujus perfidiæ ratio est ea, quòd apud ipsos jam cessarunt. Ut autem conjectare possumus, hæc cessatio ibi contigit tempore Concilii Florentini; quando fœdus unionis, in eodem initum Concilio inter Occidentalem, & Orientalem Ecclesiam, à Græcis, quibus Ecclesia subditur Iberorum, violatum fuit, nam cum in eorum Ecclesia Patriarchali asservaretur unica Spina coronæ Salvatoris in quadam subterranea fenestella, unde olim liquor ad languorum sanitatem jugiter emanabat: petentibus nobis, quot anni effluxissent, ex quo liquor ille salutaris emanare cessaverat; respondit Patriarcha: anni circiter ducenti. Vnde liquet, ex quo diximus tempore, Dei beneficium à Schismaticis ablatum.

31. De Pontificis authoritate sentiunt, illum in jure duntaxat positivo dispensare posse; sed in re levi, secùs vero in gravi.

32. Quæcunque nos Catholici facimus præter eorum consuetudinem, sive in jejuniorum observatione, sive in Festorum celebratione, sive in modo orandi; asserunt esse errores. Hæreticorum tamen nomen adhuc nobis non apposuerunt.

33. Cum tam perversè à vera fide aberraverint; superbè tamen sentiunt de se ipsis; ita ut in omnium ore ista passim verba reperiantur: Si Christiana fides in toto Orbe periret; apud nos vera Christianitas, pura, & intacta denuò inveniretur.

De Statu Politico Georgianorum.

1. IN Regimine politico Iberiæ, Principes Ecclesiasticam libertatem nihili faciunt. Sacerdotibus enim, veluti mancipiis, ad placita sua utuntur. Episcopos parvi pendunt, huc illucq; eos secum pertrahentes; & si quid Erroris commiserint, ipsi in eos animadvertunt; nec supremo Iberiæ Patriarchæ, qui Catholicus nuncupatur, obediunt, aut ejus mandata exequuntur: quare primum locum in spiritualibus non Patriarcha quidem, sed Princeps obtinet. Et quod Princeps de omnibus Episcopis, & Sacerdotibus facit, hoc ipsum & nobiliores alii in sua quisq; ditione de iisdem faciunt.

2. In electione supremi Patriarchæ Princeps cum omnibus Episcopis suffragium habet, ad cujus nutum cuncti respiciunt.

3. In judicando, & puniendo, tyrannico jure utuntur. Judices apud eos nulli sunt, qui causas cognoscant, & examinent: testes non recipiuntur: legum decreta non habent. Quod Princeps jubet in tota Provincia, aut Dominus quisque in sua ditione, illud exequendum, sive justum, sive injustum; statq; pro ratione voluntas.

4. Subditos tam gravi jugo servitutis premunt, ut non solùm eorum bonis, puta gregibus, armentis, domibus, &c. Nulla eis soluta mercede, ad beneplacitum suum utantur; sed etiam personis, eas sibi ad invicem vendendo, & [quod detestabilius est, & nunquam

satis

satis deploratum] ipsis etiam infidelibus. Quod Princeps in sua, idem alii Nobiliores in eorum ditionibus perpetrant.

5. Potentiores quàcunque iter faciunt, cogunt Oppidanos ad alimenta sibi, & equis ministranda absque ulla mercede.

6. Licitum est cuique de hoste vindictam sumere: Unde fit, ut semper à fortiore & validiore stet victoria. Si læsus apud Principem pro illata injuria non insistat, Princeps neque ex officio in reum inquirit. Porrò vindicta sic sumitur; ut, si læsus inimici personam offendere nequeat, bona illius aggrediatur: Hinc vastantur prædia; præciduntur arbores, maximè vites; incenduntur domus; ac passim interfecti boves, atq; sues inimici, in publicis epulis amicis, & consanguineis apponuntur.

7. Eò ignorantiæ devenerunt, ut nulla sit apud eos scientiæ addiscendæ, docendæve forma, aut modus, ne apud ipsos quidem Episcopos. Liberalium quoque artium seculares penitus ignari sunt: servilium verò vix pauca vestigia servant.

8. Quod spectat ad mutua fœdera, omnes Georgiani Principes inter se nec amicitiæ fœdere conjuncti; nec inimicitiæ odio disjuncti sunt. Si quis eorum bello urgente prematur, profectò ab aliis frustrà subsidium expectare potest. Rex noster Theimuraz cum Turcis inimicitias gerit; cum Persis verò non spontè, sed coactus, & in metu positus, pacem iniit. Sed & Persarum Rex per suos modò legatos filiam ejusdem Theimuraz sibi in uxorem sponderi petiit.

Hæc

Hæc sunt, Beatissime Pater, Zizania, quæ in medio tritici puræ fidei Georgianorum, sub sancto Sylvestro Papa seminati, inimicus homo, Diabolus, super seminavit; qui utinam posteá abiisset; esset enim damnum non adeò irreparabile: attamen perstat adhuc per satellites suos, Caloceros nempe illos, à Pseudo-patriarcha Constantinopolitano illuc missos, & post adventum nostrum conduplicatos; qui nomen Catholicæ fidei Romanæ aversati, gignunt, nutriunt, fovent illius odium in singulorum pectoribus; mendacia pro sua malitia fabricantes falsissima, & blasphemias in hanc sanctam sedem palàm, & ubiq; ore fœdissimo non cessantes effutire. Respice, Beatissime Pater, de hâc Sede Sanctitatis tuæ, & cogita de nobis: impertita nobis benedictione tua, illumina vultum tuum super nos, & Commilitones adjunge, per quos, adjutore Christo, effrons inimicorum audacia reprimatur; ablatoque opprobrio ex Israël, victricis catholicæ fidei jugo colla subdantur eorum, qui Christi sanguine sunt redempti. Multam enim ac maximam nobis indidere spiritualium frugum spem, non pauca bonæ indolis, quam in Rege animadvertimus, indicia, bonaque ac pia ejus populi ad rectam fidem percipiendam inclinatio; prout latè expositum est in supplici libello, sacræ Congregationi de Propag. Fide porrecto. Sic rogo ad pedes Sanctitatis vestræ humillimé prostratus, hac die 27. Martii, anno à Christi Nativitate 1631. Ego D. Petrus Avitabolis, Clericus Regularis.

Domino Nostro.

URBANO VIII. PONT. MAX.

Theimuraz Kan, Rex Iberorum.

EXcelsis Sanctitatis vestræ benedictionibus, ac precibus, &c. Accepimus ad Nos huc perlatas Beatitudinis vestræ litteras à RR. PP. D. Petro, & D. Jacobo, Clericis Regularibus, qui tandem ad præscriptum suæ viæ terminum tunc temporis advenerunt, quo sane opportunius eos præstolari minimè poteramus. Hos igitur Patres, quorum adventu plurimum duximus gratiæ, ac favoris Nobis exhibitum, de pari referenda gratia cogitantes in osculo sanctæ charitatis excepimus, & super caput nostrum exaltavimus: nullum enim officii genus, aut studii prætermisimus, quod ad ipsorum utilitatem spectaret: optimum eis locum assignavimus, & Ecclesiam; ubi commodè habitantes, possent diu, noctuq; orationibus in atrio, ac ostio templi Dei vacare: Omnibus quoque subditis nostris, illud Nos maxime velle, patefecimus; dictos Patres ita in Dei servitium juxta sacros Religionis suæ ritus, & consuetudines constanter, ac tutò incumbere; ut nemo prorsus audeat molestiam eis ullam, aut damnum afferre: immò quò Deum pro nobis precari commodius valeant, universos eis inservire, obsequi, atq; favorabiles esse, mandavimus. Ad ea verò, quæ nobis Sanctitas vestra, Pater noster Beatissimus, scripto injunxit; ut nimirùm unà cum populis nostris eorundem Patrum verba pronis exciperemus auri-

Extant hæc & subsequentes epistolæ in tabulario Sacræ Congr. de Prop. Fid.

auribus, ac fortes, immobilesq; in Christiana fide, & via Domini recta consisteremus: maximas quidem Omnipotenti Deo Nos gratias jugiter persolvere, respondemus, quòd veræ fidei, Christianæque Religionis ardor, & studium, ex prisco illo Constantini Magni Imperatoris ævo ad hæc usq; tempora, adeò tenaciter insint in animis nostris, ut divino beneficio ipsis quoque penitùs impressa præcordiis videantur. Licet enim verum sit, Regnum hoc nostrum, donec in tyrannica Persarum manu fuit ab anno salutis 1614. usque ad mox præteritum 1628. omnino vastatum, atque ad ultimam propè perniciem fuisse perductum: attamen in confessione fidei Christianæ non stabile modò perstitit semper, & inconcussum; verùm & pro nostra virili parte solicito etiam excubavimus animo, ne vel hæresis quidem ulla in ipsum potuisset obrepere: sed & spe maxima nitimur, fore, ut ope divina ad novissimum usque diem Judicii in eadem vera fide integrum pariter perseveret, & incorruptum; maximè verò, cum jam in præsentia, Dei gratia, & Sanctitatis vestræ, Patris nostri Beatissimi, precibus, pacifico ejus perfruamur possessu. Hanc planè unam ob causam, Zelum, inquam, & amorem Christianitatis, nostra olim Genitrix ad Regiam Persarum Aulam properarat, studio impetrandi, ut, quisquis è gente nostra Ibera sub Persarum ditione à Christiana fide desciviisset; impunè posset, ac tutò ad propriam Patriam, & pristinam religionem reverti. Verum enim verò è contrario

trario factum est: quandoquidem impius ille Rex, cum nequivisset ejus constantiam à castitate, & Christi fide tuenda abducere; primùm in carcerem eam trudi jussit; mox tum ille, tum ejus perfida gens, adversus eam, & Nos obstinato animo duriores, crudelioresq; præ se ferentes; dirissimis eam tormentis, quod moreretur, excruciarunt. Et jam annus recurrit, ex quo reliquiæ corporis ejus à Rev. Patre Ambrosio Ordinis S. Augustini huc ad nos delatæ fuerunt ab Urbe Spahàn, pro quo beneficio eundem Patrem remuneravimus & ture, unde victitare possit; & loco ad Ecclesiam sibi construendam opportuno; ubi, ceu in vestibulo Aulæ cœlestis, assiduè preces fundat pro Nobis. Cœterum quod ad præsentis status nostri rem attinet: miseranda hujus Regionis vastatio ædificiorumq; cum ligneorum, tum Lapideorum ruinæ, jam oculis eorundem Patrum Clericorum Regularium expositæ sunt; qui de omnibus vestram certiorem facient Sanctitatem. Porrò autem lacrymabilis super omnia Ecclesiarum populatio fuit; quæ non solùm argenteis, & pretiosioribus vasis, omnique prorsus supellectili? sed ipsis adhuc sacris Iconibus expoliatæ fuerunt. Quo circa enixè vestram rogamus Beatitudinem, ut prædictos Patres saltem de rebus ministerio Ecclesiæ suæ necessariis, jubeat provideri? ut ad finem optatæ unionis, & Charitatis assequendam, facilior eis aperiatur via Demum, si quæ alia vestræ Sanctitati præstare officia in hac poterimus regione; Nobis, illa citò pro viri-

viribus, uti vestra in Nos beneficia postulant, exequenda curaturis, imperare non dedignetur. Datum in Iberia, die 5. Januarii, 1629.]

Hanc igitur Iberi Regis epistolam, atq; alteram Zachariæ Iberorum Patriarchæ ejusdem tenoris, cum suprascripta relatione de statu illius Provinciæ, offerens Pater Avitabolis Urbano Summo Pontifici; illud obtinuit, ut Iberiaca Missio sex aliis tunc Sacerdotibus augeretur: quibus & solertissimus Pastor, ne quod posset Iberorum prodesse saluti, officium ullum omitteretur, duas alias dedit ad eundem Regem & Patriarcham benevolentiæ cōciliatrices Epistolas. Eæ autem sunt hujusmodi:

Theimuraz Iberiæ Regi,

URBANUS PAPA VIII.

Illustris ac Potentissime Rex, salutem & lumen divinæ gratiæ.

Loc. cit. Navigat mediterraneos fluctus, perambulat varias Europæ Provincias fama, nuncia meritorum; quæ cum in Asiatica Iberia fuerit illustrium victoriarum spectatrix, Romani Pontificis curas laudibus Iberi Regis consolatur. Planè videtur Majestas tua novum Principatum circumvallare propugnaculis cœli & munire legionibus Angelorum; dum in istis Regionibus excubare gaudet Sacerdotes, è Vaticano Tabernaculo prodeuntes. Religio enim, quam ipsi docent, tutela Regum est, & salus Populorum, ea si in tuis Provinciis omnino dominabitur, videbis istis exarmari furorem, seditiones meditantem; & conquiescere pacem,

pacem, de vitiis triumphaturam. Tam salutaria consilia deferri ad Majestatem tuam è thesauris Regni cœlestis, nuper declaravit dilectus filius, Teatinus Sacerdos, Petrus Avitabolis, qui tuas litteras reddidit. Benedicat sceptris Principatus tui, & adstet gladiis regalium legionum dextera omnipotentis, quæ fecit virtutem cum Magno illo Constantino, quem suæ Religionis autorem agnoscit Iberia. Is enim dum Sacerdotes coluit, profligavit hostes; & verum victoriæ omen, contueri potuit in nubibus cœli coruscantem crucem, quam in Romani Pontificis diademate Ecclesia veneratur. Quando illa dies affulserit, dies salutis, & lætitiæ; quà Majestatem tuam, Constantini imitatione eruditam, complecti poterimus accedentem per Regios legatos ad pedes Apostolicos, Regum osculis nobiles, & ambulantes in semita divinæ legis; Quando te potentissimi Christianæ Reipublicæ Reges fratrem in Ecclesia poterunt appellare? Profliga tandem omnia impedimenta, post quæsitum victricibus armis in Iberia Regnum, fiat Theatrum religionis tuæ Vaticanum Sanctuarium; ubi inter Romæ plausus audiatur exoptata legatio, persolvens piæ obedientiæ tributum Beato Petro, perducenti Reges ad triumphale imperium beatitudinis sempiternæ. Speramus, fore, ut pontificia vota optatos ad exitus perducat Omnipotens; cui accuratissimis orationibus te ac Regnum tuum semper commendamus. Intereà istuc redire volumus eundem Sacerdotem Petrum Avitabolem;

bolem; cui Evangelicæ charitatis Zelus, & patrocinii tui spes, incommoda videri non patitur itinera, tot naturæ atq; iniquitatis periculis obsessa, &c. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris anno nostri Pontificatus octavo.

Zachariæ, totius Iberiæ Metropolitæ,

URBANUS PP. VIII.

VEnerabilis Frater, salutem, &c. Exoriatur Christus, Sol justitiæ, in cordibus istorum populorum. Consolamini Concilia justorum: en apparent flores divinæ gratiæ in Asiatica Iberia, speramus, fore, ut istic quamprimùm maturescant fructus suaves gutturi nostro; atq; adeo digni, qui conviviis Angelorum inferantur. Audivimus, ex remotis istis Provinciis redeuntem, dilectum filium, Theatinum Sacerdotem, Petrum Avitabolem; nec sine eximio Apostolicæ charitatis gaudio audivimus, testatus enim est luculentissimè, quibus beneficiis per manus Regis, & Metropolitæ declaretur istic misericordia Omnipotentis Sacerdotibus Romanæ Ecclesiæ, ad vos proficiscentibus. Deum, qui dispersiones Israëlis congregat, oramus; ut tandem perficiens, quod operari cœpit in vobis, Principes, ac populos Iberiæ deducere velit ad hunc montem sanctum Vaticani; eum enim elegit Dominus habitationem sibi; ut in hoc Sanctuario religionis patefaciant Pontificiæ claves fores Regni cœlestis nationibus credentibus. Intereà dum tantum ex isto Regno solatium Roma, nationum parens, expectat; perfruitur fama nomi-

nominis tui plausu Italiæ. Porrò autem Senatus Apostolicus, coronatus purpura Regum, & ex universis Catholicæ Ecclesiæ Regnis selectus, gavisus est non mediocriter; ubi accepit, patefactum esse in Iberia templum, curante Authoritate tua, Sacerdotibus nostris. Ibi certè non modò commorabuntur virtutes, è Cœlo petitæ, & saluti Terrarum servientes; sed etiam excubabit oratio Regnorum custos, quæ legiones Angelorum devocare studebit ex arcibus æternitatis: ut eodem tempore, ac duplici victoria de vitiis triumphetis, & hostibus. Volumus, eundem Petrum ad vos redire testem Pontificiæ solicitudinis, & benevolentiæ. Dignus planè est, quem omni officiorùm genere colat natio Ibera; cujus saluti ut serviat, Patriam, ac propinquos oblivis citur. Ex eo cognosces, cur optatos pictores, & medicos, tam periculosi itineris comites secum non deducat. Ei autem non modo fidem haberi; sed etiam omnem, qua polles, opem cupimus adjungi, &c. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo piscatoris die 21. Junii, 1631. anno Pontificatus nostri octavo.]

Has secum deferens Pater Avitabolis commendatitias literas; novumque, ad suæ missionis aciem roborandam, acerrimorum commilitonum subsidium; iterùm se transtulit in Georgianas Provincias. Ubi postquàm incredibili animi fortitudine ad barbaras illas gentes aditum sibi, suisque sodalibus patefecit, & nostratium Residentias nonnullas, aliis passim supervenientibus sociis, in Iberia fun-

davit, & Colchide; missus denuo fuit ab eodem Urbano ductor aliorum collegarum ad Evangelium Golcundensibus Idololatris annunciandum in Indiis Orientalibus; cui deinde alii plures suæ congregationis Operarii, ex Italia iterum submissi, adjuncti sunt: ibique jam sexaginarius animarum illarum saluti uná cum illis jugiter adlaborát felici, copiosoque proventu. Hujus viri laudem, minimè opus est, hic celebrandam suscipere; dum ejus præclara indoles tam ferventi animarum Zelo excitata jam diù fuit ad perpetuas, ob fidem Catholicam disseminandam, peragrationes; ut proindè omnium, maximè orientalium ore summo gradu celebratissima sit.

Plurima verò ejus, ac primorum sociorum messis, apud easdem Indias tum in Golcundæ, tum in Goæ Regno collecta, [ut de hac nonnihil etiam præloquamur:] gravissimis multorum virorum, & Antistitum testimoniis constat, quippè, cum ex eodem Goæ Regno, Ditione Lusitanorum, omnes fuissent Itali ablegati; ut nihilominus Clerici Regulares, orti licet ex Italia, suæ ibidem Religionis fundamenta jacere possent, [uti sub divinis posteà auspicis impetrarunt:] quos tunc primo habuerunt: illic progressus, planè admirabiles, publicis, & authenticis literis prodidere Illustrissimus Dominus Alphonsus Mendes, Aethiopiæ Patriarcha; Illustrissim' Dominus Fr. Franciscus de Martyribus, Goæ Archiepiscopus, ac Indiarum Orientalium Primas; Reverendissimus Dominus Dominicus Rebellus, Inqui-

Inquisitor; omnes Curiones Parochiarum Urbis Goæ; aliique perplures; quorum satis sit nunc, ne multùm à proposito divertamus, tres tantummodò ád illos innuendos testationes* proferre; primam facit Illustrissimus Dominus Franciscus Antonius Frascellius, Myrensis Archiepiscopus; secundam Superiores earum, quæ in Urbe Goa nunc extant, Religionum; tertiam Vicarii Goæ, aliarúmque, illi magis adjacentium Insularum. Et prima quidem eo ipso, qúo exarata fuit, idiomate; posteriores verò, in Latinum è Lusitano ad verbum conversæ, adducentur.

**Asservantur apud Clericos Regulares, earum autem exemplar in Tabul. S. Cong. de Prop. Fide.*

Testificatio Myrensis Archiepiscopi.

FRater Franciscus Antonius de Sancto Felice, Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Myrensis; & Administrator Ecclesiarum Iaponiæ, & Chinæ, seu Imperii Synarum; universis, & singulis, has præsentes nostras literas lecturis, visuris, aut quomodo libet inspecturis, fidem facimus, & testamur; qualiter RR. Patres, D. Petrus Avitabolis, D. Franciscus Mancus, D. Antonius Ardizonus, Sacræ Religionis Clericorum Regularium Sacerdotes professi; & Andreas Lyppomanus Georgianus, ejusdem Religionis Conversus; qui Nobiscum ex Italia cum mandatis Sacræ Congregationis de Prop. Fide ad has orientales Indias accesserunt; Omnes & singuli respectivè, verbo, & exemplo, opere & doctrina, tanquàm verè Apostolici Missionarii præfulserunt. Nam Andreas Lyppomanus Con-

versus, in simplicium cœtu puritatem custodiens, & à semita observationis mandatorum Dei, & Regulæ suæ non aberrans; secundo circiter, postquàm in hanc appulimus Civitatem, anno, haud exiguo obedientiæ, patientiæ, multarumque virtutum exemplo dato, suique relicto desiderio, in hac eadem Civitate Goæ diem clausit extremum: Pater D. Franciscus Mancus, non multis, postquàm huc pervenimus, transactis hebdomadibus, conversionis infidelium, ac animarum salutis amore fervens, ad Regna priùs Idalcàn, deinde Golgandá demigravit; ibique Apostolicam paupertatem custodiens, Christianarumque virtutum, ac divinarum rerum cognitione resplendens, tam indefessa solicitudine Christi Domini Evangelium disseminavit; ut non paucos Infideles converterit; Apostatas ad Ecclesiæ Catholicæ gremium revocaverit; ac Fideles confirmaverit: ut fatiscente, ac succumbente corpore, piis confectus laboribus, post sex circiter annos ex hac vita migrarit. Pater D. Antonius Ardizonus, qui plusquam septem annis continuis in hac Civitate commoratus est; nedum religiosa perfectione, Christianarumque virtutum exercitio; verùm etiam in signi emicuit sapientia, & eruditione. Nam in publicis disputationibus [quibus & plurimum interfuimus] magnam perspicaciam, & ingenii acumen; ac in privatis consultationibus doctrinæ maturitatem ostendit; & in publicis concionibus, quas frequenter habuit, tanta effulsit eloquentiâ, eruditione,
con-

conceptuum, verborumq; affluentia, & [quod rarum est] in peregrino Idiomate; ut communi omnium plausu magna aviditate turmatim populi ad eum audiendum concurrerint. Resplenduit præ cæteris magno salutis animarum Zelo: nam cum cerneret, majorem naturalium istarum partium fidelium multitudinem; veluti noviter ad fidem conversam, vel ob paupertatem, & rusticanam vitam vel ob servitutem non ita perfectè Christianis præceptis imbutam; partim assumpto incapacitatis prætextu, partim laboris effugiendi causa, ad sanctissimi Eucharistiæ sacramenti communionem á Parochis non admitti; nec in extremis laborantibus Infirmis idem Sacramentum per modum viatici ministrari, nec administrandum censeri; nefas ducens, tot Christi Domini sanguine redemptarum animarum salutem despici, vel potius non ita æstimari aut ita diligenter curari; tanto spiritus fervore crebris prædicationibus, disputationibus, ac privatis admonitionibus eosdem Parochos, eorumque defensores convicit, excitavit, & animavit; ut nedum iidem pauperes, ac nedum iidem pauperes, ac infimæ plebis fideles diligentiùs instrui cœperint; Verùm etiam indiscriminatim ad ejusdem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti communionem admitti; ac eis sacrum Viaticum ministrari. Qua diligentia factum est, ut in Iusulis tantum Goæ, & adjacentibus fermè centum millia fidelium nunc communicent, qui prius sacra, & divina non reficiebantur Synaxi, nec pauci

Neophiti, adhuc Gentilium superstitione infecti, purgati sint. Illustrissimi denique, ac Reverendissimi hujus civitatis Archiepiscopi, Indiarumque istarum Primatis tutelâ, ac patrocinio fretus; multisque superatis contradictionibus; ne sanctum hoc opus negligeretur à Parochis, illud publico ejusdem illustrissimi Domini Archiepiscopi Primatis præcepto, ac sanctione firmari fecit. Et ne aliis longè distantibus divina hæc refectio denegaretur; idem Pater piis literis, ac efficaci quadam, super hoc á se habita, concione transmissa, idem fieri in aliis Civitatibus, ac Terris, in istis Indiis Curiæ Lusitanæ subjectis, ab earum Præsulibus, ac Parochis efflagitavit, eisdemque non sine fructu persuasit; multaque alia ferventis Spiritus sui edidit documenta. Pater tandem D. Petrus Avitabolis, supra scriptorum Missionariorum ductor ac suæ Religionis in istis Indiis Missionum Præfectus, sicut præfuit jurisdictione; ita etiam præemicuit spiritus fervore, mansuetudine, humilitate, caritate, vitæ austeritate, ac denique religiosa perfectione; ita, ut meritò ab omnibus, tanquam viva Evangelii norma æstimetur, & teneatur. Hæc partim, seù potius plurimùm experientia propria novimus, propter intrinsecam cum dictis Patribus familiaritatem; partim publicæ famæ voce; partim aliorum testimonio accepimus; ac proinde, prout suprà scripta sunt, etiam jurejurando affirmam' In quorum fidem has præsentes fieri fecimus, propria manu subscripsimus; ac solito sigillo signa-

signavimus Goæ die decimo Jan. anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo.

Fr. Franciscus Antonius, Archiepiscopus Myrensis.

Testificatio Superiorum Regularium.

NOs infrascripti Superiores Provinciarum & Custodiarum Indiæ Orientalis notum facimus, ac pro certo affirmamus omnibus, has præsentes inspecturis; qualiter Clerici Regulares, Teatini nuncupati, qui jam multis abhinc annis transmigrarunt in Indiam, rebus in ea magni Dei servitii operati sunt. Etenim præter alia multa, quæ unus ipsorum in Regno Golgundæ, suæ Missionis loco, patravit; ubi [prout sumus certiores facti] benignè admodùm ac peramanter ab illo Rege, quin à toto Regno exceptus; atq; ob suam vitæ probitatem, exemplum, & paupertatem, magno semper, quoad illam sanctè finivit, in honore & opinione habitus; quamplures Gentiles ad Catholicam fidem convertit; Apostatas ad eandem perduxit, ac revocavit; Christianis etiam, in partes illas, appellentibus, opitulatus est; eosq; per iter veræ salutis deduxit: cæteri, qui in hac urbe Goa nunc resident, spirituale horum fidelium bonum, animarumque salvationem communi omnium satisfactione & plausu promoverunt, ac promovent; suaq; prædicatione uberem in ea fructum, in actu maximè, & frequentia Sacræ Communionis, ediderunt: satagentes, ut omnes ex Provinci-

is hisce oriundi, fideles saltim in Paschate, & mortis periculo, juxta præceptum Domini nostri Jesu Christi, & sanctæ Matris Ecclesiæ communicarent. Cumq; optimis excellant moribus, atq; institutum adeò sanctum, & extremæ paupertatis profiteantur; ut nec possint, tam in communi, quam in particulari bona stabilia, aut proventus ullos prætextu quolibet possidere; neque eleemosynas ad subveniendum suis necessitatibus postulare; sed vi Regulæ obstringantur sub divina omninò providentia vivere iis eleemosynis, quas fideles, providentiæ ejusdem instinctu permoti, & sua sponte ipsis elargiri voluerint: sunt proindè universo populo huic, qui eos diligit, & in hac Civitate retinere exoptat, maximoperè grati, acceptique. Quam etiam ob causam nos insuper eos amamus, ac magni ducimus: utq; in hac perampla Domini vinea exercenda cooperatores, ac socios habeamus; in hac urbe residere nobiscum, ac fundationem & Ecclesiam obtinere, percupimus. Quapropter omnia, quæcunq; in illos super hac de re conferentur officia, & auxilia; optimo quidem jure collata, atq; in Dei gloriam & honorem, animarumq; profectus cessura esse, adjudicamus. Quòd autem omnia suprascripta vera sint, juramus in verbo Sacerdotis, & has præsentes subscribimus. Goæ, VIII. Kalendas Novembris, 1647. sub sigillo nostri officii.

Fr. Petrus de S. Joanne, Vicarius Generalis S. Dominici.

Fr.

Fr. Michael de Spiritu Sancto, Vice-Commissarius Generalis S. Francisci.

Fr. Martinus de S. Joanne, Vicarius Provincialis Patrum Matris Dei.

Fr. Gonzalus de Conceptione, Minister Provincialis Observantiæ.

Michael de Mendoza, Provincialis Societatis Jesu.

Fr. Stephanus de Jesu, Visitator Generalis Carmelitarum Discalceatorum Orientis.

Fr. Joannes de Rosa, Prior hujus Conventus S. Augustini.

Testificatio Vicariorum.

Fidem facimus Nos infra scripti Vicarii Goæ, aliarumque illi magis adjacentium Insularum; qualiter postquàm accesserunt in Indiam Clerici Regulares Teatini, suo sancto Zelo, doctrina, & virtute magnum in ea Deo Domino nostro obsequium præstitere, ac præstant in conversione, & salvatione animarum, in quibus multa sanè cum solicitudine se ipsos exercent: ac præ aliis R. Pater D. Antonius Ardizonus; qui cum perspexisset, in Provinciis hisce ex vetusto, quique semper in eis invaluerat, more ad sacram Eucharistiæ Communionem non omnes naturales, sed eos tantummodò, qui magis sufficientes viderentur, & capaces, admitti; morientes ut plurimum, nunquàm diviniſſimo hoc cibo refectos; maximè pauperes, servos, mancipia, & qui genere viles à nobis æstimabantur; cujusmodi gentes illæ, quæ vulgò dicuntur Sudri,

Cu-

Curumbini, Saleiri, Mainati, & Farasi; qui sanctissimo hoc Sacramento indigni, & incapaces ducebantur. Quod cum, uti diximus, prædictus Pater perspiceret; efficere conatus est, rem profectò, nunquam prius tentatam, ut nimirum omnes, quotquot ad annos prudentiæ pervenissent, sine ulla exceptione personarum, cujuscunque generis essent, & conditionis, communicarent, præsertim in Paschate, & mortis periculo, juxta præceptum Domini nostri Jesu Christi, & Sanctæ Matris Ecclesiæ; ac etiam, ut iidem omnes, juxta suam quisq; capacitatem, ad id efficiendum instruerentur; & idem augustissimum Eucharistiæ Sacramentum Infirmis per modum viatici ministraretur; atque in ipsorum ædes, & tuguria, quantumlibet vilia, & angusta, deferretur. Quocirca plurimas, hac in re sibi oblatas, difficultates, & contradictiones, diversis habitis dissertationibus, concionibusque, superavit: eo sermone potissimùm quem in Ecclesia Goæ Cathedrali habuit die solennitatis Corporis Christi coram Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino Fr. Francisco de Martyribus, Archiepiscopo Primate; qui, ut antistes Zelo divino flagrans, suarumque ovium salutis studiosissimus, operam quoque suam illi præstitit pluribus edictis, ac mandatis quæ per omnem suæ Diœcesis locum promulgavit; præcipiens, ut adeo sanctum, tantæque obligationis documentum ad effectum perduceretur; uti jam in præsentia fit, magna quidem hujus Christianitatis satisfactione, & incremento; quæ proinde

inde notabiliter ad morum, vitæque frugem meliorem evasit, evaditque, siquidem complures generaliter confessi sunt; multasque confessiones irritè prius factas, refecerunt. quodque majorem attulit gratulationem, fuit conversio multorum Christianorum, qui occultè erant Idololatræ; sed hanc ob causam ad Catholicam fidem conversi sunt. Efficere prætereà magno conatus est Zelo ac spiritu, & conatur prædictus Pater; ut in cunctis harum Insularum Parochiis sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod non, nisi in paucis quibusdam, asservabatur, reponeretur; ut majori cum facilitate succurri possit infirmis; nec ullus Christianus ex eo, quòd in sua Parochiali Ecclesia hoc idem Sacramentum asservatum non habeat, sine sanctissimo viaticò decessurus sit. Qua propter cum isti Religiosi magno sint emolumento spirituali Provinciis hisce; ac institutum adeò extremæ paupertatis profiteantur; ut sub divina viventes providentia, nec bona stabilia possideant, nec ullos exigant proventus, nec tandem quæritent eleemosynas; est proindè sacra ista Religio huic Orienti apprimè necessaria: faciliter enim homines hi, videntes Religiosos à bonis temporalibus alienos, à Gentilitate ac Paganismo retrahuntur. Quòd autem omnia suprascripta vera sint, juramus in verbo Sacerdotis, & has præsentes subscribimus de mandato Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini Archiepiscopi Primatis, nostri Antistitis, no-

bis

bis à prædictis Patribus Teatinis exhibito. Goæ Kalendis Novembris Anni 1647.

Pater Antonius de Norogna, Vicarius Guadalupi.
Pater Stephanus de Gama, Vicarius S. Laurentii.
Pater Martinus de Mello, Vicarius S. Blasii.
Pater Gonzalus Martis, Vicarius S. Joannis Baptistæ.
Pater Franciscus Serraus, Vicarius nostræ Dominæ de Ajuda de Ribandar.
Pater Philippus de Sylva, Vicarius S. Joannis de Sahagũ.
Pater Dominicus de Sylva, Vicarius Dominæ de pietate.
Pater Antonius de Pigno, Vicarius S. Annæ.
Pater Cosmas Damianus, Vicarius S. Andreæ Goæ senioris.
Pater Didic' Antonius, Vicarius S. Simeonis.
Pater Antonius de Teves, Vicarius Dominæ de Conceptione de Pangim.
Pater Franciscus de Braganza, Vicarius Nostræ Dominæ Gratiarum de Chorao.]

Hucusque testimoniorum literæ quæ cùm in enarrandis Patris D. Francisci Manchi progressibus, apud Golcundenses Idololatras habitis, parcissimæ sint; ad illos etiam paulò prolixiùs referendos, alii occulati testes à nobis producendi sunt. At enim plurima hujus servi Dei egregiè facta, facinora ignorantur: quippè à solo, ac nulli, qui ea indicare potuisset,

ſet, juncto ſodali, patrata fuerunt in Golgundæ Regno, tam remoto, & à Fidelium frequentia alieno; ut adhuc ejus ad Cœlum tranſitus non niſi octo circiter poſt menſes, Goam ad Noſtratium aures pervenire potuerit. Pauca porrò ex iis, quorum notitia habita hactenus eſt ſcripturis * authenticis affirmata atque jurata fuerunt ab iis Chriſtianis, qui eodem in Regno ſæpe verſati ſunt: ut ex infra ſcriptis perſpicietur.

*aſſervantur apud Cler. Reg. earum autem exemplar in Tabul. Sacræ Congreg. de Prop. Fide.

Die 20. Novembris anni 1645. tresdecim viri Luſitani, incolæ Provinciæ S. Thomæ Apoſtoli in India; videlicet Antonius de Siquera, Michael Dies, Balthaſar Pereira, &c [qui cunctorum deſiderat nomina adeat Tabularium Sacræ congregationis de Prop. Fide] Hi omnes, è Regno Golgundæ reverſi, in avthographo, à ſe ipſis ſubſcripto in canarà ſequentia verba in ſacris Evangeliis dejerarunt:

' R. Pater D. Franciſcus Mancus Teatinus tantum probatiſſimæ vitæ exemplum in Regno Golcundæ vel Mahometanis, vel Idololatris, vel Noſtratibus ad imitandum propoſuit; ut revera, jureque optimo ipſi congruat illud, quo vocatur, nomen Apoſtolici viri. Nunquàm enim á negotiis ſui ſuſcepti oneris vacat, magnum Paganorum, atque Gentilium numerum ad ſanctam Chriſti fidem perducens, multoſque eidem fidei reconcilians Apoſtatas, admirabili præterea caritate, noſtrorum Chriſtianorum animis à mutuis inimicitiarum diſſidiis ad pacem, & concordiam revocandis operam dat; cujus quidem muneris obeun-

obeundi præcipua à Deo gratia donatus videtur. Hanc autem ob causam, atque ob eximiam suæ vitæ integritatem, cum in fidelium, tum in Paganorum, & Gentilium corda tantum habet imperium; ut, quicquid postulet, magni etiam momenti rem, facile assequatur à singulis. Illud porro, quod in hoc religioso viro potissimum admirati sumus, extrema fuit pauperies, ac miseranda, quam suffert, inopia; cum tamen multarum, sibi oblatas, pecuniarum Eleemosynas renunciaverit. Hinc sæpè ægrotantem vidimus, omni, qua juvare posset, famulorum ope privatum; immò & ipso, in quo jaceret, cubili carentem, ne proinde istiusmodi conqueritur incommoda, nec subsidium petit ab aliquo; valde divitem esse, inquiens, qui voluntarius pauper est. Deprehendimus insuper in hoc Religioso maximam Caritatem, & Zelum animarum: præsenti anno, ut Christianis opem ferret, è Golgunda usq; in Gergelìm ter iter confecit fere menstruum, semel verò ea solum de causa, ut adulteræ cujusdam mulieris, ejusq; matris, ac mancipii, adulterio illius consentientium, mortem impediret: quod ipse totum, magno adhibito studio, prudentia, ac labore, optatum ad finem perduxit, illi tamen ea in re beneficium præstitit; quæ posteà, ut liberè amasio pristino poteretur, Dei servum, cujus frequentes increpationes æquo ferre animo non valebat, insectata est igne; quo intempesta nocte, ventisque perflantibus in tugurio, ubi Pater jacebat, paleis congesto, tam improvisum excitavit in-

incendium; ut vix è voracibus flammis, cum jactura rerum suarum eripi ille potuerit semiustus. Cum verò deinde rea fœmina veneno illum interficere minimè potuisset, veneficiis divexare conata est. Rogatus fuit à Præside Provinciæ Biblipatam, ut duos hortos dono acciperet; ubi Ecclesiam cum domo ædificaret: quibus Pater acceptis, Templum nunc extruit titulo Sanctæ Crucis Teatinorum; eamque ibi Crucem deposuit, quæ hoc eodem anno coram Paganis, Gentilibus, ac Fidelibus Lusitanis, in Chouchim habitantibus, magnam sanguinis copiam effundere visa est, &c.

Præterea die 26. Aprilis, sequentis anni 1646. Manuel Antunes Aveirensis, Joannes de Moraês, qui nupserat in Coulám uterq; Lusitanus; & Georgius de Jacobo Armenus, qui uxorem duxerat in Urbe Goa, in curia ejusdem Urbis primaria per actus authenticos, & jurejurando, quæ sequuntur, deposuere.

R. Pater D. Franciscus Mancus Teatinus, vir moribus, vita, exemplo præstantissimus; ac plurimum pollens virtute, zelo, & authoritate; magna integritatis famâ celebratur, magnique penditur à Rege, & populo Golcundensi. Cumq; ab eodem sibi Rege Gentiles ad Christianam fidem convertendi facultas data esset; nimium in Infidelium Apostatarum, & Christianorum salute procuranda profecit; multosque à proposito desciscendi à recta fide retraxit. Arctissimum profitens paupertatem, nihil pro se acquirit; sed egenis, pauperibus, viatoribus, atque è naufragio illuc

appulsis, suam eos in domum excipiens, quicquid possidet, elargitur, verus inopum Pater, & desertorum. A mundanis rebus multùm est alienus; nihil propriis de commodis solicitus; noluit, studio paupertatis, magnam pecuniæ summam, quæ ab Armeno quodam moribundo ei relinquebatur, accipere; solummodò ad muneris sui partes perfectissimè assequendas, ad unam scilicet animarum salutem, sua omnia confert studia. Undè diu noctuq; Ecclesiæ Sacramenta administrans; fervore, zeloq; admirabili concionans; Templum quoddam summa omnium oblectatione ædificans, verum præ se fert Apostolicum virum.

Deniq; anno 1647. [postquàm tantus vir ex hac mortali vita decesserat] die 17 Julii, Antonius Cyrne de Sylva, patricius Lusitanus, Chirographo suo, jurato in sanctis Evangeliis, Goæ id, quod sequitur, affirmavit.

Viris ego comitatus decem, & septem, iter ex Urbe Goa in Belgale Regnum terrâ susceperam; ut huc, ductam à me illic, asportarem uxorem. Transiens autem per Regnum Golcundæ, comperi, Patrem D. Franciscum Mancum sibi jam extruxisse Ecclesiam, in qua liberè Sacrum diebus singulis faciebat. Perspexi interim, eundem Patrem maximos ibi progressus saluti animarum habere: conferebat enim pœnitentiæ Sacramentum Christianis tum manifestis, tum occultis, & Armenis, Georgianis, ac Moghorrensibus; quorum etiam liberos baptizabat, multos præterea ritus erroneos corrigebat illorum, quos ad agnitionem

Christianæ fidei, atq; ad Ecclesiæ Romanæ statuta custodienda inducebat. Cæterùm usq; adeò habebatur virtute castitatis excellere, ut appellaretur vulgò Pater castratus. Quocirca exploratum mihi fuit, illum à Paganis per mulieres, ad ejus castitatem labefactandam immissas, non semel probatum esse; qui postea, ut purissimi viri virtus pro merito commendaretur, factum promulgarunt ubique. Novi etiam, illum propter animarum conversionem solitum longè lateq; peregrinari; plurimùm apud Regem, Optimatesq; illius Regni valere; cunctis, illuc proficiscentibus, in rebus quoq; temporalibus nimiùm profuisse, &c.

Hæc, atq; alia, quæ brevitatis gratia omittuntur, testimonia de virtutibus Patris nostri D. Francisci, ejusq; in Infidelibus convertendis progressionibus, transmissa fuerunt Romam cum prolixa relatione gestorum ejusdem Patris à D. Petro Avitabole Missionis Præfecto. Unde peritissimus Doctor Hieronymus Fabri, Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Minister, typis dedit pereruditam suam opellam cujus Titulus est: *Missionario Apostolico.* in qua Patris D. Francisci vita accuratè describitur.

Nuncium obitus ejus, qui contigit circa finem anni 1646. Goam pertulit è Regionibus, Golcundensi Regno finitimus, epistola ad Patrem nostrum D. Antonium Ardizonum data die 12. Martii, 1647. à Rev. Patre Christophoro de Gouea è Societate Jesu, Collegii

Civitatis S. Thomæ Rectore; qui hæc alia in ea subdit: Audivi præterea, eundem Patrem D. Franciscum fel. mem. nullius momenti rem domi reliquisse post mortem: quare omnes ex maxima ejus paupertate, ac religione multum ceperant virtutis documentum. Fertur etiam super stoream humi stratam fuisse solitus decubare; ac villam quandam, à Domino ejus sibi oblatam, renunciasse; magnam deniq; Sanctitatis famam, & odorem apud omnes reliquisse. &c.] Hactenus dicta sufficiant de Indica Clericorum Regularium Missione; quæ cum majores hoc anno ex novis Operariis vires resumpserit, fructum deinceps creditur, ope divina, uberiorem latura.

Ut autem in Iberiam & Colchidem, è quibus cum Patre Avitabole digressi fueramus in Indiam, iterum revertamur; relatis jam Iberorum erroribus, de Colchorum religione dicendum nunc superest. Et quidem istis etiam, qui sunt cum Iberis, ut loci vicinitate, ita fide, ac religione conjuncti, iidem prorsus suprà relati illorum mores, errores, & abusus ascribendi sunt; quin & eò pejores, quò Colchi, sylvosos colles, & saltus usquequaq; horribiles, sparsim more ferarum inhabitantes sine ulla, non modo Urbis, sed ne Pagi quidem, aut Vici frequentia; magis præcipites, efferatioresq; populi sunt; majoriq; inscitia, & superstitione tenentur.

Quamobrem eorum in rebus sacris incuria eo usq; pervenerat; ut vel ipsam verborum Baptismo necessariam formulam ignorarent;

sicut

ſicut à noſtratibus ſummo adhibito ſtudio compertum fuit. Hinc Baptiſmatis Sacramentum eodem ipſi ritu, quo Iberi, cæterò conferentes; à prolatione tamen ejus formulæ [quæ adhuc inter hos, uti ſuperiùs dictum eſt, intempeſtivè, & non abluente quidem, proferebatur] non ſolùm penitùs abſtinere ad hæc usque tempora conſueverant: verùm etiam quò ſolenniùs Optimatibus Sacramentum illud miniſtraretur, vino interdum, & non aquâ, fiebat ablutio.

Talis igitur in Iberia erat, & Colchide ſtatus Chriſtianitatis, cum ad ſpirituales Provinciarum illarum vineas excolendas miſſi fuere Clerici Regulares. Jam verò, antequàm de horum incommodis, laboribusque & fructu quoque, ex earum hucusq; cultura percepto, diſſeramus; haud ab re ducimus, aliquam de iisdem Regionibus, ipſarumq; Principibus, prætermittere narrationem.

De Iberorum Orientalium Regno, & bellis in eo noviſſimè geſtis.

PRotendebat antiquitùs terminos ſuos ſub unius moderamine Regis Iberiacum Imperium, ab Oriente uſq; Ecbatana, Mediæ majoris Metropolim, quam vocitant hodiè Tauris; ab Occidente, Meridieq; usque Trapezuntim, & Arzerum, ab Aquilone demum ad populos Abasgos. Lapſu verò temporum in quinq; duntaxat Provincias inter Euxinum, & Caſpium mare ſe contraxerat: quarum qua-

tuor ipsam Iberiæ Regionem constituunt; quinta est Colchis, moribus, lingua cœlique temperie ab illis discreta, etsi finitima Regio.

Has ergò Provincias annosus quidam Rex Iberorum, dum adhuc viveret, totidem filiis suis partitus est, singulas singulorum subjiciens imperio. Quæ prima erat, & caput Iberiaci Regni; Imeretum, sive alio nomine *Bassacinch* ab accolis dictam; ubi Regia in munitissima urbe Cotatis posita erat, primogenito unà cum titulo Regis attribuit: Cardelium autem, Rachetum, Gurielem, & Colchidem reliquis quatuor; quos & majori natu filio esse voluit vectigales. Patre ab humanis erepto, fratres minores, pendentes aliquandò majori tributum, inficiantur in posterum; ab eoque immunes fiunt, & Principes supremi: sui quoq; juris perstitere ad nostra usq; tempora successores.

Ab hinc porrò sex supra viginti circiter annos, præpotens Rex ille Persidis Sciahabàs, nescio quo percitus odio; nisi fortè, quod nullus Iberus tributo sibi solvendo esse vellet obnoxius; Cardelii, Kachetiq; Provincias, ditioni suæ conterminas, populatus est, penitusque vastavit; innumeros ferè Iberos, cùm viros, tum mulieres, inde in Persidem captivos abducens. Oppressit mœroris ictu acerbissimus casus Theimuratium, utriusque Provinciæ Principem Christianum; qui, ut placatum redderet Persam & captivorum ad restitutionem alliceret; matrem suam ad ipsum allegavit oratricem, eximia pulchritudinis, pieta-

tisque

tisque & magnanimitatis heroinam. Hanc ut primùm vidit oculus, statim arsit cor Sciahabasi: amore ebrius, impietate plenus, nil intentatum reliquit; ut castissimam ad impudicitiæ, Christianam ad apostasiæ flagitium traheret, non illecebras universas, non minas; spondet Regni coronam supplicia, & mortem intentat: ad extremum in fide, & castitate constantissimam expertus; actus in rabiem, sævissimis illam urget tormentis usque ad extremi spiritus profusionem.

Tristi nuncio de crudelissimo genitricis interitu accepto Theimuratius præ nimia doloris acerbitate penè disruptus est: utque illum quomodo libet vindicaret; ac deinceps tutius redderet ab incursione Persarum Dominium suum; id planè machinatus fuit incautus, quod posteà citrà spem in majorem suimet perniciem cessit. Dominabatur in Provincia Gangiæ, media inter Persidem, & Iberiam, cultor Mahometicæ superstitionis, Daut Kan; subditus Regi Persarum; qui malevolorum invidia, & improbis artibus ex ejusdem Regis gratia, benevolentiàque non nihil exciderat. Cum hoc finitimo Principe firmissimo junctus fœdere Iberus, non cessat eundem ad rebellionem in Sciahabas Regem per assiduam instigationem impellere, quousque fit voti compos; ratus quidem uterque, conjunctis unà simul viribus suis, posse longè dissito, & si potentissimo hosti resistere. Exæstuat ira, ulciscendæque ardore injuriæ, hæc audiens, Persa Tyrannus; quam citissimè potest, Rostua-

num, Iberum genere, sed apostatam, florentissimo instructum exercitu centum millium Persarum equitum, ad fœderatos, rebellesque Principes debellandos immittit; ut, qui ex Iberorum Primatum sanguine pariter oriundus erat; alterius Iberi Ducis, si eum devincere posset, sibi jura, ac Principatum acquireret.

Validissimi hujus terror exercitus universam funditùs tremore concussit Iberiam; quæ proinde putabat sub Persicæ tyrannidis jugum se totam tunc temporis ruituram. Præ cæteris autem animo consternati, ingentique metu perterriti sunt Theimaratius, & Daut Kan; qui nunquàm arbitrati fuerant, se tot, tantisq; viribus invadendos: quare hic, arrepta fuga, perrexit ad Turcas, relicta Gangia in manu Persarum; ille verò, Iberius inquam, sese in Kachetum recipiens, inter asperrimorum prærupta montium communivit; deserens Cardelii Provinciam hostilibus armis expositam. Hanc Rostuanus, direpta, vastataque Kacheti planitie, proprio mancipavit dominio, castris duobus exceptis, quæ sibi, suoque præsidio jussit Persa muniri; ne novus Princeps desciscere valeret unquàm à Persis. Cæterùm Theimaratius, ut unius saltem Kachetensis Provinciæ pacificè posset ditione potiri; filiâ sua, specie, gratiaque venusta, in uxorem Persarum Regi donata, vectigalem se in posterum pollicetur; quibus permulcta munere, & obsequio, tandem ira potentissimi Regis sedata est.

Dum hæc interim initio agebantur; in cæteris Iberiæ Provinciis novi excitantur tumul-

tus inter Principes Christianos; novique belli offertur occasio. Tractabat gubernacula Colchidos Dadianus Princeps, ita cautè provideq; ac tanta quidem vel in subjectos, vel in extraneos benevolentia, & liberalitate; ut propterea ad sui dilectionem & observantiam exterorum quoque Optimatum corda pelliceret. Hinc laudem suam præ Iberis Principibus undique celebratam conspiciens, ad superbos actus ultra modum efferebatur: & quod pejus, perinde ac si præesset æqualibus, præscripta sibi cum finitimis Regulis jura transgrediebatur, & contemnebat indies. Subiit ergo acerbissimum odium vicinorum, tum Georgii Regis Imereti; tum Simonis Principis Gurielis, cui uxor erat ipsius Dadiani germana; tum denique Abasgorum Ducis: qui omnes solertissimam ejus sagacitatem, ac simul potentiam formidantes animi livorem simulatione tegebant. Conceptam malevolentiam casus, qui sequitur, enarrandus, adauxit.

In suspicionem adducitur apud virum conjux Dadiani, filia Ducis Abasgorum; quòd, fide thalami violata, habuisset rem cum Visiro [hoc nomine Colchiaco Principi gratiosissimus omnium aulicus nuncupari solet] Et quidem ea res, quæ manifesta omnibus erat, quamvis nullam in Colchide turpitudinis notam pro more inureret; apud Principem tamen, quod secundis perpulchræ, atque illustris adolescentulæ nuptiis animum intenderet, uxorisque in dilectione frigeret, malè multum audivit; quapropter habita ut turpissima,

illum irritavit ad ultionem. Vlciscitur ergo Barbarus supplicio non mortis, sed morte quidem ipsa crudeliori: amputat adultero Principi nasum, aures & linguam; moxque renunciato repudio, illam remittit ad patrem, quem ob id sibi facit infensiorem. Dein agit mitiùs cum adultero [quo sanè ingeniosior ac solertior nullus è Satrapis;] apprehensum non mutilat, non capite punit; neque ne huius artes seditionem in populo concitarent, apud se in vinculis detinet; sed in Gurielem sub tuta missum custodia, Simoni Kan Leviro suo, quem sibi putat amicum, concredit; enixè rogans, illum ne sineret evagari.

Annuit Dadiani votis amicus fictitius hilari, sed simulata fronte: acceptum porrò Captivum adhibet crebrò in secretis consiliis; qui, ut suæ prospiceret incolumitati, occasione reperta pro animi sententia non parcit insolentiæ Dadiani disertis, plenisque vocibus oblatrare. Ergone subdetur, ait, Iberia Colchidi? Ecquid ô Principes Iberi præstolamini ulteriùs spectaturi? En jam cernitis elatum animo hominem in dies singulos magis magisque jura vestra proterere, plusque sibi assumere, quam ratio ulla ferat. En jam obsequio, famâ, viribus perpetim, uberrimeque succrescit dedecori, decrementoque vestro, quidni è Colchiaca, humilique valle erectus, dum permittitis ultrò coronatam cervicem attollat novus Rex, novus Imperator; ut excelsa, indomitaque hactenus, vestri Caucasi juga jugo subdat, ac domet? quidni, dum succumbitis ultrò, ad summum

num Iberiæ totius Imperium superbus aspiret? tum valebitis, cum tandem potentiâ exaggeratus cunctis erit pertimescendus, obsistere? profectò inveterato, corroboratoque morbo frustrà, dum serò parabitur medicina.

His, & similibus ab industrio, navôque Captivo exacerbatur, & incitatur magis in Colchum odium Iberi Ducis Simonis; qui, cum pariter impius, & cruentus admodum esset [ut citiùs enim regnare potuisset suum ipsum jugulaverat patrem;] solicitè sciscitatus fuit ab hospite: quænam foret via dolis aptior? quibusve communis, ac latens hostis tentandus insidiis; ut posset vitâ privari? His etiam sine cunctatione suggestis, mittit clanculùm nuncios ad Abasgum, atque ad Imereti Regem Georgium; quos factos de re commodoque publico certiores, facile ad suam trahit sententiam. Itaque de Dadiano per insidias obtruncando tres isti conjurant: vel, si fortè his patefactis alienum à voluntate exitum res haberet; de eodem tribus undique exercitibus statim, & uno tempore circumvadendo deliberant: utcunque demum, ipsum prorsus è medio tollere; ac Josephum ejus fratrem, eidem conspirantem scèleri, in locum demortui Principis subrogare.

Ergo reperitur, ac mittitur, qui cædem cautè committere sciat; & si nequeat, conjuratione tentatam fidus celet, sicarius veterator. Detinebatur hoc tempore Dadianus festivis nuptiarum solenniis implicitus: etenim prima repudiata conjuge, uxorem patrui sui Sipar-

diani,

diani, cujus jam diu amore flagrarat, nuper raptam, superstite adhuc, & invito viro, sibi matrimonio copulaverat: quod quidem ob scelus idem Sipardianus, dolore vehementi oppressus, propediem vitâ excesserat. Jam extructum erat opaca inter nemora Colchidis ad nuptiarum convivia æstate celebranda, auras que molliter ac delicatè captandas accomodum, triclinium amplum, & cancellatum. Cujus intra repagula dum Princeps in pleno convivio recumbens, & incumbens tergo cancellis epulationib', ac potationibus, canticis, & symphoniis cum innumera servorum, & convivarum turba oblectaretur; advenit extra occultus, & ab equo desiliit grassator: tum ad latus triclinii posticum lento accedens pede, arreptam jecit lanceam per cancellos, fixitque, vi quanta poterat, in dorso Reguli: mox in equum citò resiliens, vitam suam celeri fugæ mandavit. Exanimata servorum pars fuso, ac semineci accurrit Domino; altera pars interrita velocissimis rapitur equis persequens homicidam; quem tamen assequi minime potest.

Dum intereà conjurati Principes, læti non magis de patrato facinore, quam de non prodito conjurationis arcano; Dadiani mortem avidissimè expectabant: ille manibus periti Chirurgi lethale vulnus committens; nil aliud magis diù noctuq; animo solicito revolvebat, quàm conjecturas, quibus posset prædivinari; à quonam ictus venisset. Et jam rerum omnium, non relatu quidem; sed suo, ut dicitur, marte gnarus; machinati sceleris aucto-

rem,

em, patronosq; singulos mira, quæ pollebat, ingenii perspicacitate cognoverat: prudens tamen celat silentio, ac nescire se simulat, quæ non poterant, opportuno nisi tempore, vindicari; unius solummodò rei tunc habita ratione, nimirum salutis recuperandæ.

Bimestri ergo dubietate anceps suspenditur sauciati Principis vita: deinde habetur incolumis: tandem pistrinis perfectè viribus restituitur. Jam valens, ac vegetus, jubet, hominis cujusdam, qui criminis conscius conjecturâ judicabatur, amputari dextram, oculosq; exuri; ratus, hac solùm pœna se cunctis persuasurum, de inflicto vulnere ultum satis: quippe mos erat in Regione, non plecti capite, nisi vel Ecclesiæ direptorem, vel cujus vita Principis aut Principatus immineret exitio.

Hoc facto; interjectoq; non modici temporis intervallo missis in Gurielem Oratorib⁹, maximas Simoni gratias & agere, & habere se, fingit; quòd concreditum ipsi Visirum tandiu in sui gratiam custodisset: at nunc, ut velit eum ad se remittere, petit. Contrà verò Captivus, animo sibi malum venturum præsagiente, multum anxius; Rogat Simonem, ipse ne mittatur: certè scio, inquit, ad capitale me supplicium accersiri. At ille, quid times? respondit: haud enim nostræ patuerunt insidiæ: cæterùm si quando tutus adhuc omnino non eris; ab omni quidem periculo securum te mea redditura est commendatio.

Itaq; Dadianus redditum sibi Visirum, & officiosè etiam commendatum teneri sub custodia

ſtodia juſſit, debitas molitor tanti ſceleris, citò pœnas perſoluturum. Deinde, nulla interpoſita mora, Colchos univerſos, qui noſſent arma tractare, maximè verò Proceres, intra diem convocat, & parat ad bellum. Inſtructum agmen triginta millium armatorū, quorum pars major equites, ſuſpenſum animo tenet, primam ſequentis diei differt ad lucem. Nullam ſane magis virtutem in hoc Duce laudaverim, quàm celeritatem, & occultationem ſecreti. Nocte interim intempeſta, exercitu quiete compoſito, fragor ingens, horribilis inſtar tonitru, improviſò auditur; quo undique Colchicæ valles, & Iberi procul reboant montes, excitæ ſomno ſurgunt illicò exterritæ copiæ, atque ex conſuetudine loci conſciæ infauſti ſigni, quisnam è Dynaſtis ſit juſſu Principis neci datus, interrogant. Siquidem mos obtinuerat, ut cum aliquis è Primoribus, cauſa periurgente, fuiſſet morte, aut gravi pœna mulctandus; [ſolebat enim hoc rarò contingere:] ne qua populi ſeditio, re ante exitum evulgata, conſanguineorum ſontis, amicorumvè induſtriá oriretur; occultè, atque inopinatò id noctu executionem haberet: tum, ut ſupplicium horrifero ſigno, & quo conterriti reliqui frænarentur in poſterum, in tota ſtatim promulgaretur Provincia; bellicum prægrande tormentum, quod unum, & hunc ſolùm ad finem media conſervatur in Colchide, bombum horrendum emitteret. Dum igitur multitudo novitati rei curioſas intendit aures; ecce Præco,

co, clangore tubæ præmisso, è tabernaculo Dadiani proclamat; Discite universi fide incorrupta morem gerere Principi. Josepho Dadiani germano, in vitam fratris, ut Regno scelere potiretur, cum Simone Kan Gurielis conjurato, oculi jàm effossi sunt. Item hujusce Regni Visurus, cubilis dominici violator, conscitæque conjurationis molitor, ne amplius ejusmodi struere posset insidias, vivus intra tormentum immissus, unà cum bombo per aërem dispersus interiit. En idcirco bellum indicitur Gurieli; manè properandum ad pugnam.

Hæc ille palàm pronuncians, suppressit silentio crimen aliorum conjuratorum; ne adversus unum Dadianum, qui eos imparatos, ac singulos invadere cupiebat, varii simul hostes promulgatione provocarentur. Infremuit in nefarios proditores, audito Præcone, Colchorum Exercitus universus; qui dato æquitati læsi Ducis, exactisq; jure suppliciis plausu, ad justas quoq; pœnas armis à Simone capiendas sese invicem excitarunt. Oriente vix luce, impiger Regulus iter quatridui suscipit, aciem gressu festivo in Gurielem deducturus, ac Phasidis quidem per flumen [Rion incolæ vocant] quod Iberiam, atq; Colchidem interfluit, agmine trajecto, incipit undiq; Regionem vastare. Jamq; sparsi rumores, iiq; constantes, ad Uzurghet Regiam Simonis pervenerant; qui coacta properè manu militum, quantacunq; potuerat in ea imminentium periculorum anxietate, & temporis angustia celeriter adunari, venit obviam inimico.

Collatis jam signis, utrinq; sævissimum initur certamen; quippe utraq; pars, non minus ob nimiam festinationem, quam propter odium intestinum, ad pugnam concitata spiritu erat. Itaq; alii eminus crebro telorum jactu acriter in hostes desæviebant; jactaque sibi tela clypeis, & corporis motu vitabant. Cominus alii lanceis, mucronibusq; & tortis congrediebantur machæris, fusum est pari marte hinc inde non modicum sanguinis; & victoria sane diu anceps, tandem videbatur flecti pauxillum potiùs ad Dadianum. Quamobrem Patriarcha Iberiæ Malachias, frater Simonis, qui pro germano dimicabat primæ, atq; omnium strenuissimæ dux aciei; sive spe erectus regnandi loco fratris, sive dejectus animo ob excedentes Colchorum vires, actutum in Simonem pro Dadiano vertit arma suæ cohortis: similiter, ejus exemplum sequuti, Duces nonnulli fecere. Hinc cedente Colchis, ac fugata parte reliqua exercitus Iberorum; armis undiq; hostilibus circumsepitur, atque capitur Simon.

Victoriam igitur consequutus Colchorum exercitus, ad fugientes strenuè insequendos, trucidandosq; jam irruebat; sed cohibitus fuit à Duce, cui quidem visa est, post captum hostem; in insontes, & Christianæ Religionis cultores non esse ampliùs adhibenda sævitia Hac indulgentis animi magnitudine, pietateque illecti universi Gurielenses Primates, debitum victori obsequium præstituri, adeunt ilicò Dadianum; qui cunctos honorificentia magna exceptos, & comitate, his alloquitur verbis:

Non ego, nobilissimi viri, ad Regionem evertendam, aut occupandam; non ad excindendos benevolos, & amicos; sed unum tantummodo ad proditorem Principem debellandum, huc veni. Profectò inulta mihi non relinquenda erat gravissima hominis fraudulenti offensio; qui, nulla unquàm lacessitus injuria, quantum me læserit immerentem, planè jam nostis. Cæterùm haudquaquàm par erat, ut magnificentiæ vestræ præesset, fidelissimoq; tot, ac tantorum Procerum obsequio potiretur, qui non leviri tantùm capiti iniquus, ac fœdifragus tetendit nuper insidias; verum etiam immoderata olim ambitione, ac cito regnandi aviditate exesus, moræq; impatiens, æquo pati animo maluit, sacrilegas manus, in sanguine genitoris fœdare impius parricida. Hæc fatus, adducto in conspectum infelici Simoni ignitis jussit laminis oculos exiccari atq; obcæcatum è Regno detrudi; qui vectus Constantinopolim, & apud Regem Turcarum deploratis in Dadianum frustrà querelis, inde navigavit Hierusalem; ubi religiosæ vitæ instituto diem clausit extremum. At verò Dadianus, Guriele subacta, hosteq; jam sede depulso, Malachiæ, nova priùs tributi, ab eo sibi solvendi, pacta exactione, Provinciæ dominatum concessit, tum pede illinc relato, in Colchidem & Sororem suam Simonis uxorem, & opulentissimum thesaurum, è Regia ejusdem Simonis abreptum, & exercitum thesauri parte larga manu remuneratum traduxit.

Inter hæc autem Georgii Regis Imereti, itidemq; Abasgorum Ducis pectora; quibus mi-

ſerandus obcœcati, ejectique Simonis eventus timoris jam multum incuſſerat; variis curarum fluctibus agitabantur, & res quidem inter ſpem, & metum eorum ſuſpenderat animos, hinc criminoſæ conſcientiæ redargutio jamjam irruentes in ipſos Colchorum phalanges, ac ſeverum vindicem Dadianum ob oculos proponebat: hinc, quam imaginabantur, ſuæ conſpirationis occultatio magnam ſibi ſpem, & à bellorum incommodis ſecuritatem facere videbatur; maximè cum Colchiacus Princeps inflicti quondam ſibi vulneris reos, ſolos duntaxat Viſirum, Simonem, & Joſephum, in quos ultus jam erat usq; affatim, præconio promulgâſſet. Altera ſubinde non minus perplexa dubietas ipſorum occupaverat mentes: num congregatis copiis in procinctu ſtare deberent, exitum rei præſtolantes armati, nequando improvidi appeterentur? an motu armorum, quo crimen forſan occultum, exploratum certè, ac publicum fieret, abſtinerent; poſtremum hoc tandem, ſeorſim, & conſilii alterius inſcii, [quippe inter Abaſgos, & Imeretum Colchis erat media] eligere ſtatuunt.

Dux verò Colchidis, ac verſutus Satrapes ille Dadianus; qui, ut Caucaſios clivos ditioni jungeret ſuæ, Iberorum Magnatum benevolentiam largitionibus, aliisq; blanditiarum illecebris conſectari, nulla intermittebat die; quamvis certum Abasghi, Georgiique crimen, non ipſi ut certum, ſed conjecturale proponeretur; arripuit tamen lubens vel minimam, quam diú quæſierat, oblatam occaſionem, quæ, ſi ad

ſi ad bellum juſtè inferendum nequaquam ſufficiebat; ſuperfuit tamen imperitandi cupiditati, quæ per bellum explenda erat. Dimiſſum igitur fatigatum exercitum, & fere per hebdomadam ſuis in domibus è labore præterito recreatum, extemplò iterum convocat, luſtrat, ac recenti, fortiſſimoque milite roborat. Tum mittit citò ad Regem Georgium feciales legatos; qui ei bellum indicerent tali, ne ſuſpicioſus ipſe fieret Abaſgo, prætextu: quòd fœdo junctus fœdere cum Simone, percuſſorem ad ipſum inſidiis opprimendum miſiſſet; ut Colchis, in ſtatum priſtinum redigenda, Imereto, Iberoque Regi ſubigeretur. Nec dum Cotatis regalem ad urbem legati pervenerant; cum ipſe, quaſi ad triumphum potius, quàm ad conflictum iturus, unà cum uxore ſe viæ commiſit, exercitum conducturus in Imeretum.

Porro Georgius, cui proprium crimen timorem attulerat, magnam quoq; timor ſuſpicionem, qua in explorando quemlibet adverſarii motum penè ſcatens oculis Argus evaſerat; ſtatim ac inimicum ad ſe iter direxiſſe, per ſpeculatores præſenſit, manus vertit ad arma; Proceresque omnes, & copias celeritate maxima congregavit. Cumque armatam inſtruens aciem; turmasque, & cohortes duces ſub ſingulos in ordinem referens, exercitui obequitaret; milites univerſos pavore exanimatos animadvertit: [Colchorum namquè phalanges, ex Gurielenſi victoria impetu magno, & audacia redeuntium, terrore regionem imple-

tuor ipsam Iberiæ Regionem constituunt; quinta est Colchis, moribus, lingua cœlique temperie ab illis discreta, etsi finitima Regio.

Has ergò Provincias annosus quidam Rex Iberorum, dum adhuc viveret, totidem filiis suis partitus est, singulas singulorum subjiciens imperio. Quæ prima erat, & caput Iberiaci Regni; Imeretum, sive alió nomine *Bassacinch* ab accolis dictam; ubi Regia in munitissima urbe Cotatis posita erat, primogenito unà cum titulo Regis attribuit; Cardelium autem, Rachetum, Gurielem, & Colchidem reliquis quatuor; quos & majori natu filio esse voluit vectigales. Patre ab humanis erepto, fratres minores, pendentes aliquandó majori tributum, inficiantur in posterum; ab eoque immunes fiunt, & Principes supremi: sui quoq; juris perstitere ad nostra usq; tempora successores.

Ab hinc porrò sex supra viginti circiter annos, præpotens Rex ille Persidis Sciahabàs, nescio quo percitus odio; nisi fortè, quod nullus Iberus tributó sibi solvendo esse vellet obnoxius; Cardelii, Kachetiq; Provincias, ditioni suæ conterminas, populatus est, penitusque vastavit; innumeros ferè Iberos, cùm viros, tum mulieres, inde in Persidem captivos abducens. Oppressit mœroris ictu acerbissimus casus Theimuratium, utriusque Provinciæ Principem Christianum; qui, ut placatum redderet Persam & captivorum ad restitutionem alliceret; matrem suam ad ipsum allegavit oratricem, eximia pulchritudinis, pieta-

tisque & magnanimitatis heroinam. Hanc ut primùm vidit oculus, statim arsit cor Sciahabasi: amore ebrius, impietate plenus, nil intentatum reliquit; ut castissimam ad impudicitiæ, Christianam ad apostasiæ flagitium traheret, non illecebras universas, non minas; spondet Regni coronam supplicia, & mortem intentat: ad extremum in fide, & castitate constantissimam expertus; actus in rabiem, sævissimis illam urget tormentis usque ad extremi spiritus profusionem.

Tristi nuncio de crudelissimo genitricis interitu accepto Theimuratius præ nimia doloris acerbitate penè disruptus est: utque illum quomodo libet vindicaret, ac deinceps tutius redderet ab incursione Persarum Dominium suum, id planè machinatus fuit incautus, quod posteà citra spem in majorem suimet perniciem cessit. Dominabatur in Provincia Gangiæ, media inter Persidem, & Iberiam, cultor Mahometicæ superstitionis, Daut Kan; subditus Regi Persarum; qui malevolorum invidia, & improbis artibus ex ejusdem Regis gratia, benevolentiâque non nihil exciderat. Cum hoc finitimo Principe firmissimo junctus fœdere Iberus, non cessat eundem ad rebellionem in Sciahabas Regem per assiduam instigationem impellere, quousque fit voti compos; ratus quidem uterque, conjunctis unà simul viribus suis, posse longè dissito, & si potentissimo hosti resistere. Exæstuat ira, ulciscendæque ardore injuriæ, hæc audiens, Persa Tyrannus: quam citissimè potest, Rostua-

num, Iberum genere, sed apostatam; florentissimo instructum exercitu centum millium Persarum equitum, ad fœderatos, rebellesque Principes debellandos immittit; ut, qui ex Iberorum Primatum sanguine pariter oriundus erat; alterius Iberi Ducis, si eum devincere posset, sibi jura, ac Principatum acquireret.

Validissimi hujus terror exercitus universam funditùs tremore concussit Iberiam; quæ proinde putabat sub Persicæ tyrannidis jugum se totam tunc temporis ruituram. Præ cæteris autem animo consternati, ingentique metu perterriti sunt Theimaratius, & Daut Kan; qui nunquàm arbitrati fuerant, se tot, tantisq; viribus invadendos: quare hic, arrepta fuga, perrexit ad Turcas, relicta Gangia in manu Persarum; ille verò, Iberius inquam, sese in Kachetum recipiens, inter asperrimorum prærupta montium communivit; deserens Cardelii Provinciam hostilibus armis expositam. Hanc Rostuanus, direpta, vastataque Kacheti planitie, proprio mancipavit dominio, castris duobus exceptis, quæ sibi, suoque præsidio jussit Persa muniri; ne novus Princeps desciscere valeret unquàm à Persis. Cæterùm Theimaratius, ut unius saltem Kachetensis Provinciæ pacificè posset ditione potiri; filia sua, specie, gratiaque venusta, in uxorem Persarum Regi donata, vectigalem se in posterum pollicetur; quibus permulcta munere, & obsequio, tandem ira potentissimi Regis sedata est.

Dum hæc interim initio agebantur; in cæteris Iberiæ Provinciis novi excitantur tumul-

tus

tus inter Principes Christianos; novique belli offertur occasio. Tractabat gubernacula Colchidos Dadianus Princeps,ita cautè provideq; ac tanta quidem vel in subjectos, vel in extraneos benevolentia, & liberalitate; ut propterea ad sui dilectionem & observantiam exterorum quoque Optimatum corda pelliceret. Hinc laudem suam præ Iberis Principibus undique celebratam conspiciens, ad superbos actus ultra modum efferebatur: & quod pejus, perinde ac si præesset æqualibus, præscripta sibi cum finitimis Regulis jura transgrediebatur, & contemnebat indies. Subiit ergo acerbissimum odium vicinorum, tum Georgii Regis Imereti; tum Simonis Principis Gurielis, cui uxor erat ipsius Dadiani germana;tum denique Abasgorum Ducis: qui omnes solertissimam ejus sagacitatem, ac simul potentiam formidantes animi livorem simulatione tegebant. Conceptam malevolentiam casus, qui sequitur, enarrandus, adauxit.

In suspicionem adducitur apud virum conjux Dadiani, filia Ducis Abasgorum; quòd, fide thalami violata, habuisset rem cum Visiro [hoc nomine Colchiaco Principi gratiosissimus omnium aulicus nuncupari solet] Et quidem ea res, quæ manifesta omnibus erat, quamvis nullam in Colchide turpitudinis notam pro more inureret; apud Principem tamen, quod secundis perpulchræ, atque illustris adolescentulæ nuptiis animum intenderet,uxorisque in dilectione frigeret,malè multum audivit; quapropter habita ut turpissima,

illum irritavit ad ultionem. Vlciſcitur ergo Barbarus ſupplicio non mortis, ſed morte quidem ipſa crudeliori: amputat adulteræ Principi naſum, aures & linguam; moxque renunciato repudio, illam remittit ad patrem, quem ob id ſibi facit infenſiorem. Dein agit mitiùs cum adultero [quo ſanè ingenioſior ac ſolertior nullus è Satrapis;] apprehenſum non mutilat, non capite punit; neque ne hujus artes ſeditionem in populo concitarent, apud ſe in vinculis detinet; ſed in Gurielem ſub tuta miſſum cuſtodia, Simoni Kan Leviro ſuo, quem ſibi putat amicum, concredit; enixè rogans, illum ne ſineret evagari.

Annuit Dadiani votis amicus fictitius hilari, ſed ſimulata fronte: acceptum porrò Captivum adhibet crebrò in ſecretis conſiliis; qui, ut ſuæ proſpiceret incolumitati, occaſione reperta pro animi ſententia non parcit inſolentiæ Dadiani diſertis, pleniſque vocibus oblatrare. Ergone ſubdetur, ait, Iberia Colchidi? Ecquid ô Principes Iberi præſtolamini ulteriùs ſpectaturi? En jam cernitis elatum animo hominem in dies ſingulos magis magiſque jura veſtra proterere, pluſque ſibi aſſumere, quam ratio ulla ferat. En jam obſequio, famà, viribus perpetim, uberrimeque ſuccreſcit dedecori, decrementoque veſtro, quidni è Colchiaca, humilique valle erectus, dum permittitis ultrò coronatam cervicem attollat novus Rex, novus Imperator; ut excelſa, indomitaque hactenus, veſtri Caucaſi juga jugo ſubdat, ac domet? quidni, dum ſuccumbitis ultrò, ad ſummum

num Iberiæ totius Imperium superbus aspicet? an tum valebitis, cum tandem potentia exaggeratus cunctis erit pertimescendus, obsistere? profectò inveterato, corroboratoque morbo frustrà, dum serò? parabitur medicina.

His, & similibus ab industrio, navòque Captivo exacerbatur, & incitatur magis in Colchum odium Iberi Ducis Simonis; qui, cum pariter impius, & cruentus admodum esset [ut citiùs enim regnare potuisset, suum ipsum jugulaverat patrem;] solicitè sciscitatus fuit ab hospite: quænam foret via dolis aptior? quibusve communis, ac latens hostis tentandus insidiis; ut posset vitâ privari? His etiam sine cunctatione suggestis, mittit clanculùm nuncios ad Abasgum, atque ad Imereti Regem Georgium; quos factos de re commodoque publico certiores, facile ad suam trahit sententiam. Itaque de Dadiano per insidias obtruncando tres isti conjurant: vel, si fortè his patefactis alienum à voluntate exitum res haberet; de eodem tribus undique exercitibus statim, & uno tempore circumvadendo deliberant: utcunque demum, ipsum prorsus è medio tollere; ac Josephum ejus fratrem, eidem conspirantem sceleri, in locum demortui Principis subrogare.

Ergo reperitur, ac mittitur, qui cædem cautè committere sciat; & si nequeat, conjuratione tentatam fidus celet, sicarius veterator. Detinebatur hoc tempore Dadianus festivis nuptiarum solenniis implicitus: etenim prima repudiata conjuge, uxorem patrui sui Sipar-

diani,

diani, cujus jam diu amore flagrarat, nuper ē-
raptam, superstite adhuc, & invito viro, sibi
matrimonio copulaverat: quod quidem ob
scelus idem Sipardianus, dolore vehementi
oppressus, propediem vitâ excesserat. Jam
extructum erat opaca inter nemora Colchidis,
ad nuptiarum convivia æstate celebranda, au-
rasq; molliter ac delicatè captandas accommo-
dum, triclinium amplum, & cancellatum. Cu-
jus intra repagula dum Princeps in pleno con-
vivio recumbens, & incumbens tergo cancellis
epulationib', ac potationibus, canticis, & sym-
phoniis cum innumera servorum, & convivarū
turba oblectaretur; advenit extra occultus, &
ab equo desiliit grassator: tum ad latus triclinii
posticum lento accedens pede, arreptam jecit
lanceam per cancellos, fixitque, vi quanta po-
terat, in dorso Reguli: mox in equum citò re-
siliens, vitam suam celeri fugæ mandavit. Ex-
animata servorum pars fuso, ac femineci ac-
currit Domino: altera pars interrita velocis-
simis rapitur equis persequens homicidam;
quem tamen assequi minimè potest.

Dum intereà conjurati Principes, læti non
magis de patrato facinore, quam de non pro-
dito conjurationis arcano; Dadiani mortem
avidissimè expectabant: ille manibus periti
Chirurgi lethale vulnus committens; nil ali-
ud magis diù noctuq; animo solicito revolve-
bat, quàm conjecturas, quibus posset prædivi-
nari; à quonam ictus venisset. Et jam rerum
omnium, non relatu quidem; sed suo, ut dici-
tur, marte gnarus; machinati sceleris aucto-

rem,

em, patronosq; singulos mira, quæ pollebat, ingenii perspicacitate cognoverat: prudens tamen celat silentio, ac nescire se simulat, quæ non poterant, opportuno nisi tempore, vindicari; unius solummodò rei tunc habita ratione, nimirum salutis recuperandæ.

Bimestri ergo dubietate anceps suspenditur sauciati Principis vita: deinde habetur incolumis: tandem pistrinis perfectè viribus restituitur. Jam valens, ac vegetus, jubet, hominis cujusdam, qui criminis conscius conjecturâ judicabatur, amputari dextram, oculosq; exuri; ratus, hac solùm pœna se cunctis persuasurum, de inflictò vulnere ultum satis: quippe mos erat in Regione, non plecti capite, nisi vel Ecclesiæ direptorem, vel cujus vita Principis aut Principatus immineret exitio.

Hoc facto; interjectoq; non modici temporis intervallo missis in Gurielem Oratorib', maximas Simoni gratias & agere, & habere se fingit; quòd concreditum ipsi Visirum tandiu in sui gratiam custodisset: at nunc, ut velit eum ad se remittere, petit. Contra verò Captivus, animo sibi malum venturum præsagiente, multum anxius; Rogat Simonem, ipse ne mittatur: certè scio, inquit, ad capitale me supplicium accersiri. At ille, quid times? respondit: haud enim nostræ patuerunt insidiæ: cæterùm si quando tutus adhuc omnino non eris; ab omni quidem periculo securum te mea redditura est commendatio.

Itaq; Dadianus redditum sibi Visirum, & officiosè etiam commendatum teneri sub cu-

stodia

stodia jussit, debitas molitor tanti sceleris, citò pœnas persoluturum. Deinde, nulla interposita mora, Colchos universos, qui noscunt arma tractare, maximè verò Proceres, intra diem convocat, & parat ad bellum. Instructum agmen triginta millium armatorũ, quorum pars major equites, suspensum animo tenet, primamque sequentis diei differt ad lucem. Nullam sanè magis virtutem in hoc Duce laudaverim, quàm celeritatem, & occultationem secreti. Nocte interim intempesta, exercitu quieti composito, fragor ingens, horribilis instar tonitru, improvisò auditur; quo undique Colchicæ valles, & Iberi procul reboant montes, excitæ somno surgunt illicò exterritæ copiæ, atque ex consuetudine loci conisciæ infausti signi, quisnam è Dynastis sit jussu Principis neci datus, interrogant. Siquidem mos obtinuerat, ut cum aliquis è Primoribus, causa perurgente, fuisset morte, aut gravi pœna mulctandus; [solebat enim hoc rarò contingere:] ne qua populi seditio, re ante exitum evulgata, consanguineorum sontis, amicorumvè industriá oriretur; occultè, atque inopinatò id noctu executionem haberet: tum, ut supplicium horrifero signo, & quo conterriti reliqui frænarentur in posterum, in tota statim promulgaretur Provincia; bellicum prægrande tormentum, quod unum, & hunc solùm ad finem media conservatur in Colchide, bombum horrendum emitteret. Dum igitur multitudo novitati rei curiosas intendit aures; ecce Præ-

co,

co, clangore tubæ præmisso, è tabernaculo Dadiani proclamat; Discite universi fide incorrupta morem gerere Principi. Josepho Dadiani germano, in vitam fratris, ut Regno scelere potiretur, cum Simone Kan Gurielis conjurato, oculi jam effossi sunt. Item hujusce Regni Visurus, cubilis dominici violator, consciæque conjurationis molitor, ne amplius ejusmodi struere posset insidias, vivus intra tormentum immissus, unà cum bombo per aërem dispersus interiit. En idcirco bellum indicitur Gurieli; manè properandum ad pugnam.

Hæc ille palàm pronuncians, suppressit silentio crimen aliorum conjuratorum; ne adversus unum Dadianum, qui eos imparatos, ac singulos invadere cupiebat, varii simul hostes promulgatione provocarentur. Infremuit in nefarios proditores, audito Præcone, Colchorum Exercitus universus; qui dato æquitati læsi Ducis, exactisq; jure suppliciis plausu, ad justas quoq; pœnas armis à Simone capiendas sese invicem excitarunt. Oriente vix luce, impiger Regulus iter quatridui suscipit, aciem gressu festino in Gurielem deducturus, ac Phasidis quidem per flumen [Rion incolæ vocant] quod Iberiam, atq; Colchidem interfluit, agmine trajecto, incipit undiq; Regionem vastare. Jamq; sparsi rumores, iiq; constantes, ad Uzurghet Regiam Simonis pervenerant; qui coacta properè manu militum, quantacunq; potuerat in ea imminentium periculorum anxietate, & temporis angustia celeriter adunari, venit obviam inimico.

Collatis jam signis, utrinq; sævissimum initur certamen; quippe utraq; pars, non minus ob nimiam festinationem, quam propter odium intestinum, ad pugnam concitata spiritu erat. Itaq; alii eminus crebro telorum jactu acriter in hostes desæviebant; jactaque sibi tela clypeis, & corporis motu vitabant. Cominus alii lanceis, mucronibusq; & tortis congrediebantur machæris, fusum est pari marte hinc inde non modicum sanguinis; & victoria sane diu anceps; tandem videbatur flecti pauxillum potiùs ad Dadianum. Quamobrem Patriarcha Iberiæ Malachias, frater Simonis, qui pro germano dimicabat primæ, atq; omnium strenuissimæ dux aciei; sive spe erectus regnandi loco fratris, sive dejectus animo ob excedentes Colchorum vires, actutum in Simonem pro Dadiano vertit arma suæ cohortis: similiter, ejus exemplum sequuti, Duces nonnulli fecere. Hinc cedente Colchis, ac fugata parte reliqua exercitus Iberorum; armis undiq; hostilibus circumsepitur, atque capitur Simon.

Victoriam igitur consequutus Colchorum exercitus, ad fugientes strenuè insequendos, trucidandosq; jam irruebat; sed cohibitus fuit à Duce, cui quidem visa est, post captum hostem, in insontes, & Christianæ Religionis cultores non esse ampliùs adhibenda sævitia Hac indulgentis animi magnitudine, pietateque illecti universi Gurielenses Primates, debitum victori obsequium præstituri, adeunt illicò Dadianum; qui cunctos honorificentia magna exceptos, & comitate, his alloquitur verbis:

Non

Non ego, nobilissimi viri, ad Regionem evertendam, aut occupandam; non ad excindendos benevolos, & amicos; sed unum tantummodo ad proditorem Principem debellandum, huc veni. Profectò inulta mihi non relinquenda erat gravissima hominis fraudulenti offensio; qui, nulla unquàm lacessitus injuria, quantum me læserit immerentem, planè jam nostis. Cæterùm haudquaquàm par erat, ut magnificentiæ vestræ præesset, fidelissimoq; tot, ac tantorum Procerum obsequio potiretur, qui non leviri tantùm capiti iniquus, ac fœdifragus tetendit nuper insidias; verum etiam immoderata olim ambitione, ac cito regnandi aviditate exesus, moræq; impatiens, æquo pati animo maluit, sacrilegas manus, in sanguine genitoris fœdare impius parricida. Hæc fatus, adducto in conspectum infelici Simoni ignitis jussit laminis oculos exiccari atq; obcæcatum è Regno detrudi; qui vectus Constantinopolim, & apud Regem Turcarum deploratis in Dadianum frustrà querelis, inde navigavit Hierusalem; ubi religiosæ vitæ instituto diem clausit extremum. At verò Dadianus, Guriele subacta, hosteq; jam sede depulso, Malachiæ, nova priùs tributi, ab eo sibi solvendi, pacta exactione, Provinciæ dominatum concessit, tum pede illinc relato, in Colchidem & Sororem suam Simonis uxorem, & opulentissimum thesaurum, è Regia ejusdem Simonis abreptum, & exercitum thesauri parte larga manu remuneratum traduxit.

Inter hæc autem Georgii Regis Imereti, itidemq; Abasgorum Ducis pectora; quibus miseran-

ſerandus obcœcati, ejectique Simonis eventus timoris jam multum incuſſerat; variis curarum fluctibus agitabantur, & res quidem inter ſpem, & metum eorum ſuſpenderat animos, hinc criminoſæ conſcientiæ redargutio jamjam irruentes in ipſos Colchorum phalanges, ae ſeverùm vindicem Dadianum ob oculos proponebat: hinc, quam imaginabantur, ſuæ conſpirationis occultatio magnam ſibi ſpem, & à bellorum incommodis ſecuritatem facere videbatur; maximè cum Colchiacus Princeps inflicti quondam ſibi vulneris reos, ſolos duntaxat Viſirum, Simonem, & Joſephum, in quos ultus jam erat usq; affatim, præconio promulgaſſet. Altera ſubinde non minus perplexa dubietas ipſorum occupaverat mentes: num congregatis copiis in procinctu ſtare deberent, exitum rei præſtolantes armati, nequando improvidi appeterentur? an motu armorum, quo crimen forſan occultum, exploratum certè, ac publicum fieret, abſtinerent; poſtremum hoc tandem, ſeorſim, & conſilii alterius inſcii, [quippe inter Abaſgos, & Imeretum Colchis erat media] eligere ſtatuunt.

Dux verò Colchidis, ac verſutus Sarrapes ille Dadianus; qui, ut Caucaſios clivos ditioni jungeret ſuæ, Iberorum Magnatum benevolentiam largitionibus, aliisq; blanditiarum illecebris conſectari, nulla intermittebat die; quamvis certum Abasghi, Georgiique crimen, non ipſi ut certum, ſed conjecturale proponeretur; arripuit tamen lubens vel minimam, quam diú quæſierat, oblatam occaſionem, quæ, [illegible] ſi ad

ſi ad bellum juſtè inferendum nequaquam ſufficiebat; ſuperfuit tamen imperitandi cupiditati, quæ per bellum explenda erat. Dimiſſum igitur fatigatum exercitum, & fere per hebdomadam ſuis in domibus è labore præterito recreatum, extemplò iterum convocat, luſtrat, ac recenti, fortiſſimoque milite roborat. Tum mittit citò ad Regem Georgium feciales legatos; qui ei bellum indicerent tali, ne ſuſpicioſus ipſe fieret Abaſgo, prætextu: quòd fœdo junctus fœdere cum Simone, percuſſorem ad ipſum inſidiis opprimendum miſiſſet; ut Colchis, in ſtatum priſtinum redigenda, Imereto, Iberoque Regi ſubigeretur. Nec dum Cotatis regalem ad urbem legati pervenerant; cum ipſe, quaſi ad triumphum potius, quàm ad conflictum iturus, unà cum uxore ſe viæ commiſit, exercitum conducturus in Imeretum.

Porro Georgius, cui proprium crimen timorem attulerat, magnam quoq; timor ſuſpicionem, qua in explorando quemlibet adverſarii motum penè ſcatens oculis Argus evaſerat; ſtatim ac inimicum ad ſe iter direxiſſe, per ſpeculatores præſenſit, manus vertit ad arma; Proceresque omnes, & copias celeritate maxima congregavit. Cumque armatam inſtruens aciem; turmasque, & cohortes duces ſub ſingulos in ordinem referens, exercitui obequitaret; milites univerſos pavore exanimatos animadvertit: [Colchorum namque phalanges, ex Gurielenſi victoria impetu magno, & audacia redeuntium, terrore regionem impleverat:]

verat:] Quare licet metu fluctuans agmen, suo ipse dissimulato timore, ad animos, & fortitudinem revocare pro viribus conaretur; vix tamen valuit tantum illis addere animorum, quantum ad primam hostium aggressionem sustinendam sufficere videbatur.

Interea Dadiani copiis, Imereti fines ingressis, atque in universam Provinciam debaccatis, vix obvius fuerat Pagus, aut Vicus; qui latrociniis direptus, cladibusque luctuosis repletus, postremò voracibus non fuisset flamis absumptus. Horribilis visu pompa! undique cernebatur incendiis Regio conflagrare; cujus quidem cinefactæ reliquiæ, oculis deinde meis per iter exhibitæ, lacrymas quoq; moverunt. Cæterùm efferatus, præcepsq; exercitus non secus ac flumen inundans; omnibus longe lateque perturbatis, & ad perniciem redactis; ad urbem expugnandam, & stragibus obruendam rapidissimè ferebatur. Ingens erat agrestium Iberorum numerus, huc illucq; pericula fugitantium; alii montium prærruptorum petivere secessus; alii sub obscuras nemorum latebras abdidere sese; reliqua pars ad Urbem, & Georgium effugium habens, majoris fuit causa timoris ejus agmini tropidanti.

Occurrunt sibi tandem haud procul à Civitate, simul congressuræ, manus utriusq; Ducis. Colchi tanto irruunt impetu in Iberos; ut prima horum acie fusa, cæteros facile non in fugam modo conjiciunt; sed etiam viriliter persequuntur, assequunturq; plerosque; è quibus plures capti sunt, quam occisi. Hos inter Rex

quoq;

quoque Georgius, dum è manibus hostium munimento evadere fuga celeri properabat, captivus remansit.

Finito hujusmodi eventu prælio; Urbs Cotatis, Dadiano victori se deditura; cùm ad pacem petendam, tum ad veniam Regi suo impetrandam, caduceatores emittit; quibus ille benignè exceptis pollicetur utrumque, si Rex, in posterum sibi morigerus, obsequium promisisset. Hic, in arcto jam positus, ultrò ad consensum inducitur; pactionibusque confectis; spondet, auxilio, quotiescunque opus esset, Dadiano cum copiis se venturum; ac prætereà ducenas Armeniorum, nonnullasque Judæorum familias, quas ille ad Colchidem inhabitandam, & negotiationem in eam introducendam insuper quæsierat, traditurum. Ut verò sancita, atque jurata fœdera sanguine medio juxta morem confirmarentur; Dadianus suæ uxoris ubera [demiranda sanè dissoluta Barbarorum consuetudo!] obtulit Georgio Regi sugenda.

Ita rebus in Imereto compositis, redit Colchus, in Patriam; atque in acclivi cacumine jugi arcem extruit validissimam, urbemq; circumstruit; in qua conductum victoriæ trophæum, Judaicum, Armeniumque populum collocavit. His peractis, bellum adversus Abasgos capessit; qui, cum asperrimos montes, & inaccessas incolerent rupes, ad modum longum illud, ac difficile reddiderunt: tamen nihilominùs, iteratis per singulos annos aggressionibus, coacta denique fuit aspera, &

montana gens ; ut posset imperturbata vivere ; & ipsa collum subdere Colchiaco jugo. Studiosiùs itaque, ac felicius novit invictissimus Dadianus, qui vitám hactenus sub prospera ducit fortuna, sui amplificationem Imperii ulciscendo contechnari ; quám nossent anteà inimici demolitionem ejus offendendo moliri.

De Colchidis Regione.

Colchis est Asiæ regio juxta Pontum ; ab Ortu, & Meridie Iberià ; ab Occasu Euxino mari ; à Septentrione Corace monte clausa. Huc Jasonem cum Argonautis navigasse, aureumque vellus inde in Græciam retulisse, Poëtæ fabulati sunt. Universam certè Provinciam, cujus ambitus est plus minus quatuor millium stadiorum, unicum dixeris nemus, usq; quaque ligneis, rarisque domibus sparsum ; Ubi [Castro Kalachis excepto, ab hodierno constructo Principe] nec urbs, nec oppidum, nec pagus incolitur ullus. Montosa licet, interstinctaq; collibus, non silice quidem, sed molli terreno obsitis, & sylvosis ; ima tamen, depressaq; regio est ; montibus undiq; altissimis, ab Aquilone Coraxicis, ab Oriente, Meridieque Caucasiis circumvallata.

Hinc magnis, pisculentisque scatet fluminibus, in quibus uberrima, prædulcium maximè Silvorum, quos áliter Sturiones vocamus, piscatio fit, præ reliquis autem Phasis, ipsam ex Iberia disterminans, apprimé celebratur ; à quo Phasiani, quod maximus eorum feratur

ibi

ibi proventus, nomen traxere. Paludibus etiam, limosisq; Lacunis passim obruitur. quo fit, ut, aëre humidissimis exhalationibus corporescente, non ibi tonitruum, non turbinum eruptiones, neq; grandines, aut ignitæ faces, aliaq; quæ sicco excitantur, metheorologica unquàm mista generentur; sed tantummodò pluviæ, quæ tum hyeme, tum æstate sunt fermè quotidianæ.

Infatuatur idcirco illic natura cunctis in effectis: hebescit herbarum virtus, odor florum, frugum sapor, serpentes etiam, scorpionesque, quorum est terra ferax, veneno carent; sed & lectus ipse à suo cimice, & pulice tutus est, si non à situ, ranisque. Quapropter omnibus ex humido enascentibus morbis magnoperè fit Colchis obnoxia; hydropisi potissimum, febribusq; frigidis, ac periodicis; cujusmodi sunt tertianæ & quartanæ. Vermiculari ultrò solent frequenter, non humana modò corpora in stomacho; verùm etiam brutorum animalium; sues præsertim, quorum sæpenumerò carnes ipsæ, quòd fortè etiam naturâ humido abundent, & si vividæ, aut tunc exectæ, verminosæ tamen reperiuntur.

Esuriunt proindè cuncta viventia esum salis; cujus tanta quidem in regione caritas est, & appetentia; ut vel homines illud, perinde quasi saccharum Creticum, belluino more commanducent. Infima gens, quæ vel nuda prorsus, vel simplici induta tunica est, vitam à nimia madore tutatur aut labore, aut continua ignis præsentia. Nobiles verò tum igne,

tum jugi motu, perequitant enim Provinciam toto ferè anni tempore errabundi, huc illuc per sua prædia domicilia transferentes; cum róscidum clima vix diuturnam in loco stationem humanæ vitæ permittat. Ego quidem triennio, quandiu in Colchide degere jussus fui, quartanam mihi febrim, hydropico tumori annexam, assidua per nemus equitatione munia Missionis exercens, extenuavi, maceravique: ac sæpe contigit, ut rigidam ejus accessionem, seu paroxismum in itinere tremulus equisessor compescerem; aut interdum, cum solito asperior illa erat, desiliens, ligatoq; ad arborem equo, super gramina jacens sustinerem, usque dum rigor in calorem migrasset. Plurimùm profectò ad salutem recuperandam & motus ille frequentior, & fumus panacèæ, vulgò dictæ tabacco, mihi contulit.

In agris igitur, humore perpetuo virescentibus, innumera gregum & armentorum, equorumq; pascitur multitudo: & equorum sanè nusquam gentium illà vidi copiosiorem; Optimatum alii quingentos, alii mille, Princeps eos ad quinque millia possidet. Hinc mirabilis visu est assidua, inter se ibi pugnantium equorum, luporumq;, quibus & sylva frequentatur, conflictio; isti ut invadant, illi ut pullos, hinnulosq; suos ex eorum faucibus tueantur. Nam ut primùm equaria rapicis insidiatoris subsensit accessum; confestim ad propugnationem acri se excitans hinnitu; densum in orbem, in cujus medium pulli metu trepidi se recipiunt, versis foràs clunibus constipatur,

cum verò extensis, conversisque retrò cervicibus, adversarii esurientis insidias, gressusq; omnes solicita speculatur. Dum autem ille, clausæ inhians prædæ, equinum orbem, ut ingressum reperiat, circumeundo perlustrat; singuli equi ex ordine, fremebundi, oraq; retrorsum minacia diducentes; irato rictu, & calcibus illi, ne prorsus accedat, interminantur. Sua interim spe lurco frustratus, ad auxiliares sociorum vires convocandas, flebiles incipit ululatus emittere, quibus excita plerumq; aliorum luporum caterva, ad exaturandam ingluviem, & prædam vi majore diripiendam è sylvis accurrit. Undè in paratum equorum orbem aliqui ex uno latere irrumpunt lupi; dumque illi, ad propellendos calcibus hostes intenti, coeunt simul; aditum incauti hinc inde aliis præbent; qui statim in pullos insilientes, partim, si possunt, omninò raptos abducunt; partim morsibus læsos, discerptosque relinquunt. Quam quidem ob causam Princeps certis anni temporibus, ad lupos venatu excidendos, delendosque, pleramq; sui populi gentem secum conducere assolet.

Cujuscunq; prætereà sylvestrium bestiarum, ut volucrum, ita & quadrupedum speciei adeò fœcunda est nemorosa Colchis; ut habitatores plus venatione comparatis, quàm domesticorum animalium carnibus vescantur. Quapropter nullus itineri se committit viator; qui non sit arcu, pharetraq; instructus; apros, cervosque obvios, quorum copia est omni alia numerosior, necaturus. Fovet insuper

super ursos, tigres, & castores, qui nunquam ibi, uti nonnulli dicunt, ne à venatoribus capiantur, sese castrare visi sunt. Ac præter eas omnes, quæ nostris solent in regionibus inveniri: alias etiam, nobis hactenus non invisas modò sed etiam inauditas, habet brutorum species; de quibus, ne præscripta mihi brevitas in nimiam migret prolixitatem, non videtur sermo instituendus.

Verùm, quamvis sit etiam vino ex arbustivis vitibus affluens; hortensium feracissima; pomifera sic, ut nihil magis: iisq; omnibus, quæ palustribus nascuntur in locis, frugibus abundans; videlicet panico, milio, oryza, fabis, phaseolis, pisis ac similibus; in tritico tamen ferendo ab humiditate penitus sterilescit. Quamobrem non pane quidem, sed candida panici pulte incolæ victitant.

Cæterùm cum, ut supra diximus, nullius civitatis frequentiâ inhabitetur Provincia: Gens ejus non urbanæ tantùm, maleq; moratæ vitæ assueta est; verùm etiam sic moribus & ritibus magis quàm ulli Barbari, imò quàm belluæ immanitate efferatur; ut nec exhorrescant Proceres [*quod recolere unquàm non valeo sine lacrymis*] subditos suos Christianos pretio vendere, dareq; Mahometanis mancipio: quorum quotannis plus tria millia Turcicis navibus è Colchide Constantinopolim per mare nigrum, non secus ac fabulosâ Charontis cymbâ per Cocytum ad inferos, transvehuntur. Et ipse quidem testis rei sum oculatus; qui eâdem semel via ferè trecentos ex

eis

eis mecum in navi comites habens, ac in fidei constantia pro mea virili parte confirmans; uni moribundo, priusquam vitâ decederet, sacramentalem absolutionem præbiturus, vix potui per nutus, ne suus adverteret herus, ipsum ad pœnitentiam exhortari; perque nutus ab eo signa contritionis accipere.

Prædictam itidem ob causam nulla exercetur in Colchide negotiatio aut comercium; imò nec ulla est officina, vel in qua merces venditentur, taberna; & sic neq; etiam usus nummorum. Quare magnatum domus, è quibus nec aurum, nec argentum unquàm extrahitur, pretiosa supellectili, præcipuè vestimentis, & argenteis, aureisque vasis, suorum subjectorum venditione coëmptis, abundant. Unicuiq; verò, quæ ad victum necessaria sunt, sive á prædiis, vel armentis, gregibusque; sive à subditis suis suppeditantur. De cætero per mutuam rerum commutationem vivitur: nimirùm lana selibrali v. g. aut pugillari sale gallina rependitur; duplici gallina gladius: quatuor gladiolis capra; vervex geminâ caprâ; bos tribus vervecibus; equus duplici, aut triplici bove; ac similiter de reliquis. Res verò, quæ prætereà vice pretii passim in commutatione mutuantur, præcipuæ sunt ferrum, æs, arcus, sicæ incurvæ, vasa, tapetes, fruges, telæ, laneæ lineæ, sericæ, gossipinæ, &c. Indicuntur autem à Principe, ad merces hujusmodi commutandas, pluries in anno, statutis diebus, locisq; emporia; quo & Princeps ipse solenniter, & Populus universus convenire solet.

De

De Colchico Principe.

COlchorum Regulus hæreditaria semper successione, quemadmodum & alii Iberorum Principes, avitum regnum assequitur; vocaturque perpetuò ex cognomine Dadianus; quamvis proprium præsentis Regulis nomen sit Levàn. Hujus secunda conjux, ex qua liberi procreati sunt quatuor, duo mares, Alexander & Manachiar, duæque fœmellæ, Ghul & Zira; ut sua regnaret proles, geminum prioris uxoris filium unam intra diem veneno interfecit. Minorem natu filiam nempe Ziram, desponsatam ajebant primogenito Alexandri Regis Imereti, qui adhuc ipse, uti contigerat Dadiano, repudiata adulterii causâ prima conjuge, filiam Theimaratii, Principis Kacheti, uxorem duxerat. Soror verò Dadiani, virtutibus ornatissima; quæ Simoni, antequàm è Ghurieliensiis throno deturbaretur, nupta fuerat; deinde Rostuano, Cardeliensis Provinciæ Principi apostatæ, matrimonio copulata est; qui ut illam, Mahometani viri nuptias respuentem, dolis ad sua vota pelliceret; caput à quodam sibi Sacerdote ablui jussit, Christianæ se fidei sic fingens quasi per novum baptisma reconciliatum. Illa tamen, infideli licet viro conjuncta, à Christi fide, quam hactenus constantissimè profitetur, averti unquam non potuit.

Pendit Colchiacus Princeps Imperatori Turcarum quasdam pro tributo lineas telas; quibus cum mittit etiam dono pueros nonnullos, puellasq; formosas. Hoc ei obsequium,

um, haud metu quidem ullo impulsus; cùm utriusq; ditionem Iberiæ pars interjaceat; sed veteres potius Majorum suorum consuetudines servaturus, præstat. Arctissimo prætereà necessitudinis vinculo est Persarum Regi adjunctus; ad quem unum è Primatibus, centum assectatoribus lautè sociatum, in triennia singula oratorem legat. Amplissima per hunc illi mittere Colchica solet munera; sagaces præter alia, acerrimosque canes venaticos, ac multas etiam rapaces prægrandium accipitrum species: plurima vicissim ab eo dona recipit Persica, præcipua Elephantos.

Subsunt civili ejus dominio, centum quinquaginta Demarchi cum subditis suis; tyrannico vero jure in decem & octo millia familiarum, quas etiam potest, uti mancipia, vendere dominantur. Simili circa suos subjectos potiuntur jure Demarchi. Potens est in aciem educere equitum viginti millia, ac peditum decem millia; commeatus tamen defectu prælium ultra mensem prorogare nequit.

Præter lapideum, ac sumptuosum ædificium, quod illi Regia est; alia possidet lignea, ubique sparsa per Regionem, viginti quinque palatia; quæ circum singula reperire est vineas, hortos, pomaria, prata, venatoria nemora, & pascua quoque, ubi copiosa gregum, & armentorum pascitur multitudo. Omnia hæc circumcursans quotannis habitacula; una cum uxore, ancillis, matronisq; pluribus comitata, nec non cum consueta suorum trecentorum familia, ac duobus è nostris Patribus, hodier-

no Principi admodum gratiosis, modò huc, modo illuc domicilia transfert: captans in transitu exhibita sibi cum muneribus, ac tributis obviantium Magnatum obsequia; atque tandiu in unoquoq; habitaculo commorans; quandiu reperta in eo cibariorum añona permittit.

Pulchrum sane spectaculum illo cerneres transmigrante; grandis pedissequorum, ac pedissequarum numerus, universam domesticam suppellectilem, adhuc ipsa subsellia bajulans, equitantem Domini, ac Dominæ suæ familiam pedester subsequitur: cuncti onusti, ac seminudi, hoc est, pectore tenus vestiti semicinctio, nec proinde affecti pudore, non cœnosas tranare lacunas; nunc clivosorum ardua montium ascendere, nunc brachiis invicem illigati, ne rapido aquarum decursu abducantur, flumina vado trajicere, simul conspiciuntur. Neque hoc ob equorum inopiam, sed ad majorem gloriæ, ac potentiæ ostentationem permittitur.

Quotidiana Principis occupatio aut in venatione sylvestri, aut in populi causis, disceptationibus dijudicandis versatur. Nec judicii mos silentio dissimulandus; Siquidem aguntur hæ causæ, tanquàm in auditorii foro, sub dio, campo in aperto, qui ante atrium cujuscunque palatii latissimè patet. Hic dum Princeps gravi, ac lento gradu, equestri consequente familia, circumequitat; singuli litigantes, cum causidicis, patronisq; suis, & testibus circumcirca ab invicem dissiti, ne equi-

tationi

tationi ejus interclusa, sed intercisa solùm sit prosequutio, ipsum præstolantur. Illi ergò, prope se ipsos transeunti, occurrunt primi litigator, & adversarius; supplicesque coram equum sistente Principe unicum procumbunt in genu: mox alter post alterum, sic genu flexus, baculoq; innixus, exponit litigium; rationes pro se quisq; exaggerat; astantes adhibet testes, & advocatos. Deniq; in peroratione, ut Judicis mens non miseratione tantùm sed adulatione quoque permulceatur, & erumpunt fletus, & illi divino nomine oblato litant his verbis: *Cemi Patoni, Cemi Gorunti*, hoc est: Dominus meus, & Deus meus. Ultima porrò perorationis verba, ut in Corde Principis efficaciùs imprimantur, percussa baculo extenso tellure, tono proferunt altiori. Dirempta demùm horum controversia, procedit equitatus ad reliquos. Hoc itidem modo Demarchi in sua quilibet ditione judicia exercere solent. Nec modò cum adit superiorem inferior; verùm inter æquales etiam mos invaluit, ut pro re, quæ sua vel parum quid referat, alter ab altero non aliter, nisi in genu procumbens, & quærat auditionem, & optatam rem fusis precibus impetret. Si verò lis, aut contentio inter ipsos oriatur primates; dummodò alter eorum non provocet ad Principem, nequit is illi dirimendæ se immiscere: sed ipsimet, armatis subditorum suorum agminibus adversus invicem irrumpentes, litem non judicio quidem, sed ferro decidunt. Vastant sibi agros, ac segetes; armenta diri-

piunt, excidunt vineas, domos incendunt, plena vino dolia perfringunt: Ut semper non causâ cadat, nisi imbecillior; nec alter vincat, nisi causâ deserta.

Sine venatione ut à Principe, sic à Nobilioribus nulla fermè dies transigitur: undè in mensa carnivoræ familiæ sylvaticum nunquam cremium deficit. Sunt propterea tum ipse, tum reliqui in arcu, tortaq; sica tractandis [quibus solis in venatu armis utuntur] peritissimi. Tam rectè dirigunt ad signum tela; ut quandoq; Dadianus in Phasianorum aucupio refugum quendam, ac volitantem accipitrem, dum ad manus redire iterùm nollet, in ipso volatu coram nobis teli jactu transfixerit. Et jaculationibus quidem à primis usq; annis assuescunt. A mamã disjuncto vix infanti, ut obludat, aptatur arculus in mantiolis. Ipsos sæpe puellos demiratus sum, aves, & vulpeculas arcu insectantes. Principem, venatum euntem, sequi tenentur Proceres, ac reliquus populus alternatim; quemadmodùm & alii subditi Dominos suos.

Dum autem venantur feras; ut illæ fragore magis horrisono é sylvis, ac saltuosis latebris exturbentur, & in apertum egrediantur, ænea solent tympana pulsare: ac tum foràs exilientes exterritas, & huc illuc diffugientes, equis velocissimis persequuntur spicula post illas bifurca, ad crura, coxasq; præcidendas, assiduè jaculantes. Et quamvis plurimos secum canes, & in venatu quidem præcellentes, ducant; cupidine tamen cursitandi ipsi post fe-

ras,

ras, utque de illarum occisione gloria sibi solis ascribatur, eos ut plurimum cohibent: nec planè dimittunt, nisi victoria sine illorum auxilio desperetur. Hinc multi, equis in cursu cæspitantibus, præcipites ruere, ac miserabiliter interire solent: adeò, ut regnantis adhuc Principis & Pater, & Avus, nonnullique alii Majores eo mortis genere vitam finierint. Deniq; peracta venatione, coctisq; ferinis carnibus, singula feræ membra unicuique, prout illi ex debito præscriptæ legis pars contingit in mensa dispertiuntur: ac sicuti dexter semper humerus Domino, Dominæ verò sinister apponi debet; ita aliis alia: præcipua tamen eorum virorum, & canum habita ratione, qui feram illam venati sunt. Alios peculiares Colchorum mores, præsertim superstitiosos, & cum admiratione risum etiam generantes; ne videamur in oblectanda Lectorum curiositate nimiùm immorari, omittimus.

De laboribus Clericorum Regularium, in Iberia & Colchide pro Fidei prædicatione susceptis.

Quinam hi primùm in termino, deinde in itinere fuerint; saltem ex parte, atq; summatim referam: maximè cum, eos omnes ex ordine à pererudito nostræ congregationis viro literarum monumentis, ac Posteritati feliciori calamo mandandos esse, acceperim. Quare satis sit modò, hæc de illis pauca, quæ sint reliquorum omnium argumento, Lectoribus hic exponere prælibanda.

Et quidem incommoda, à Clericis Regularibus in Iberorum Colchorumq; Provinciis pro Catholicæ fidei propagatione strenuissimè tolerata, exanthlatiq; felici progressu, uberrimique fructus perceptione labores, tot, ac tanta hucusq; fuerunt: ut planè indicibilia sint, eorumq; toleratio non virtutis humanæ, sed divinæ prorsus, suis á Christo militibus impertitæ, opus censenda sit. Etenim una duntaxat timorem incutit, & horrorem habitationis consideratio in Regionibus illis; adeò infœcundis, quæ adhuc frumentum, & panem, unicum humanæ vitæ solamen, & fulcimentum habitatoribus denegent: adeò desertis, & inviis, ut domi inter lustra ferarum inhabitatio, extra domum cum feris ipsis profectio sit: adeò pluviosis, opacisque saltibus obsitis; ut jugiter in tenebris viator ambulet, & per lacunas: quid plura? morbiferis supra modum: aliarum nationum commercio, & negotiatione privatis; ubi gens effrenata, & barbara; ac solùm rapinis, intemperantiis superstitionibusq; addicta: &, ut paucis concludam, omnis ferè boni expertibus, omni malo refertis; ut sanè aut incredibile, aut miraculum videatur; ex aliis Missionariorum familiis, quæ olim ibi fuerunt, solos Clericos Regulares tot abhinc annis constantissimos hactenus ibidem perstitisse: quod ita quidem strenuè factum est; ut eis corporis, ac vitæ priùs, quàm animi unquàm vires defecerint.

Brevi namq; sub gravissimo eo laborum pondere plurimi viriliter obiere Patres; non minùs

minùs prosapia generis, Apostolico spiritu vitæq; integritate præclari: inter quos singulare virtutis in prædicationis munere obeundo, atq; constantiæ in Infidelium & Hæreticorum insultationibus, aliisq; malis perferendis specimen edidere non pauci: ac imprimis Dominus Jacobus de Stephano Neapolitano olim in Regno Dominus Aquediæ; cujus Angelicam vitam, magnasque in Catholica fide dilatanda progressiones; res deniq; tam in Italia, quàm in Iberiæ Cardeliensi, & Kachetensi Provincia egregiè, sanctissimeque gestas, jamdiù prælo subjecit Pater D. Franciscus Maggius, qui in eadem quoque Missione non parva eximiæ indolis suæ dedit experimenta. D. Antonius Giardina, Panormitanus: primus ille in Gurielensi Provincia orthodoxæ fidei nunciator & præco: D. Vincentius Carafa, Neapolitanus, vir integerrimus, & proximorum salutis procurandæ desiderio flagrantissimus, qui, dum Goride pestilentiali morbo infectis ex animo inserviret, Sacramentaque ministraret, eodem ipse malo correptus, cessit è vita: D. Joseph Judices, Mediolanensis, cujus quidem tanta fuit vitæ innocentia, exemplum virtutis, zelus animarum; adeòq; profecit in hæreticorum conversione, ut ejus fama immortalis apud Colchos reddita sit; quemadmodùm & mors apud Constantinopolitanos illustrissima fuit; dum enim, suscepta Colchiaci Regis legatione ad Romanum Pontificem, in Italiam concessurus, Constantinopoli obiter moraretur; ac tres ibi Colchos,

Turcarum servos, Christianis à se præceptis imbutos, atque in Catholicâ fide confirmatos, baptizasset; iterato deinde ex Italia in Colchidem transitu per eandem Urbem, à calumnioso Judæo ad Turcicum Magistratum nomen ejus delatum fuit, quasi Mahometanos nonnullos Christiano baptismo initiasset. Quare comprehensus, multisq; vexationibus, & ærumnis exagitatus; demum conjectus in carcerem, inter molestissima catenarum vincula sexagenarius in Domino obdormivit, relicta Christianis iis fama perfectissimi servi Dei, ac patientia, humilitate, innocentia, vitæque austeritate insignis: D. Gaetanus de Alexandro Bergomensis, & ipse omnibus suis partibus, & numeris absolutus: qui dum in Colchide supremum ageret spiritum, in hæc ultima verba incendium suæ charitatis aperuit: Alacri jam morior animo, sed utinam pro Domini mei Jesu Christi fide tuenda, in Theodosia prius obiissem civitate; cum captus ibi à Turcis, & nisi Christo abrenunciassem à Præside mihi morte oblata, perjucundum mihi foret, respondi, si pro eo, qui sua me morte redemit, hanc vitam profunderem. Verùm, ah, gloriosiori morte illa indignus planè fui.

Ex horum, inquam, atque [ne cunctos, qui in brevi consummati, tempora multa illic explevere, recenseam.] ex aliorum Patrum extremo casu conjectandum nobis est, quibus laboribus, quantarumque ærumnarum perpessione orthodoxæ fidei semen in Iberia, & Colchide disseminatum sit; quibusque sudoribus,

ut fructum afferret, irrigatum. Cujus quidem fructus, ut brevitati studentes, partem saltem potiorem in medium proferamus; operæ pretium est, Goridem nunc in Iberia, quò tunc primò pedem intulere Patres, nos mente repetere.

Pervenerat enimverò, recenti sociorum fultus auxilio, in primariam hanc Cardeliensis Provinciæ Urbem, regressus ex Italia, ut suprà dicebamus, Pater Avitabolis, Missionis Præfectus: jamque fratribus cunctis, octo videlicet Sacerdotibus, ac duobus Laicis, ibidem coadunatis: extructa sibi domo, Templum quoque Divo Petro Apostolorum Principi sacrum aperuerat: cum intereà temporis, quo D. Jacobus de Stephano, earum linguarum peritiam statim, atque omnium primus, oratione magis, quàm studio assequutus, populum ad Catholicam fidem, tum in eo Sacello publicis concionibus, tum Regionem perlustrans privatis colloquiis inflammabat, seseque & Socios accingebat messi copiosæ: ne aliis deesset ipse Provinciis, quatuor Sacerdotes, viros prudentissimos, omnibusq; religiosis virtutibus instructos, duos nimirùm in Colchidem, D. Joseph Judices, & D. Archangelum Lambertum: duos in Gurielem, D. Antonium Giardinam, & D. Christophorum Castellium, destinavit. Quare in suam his sortitione Provinciam paulo pòst profecturis; in Colchidem illi, nulla per Caucasiorum ardua montium itinerum pericula formidantes; nullam truculentarum, ad quas mittebantur,

ignotarumq; gentium exhorrescentes barbariem, ferocitatem; sed animo intrepidi; zelo, ac cœlesti armati fiducia, demigrarunt: admissiq; ad Regem Dadianum, his illum verbis compellavere:

Quos in præsentia cernis, Gloriosissime Rex, amictu quidem contemptibiles, exhaustos inopia, longissimis viarum itineribus fermè ad consumptionem redactos; Religiosi Europæi sumus, Christi Evangelici sectatores, vi equidem nulla, nec ægrè, sed sponte nostra pro ipso miseriis hisce mundanis emancipati. Italiæ alma Urbs illa, ac toti celeberrima mundo, Roma, Regio nostra est: unde tanquàm ex Imperii Ecclesiastici solio: Petri Principis Apostolorum successor, ac in terris Christi Vicarius, Pontifex Romanus, certam Christianæ fidei normam præscribit nationibus universis, Regumq; ac Principum religiosis cultus obsequiis, diffusam toto Orbe Ecclesiam moderatur. Is igitur est, qui modò nos, Apostolicos Sacerdotes, magni nominis tui, suavissimæq; famâ humanitatis illectos, per innumera maris, ac terræ discrimina ad te, ultrò volentes, allegavit; tibiq; deinceps addixit famulaturos: planè non ut hic felicitatem nobis ullam, aut auri, argentique, vel si quam promittit aliam hujus fœcunditas Regionis, & comitas habitantium, divitiarum òpulentiam comparemus; jamdiu hæc fuimus omnia nostris in Regionibus aspernati: sed ut tibi solùm, Magnanime Princeps, cunctoque populo tuo, veritatem Catholicæ fidei nunciantes, felicitatem afferamus æternam.

His Dadianus auditis, similibusq; in Urbani Summi Pontificis epistola lectis; admirans Virorum modestiam, strenuitatem, religionem; benigno eos excipit vultu, jubetque diuturno viarum labore fractos refici, & à lassitudine recreari. Deinde virtutem illorum primo vult tentare periculo. Erat ipsi filia, Adolescentula quædam, cujus linguæ, manus ac pedis motum ita paralysis ab infantia eripuerat; ut ejus proinde valetudo desperaretur. Hanc Patrum curationi commissam, studio etiam diligentissimo commendavit. Susceptam illi provinciam, magnam licet, & arduam haudquaqúam fore putarunt fidentibus Deo difficilem; quare medicaminibus quidem, magis tamen assidua apud Deum instantia precum, tria illa Paralyticæ membra post vigesimum Diem motui pristino, ac sanitati restituerunt. Vidisses profectò vulgata præclari fama facinoris præsultare lætitia, demirare stupescere Regem, Reginam, Populum universum; qui aliorum subinde infirmorum sanationes experti à curationibus Latinorum. Eos deinceps, ceu sibi delapsos Empyreo, maxima, qua par erat, observatione cœperunt, & obsequio prosequi.

Hinc servi Dei, promulgandi fidem Catholicam facultate donati, Regisque adjuncti familiæ; integrum feré annum sequi post illum, Regionem more suo circuncursantem, jussi sunt. Intereá per omnia nemorosi loci tuguria discurrentes, veram annunciabant fidem; Sacrumque quotidiè facientes, haud

cessarunt, pro reliquo suo munere, vel curare infirmos; vel afflictos, depressosq; ad patientiam exhortari; vel superstitioni, aut ebrietati deditos redarguere, vel homines illos efferatos, rerumque ad æternam salutem spectantium inscios, incuriososq; ad Christianam caritatem suaviter allicere; ad religionem, & Dei cultum instruere; eorum denique puerulos baptizare. Et quamvis Sacramentum hoc parvulis nimiùm cautè, ac non, nisi prætextu medicinæ, quæ illos liberaret à vermibus, ministrarent: [nihil enim ægriùs in ejus prædicationis primordiis audiebant adulti quam Baptismum suum irritum esse]: haud tamen obsistere valuit inimicus humanæ salutis; quo minùs Colchi universi de artificioso Apostolicorum Virorum ministerio, suffragante illi Deo eventibus prosperis, maximam conciperent existimationem, ac desiderium. Ejusmodi enim sacra ablutione pueruli à verminoso etiam morbo ita feliciter multoties curabantur; ut frequenter ad illam pro sanis adhuc filiis expetendam parentes confluerent. Undè factum est, ut non aliud illa nomen in Colchide sortiretur; quam Boscebs Zamali, hoc est, Remedium puerorum.

Dum hæc itaque á duobus, eo toto tempore gyrovagis, ac peregrinis Patribus agebantur; aliis ad eorum messem accurrentibus ex Italia sociis, Pater Lambertus vir spectatæ virtutis, eoque gratiosior cùm Regi, tum Reginæ, quo ingeniosior, ac induſtrior aliis; stabilem ab his, ac fixam alicubi sedem lassis donari

nari Sacerdotibus postulavit. Intervacabat autem in ea nemoris parte, quæ Zipuriàs dicebatur, pervetus Templum, integrum tamen, augustumque nec procul, vigesimo ferè ab eo passu erectum, alterum erat; cui Parochus quidam senex, nomine Guarricellus superstitiosissimè ministrabat. Illud ergò, nostro colendum ritu, accolendumque circumcirca tugurriis, tradidit nostratibus Dadianus: hujus quoque Parochum cum decem, è vicinioribus, Colchorũ familiis eorundem subdidit ditioni. Collocato igitur hic D. Joseph, qui jam in Patris Avitabolis ad Indias allegati, Præfecturã successerat, domicilio; novos Sodales suos ad nova animarum lucra, & magno quidem cum fœnore, excitavit: eorum quippe dum aliquot in aperto nuper Sacello & Catechismo, & Sacramentorum administrationi operam dabant; totum quacunque nemus alii peragrantes, innumeram prætereà lymphis Sacris lustrabant puerorum, & infantium multitudinem: sed & populum proceresque, maximè verò Ecclesiasticos, suorum commonefacientes errorum; eos potissimum super Colchiaci Baptismatis falsitate urgebant.

Versabatur tum hospes in Colchide Trapezuntius Metropolita, Cyrillus Græcus; quem Nostrates, submotum à schismate, Romam deinde, ut supra memoratum est, ad pedes Romani Pontificis deduxere. Vicem quoque Patriarchæ gerebat ibidem hæreticus quidam Episcopus, dictus Allaverdèli; qui licet anteà Patrum doctrinis adversatus acriter

esset: postea tamen, cum iisdem de rebus fidei pluries colloquutus, Catholicæ se dediderat veritati. Præsulis utriusque sententia, & authoritas magnum apud Colchos pondus addebat rationibus Latinorum: qui tandem, diversis oppositionibus, difficultatibusque divino superatis auxilio, ad ritè denuò Baptisma suscipiendum pleramque Optimatum, Populique gentem [nonnullis exceptis è Primoribus, qui à Græcis salutari lavacro rectè intincti fuerant] induxerunt. Præ aliis renati sunt lustralibus aquis Regina, & imperio secundus à Rege, Pata Zulachiàs, & Patriarcha ipse Sciamochmedèlus, cum duobus Episcopis, qui subinde sacris iterum initiati fuere. Ecclesiarum itidem Curiones de eodem Sacramento ritè deinceps suscipiendo, conferendoq; edocti sunt; præsertim Guarricellus, Parochus noster, quem, à Latinis etiam baptizatum, orthodoxus Episcopus Metropolita Cyrillus ad reliquos ordines iteratò promovit.

Cæterùm adeò creber adhuc est ad verum Baptisma populi concursus: ut [quemadmodum ex novissimis eorundem Missionariorum literis erudimur] unus tantummodò D. Christophorus Castellius in solo sesquiañi decursu octingentos triginta quatuor, ac insuper anno subsequente bis centum supra mille Baptismo regeneravit. Nec verbis prætereà recenseri facilè possent, quotquot ad Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta, quæ ibi pariter desueta omninò fuerant, frequentanda incenderint: quot Satrapas á proposito venden-

di subditos suos Mahometanis retraxerint? quot homines flagitiosos, & sacrilegos à superstitiosis ritibus, veneficiis, rapinis, ebrietatibus; ex aliorum deniq; scelerum colluvione malæque consuetudinis corruptela ad piæ, Christianæq; vitæ institutum revocaverint doctrinâ, exemplo, prædicatione. Sed quod mirabilius est, novam in prædicto loco Zipuriàs nonnullarum familiarum Ecclesiam, Latinum ritum colentem, instituerunt; quæ sit licet nunc grex quidem pusillus, in majorem tamen capitum numerum singulis ferè annis excrescens, per totam creditur Provinciam processu temporis [si Missio illa tot inter calamitates diù perstare poterit] dilatanda.

Res intereà Christiana feliciter etiam ac nihilo seciùs, quam ex sententia procedebat in Colchide, Missionariis Gurielensibus succedebat. Princeps enim ejus Provinciæ Malachias, Dadianicæ amplitudinis, quæ sibi magis adaucta videbatur obsequio Latinorum, æmulatione permotus; se quoq; illorum sociis beneficentissimum exhibuerat. Quare largitus eis in Uzurghet juxta sui ædes Palatii & Domum, & Templum; magna sæpè cum observantia, animiq; oblectatione divino illorum intererat sacrificio; admiransq; in ornatu, & cultu Ecclesiæ summam Patrum diligentiam, mistamq; modestiæ gravitatem; Quantâ putatis, Aulicis dicebat astantibus, magnificentiâ, & splendore Latini rem sacram suis in Regionibus tractent; dum adhuc peregrini, & in longinquis hisce Provinciis e-

am

am tam benè curant? Et quidem incredibile est, quanta Princeps hic affectus teneritudine verè paterna; quibus eleemosynarum largitionibus; quali deniq; tutela septem circiter annos, quoad supervixit, Patres nostros, qui deinde ad septinarium usq; numerum in ea increverant Residentia, foverit, sustentaverit, patrocinatus eis sit. Hinc, ne iis similia penè repetam, quæ de Colchicis modò Missionariis dicta sunt; Lectoris existimationi relinquo fructum, quo in Guriele sub tam benefico Principe Clericorum Regularium prædicatio redundarit: à quibus insuper instituto domi Collegio, pueri, dono sibi oblati partim ab eodem Principe, partim ab aliis eorum dominis, & partim à Parentibus, qui eos præ nimia paupertate alere non valebant; & libenter, quo minus Turcis venderentur, accepti; tum literis, tum doctrina Christiana instruebantur.

Inter præcipuas autem, quibus cooperati sunt ibi, hominum conversiones ad veram fidem, & morum probitatem; duplex illa eo sane illustrior, quo magis populo salutaris; viri Apostatæ una, altera schismaticæ meretricis; cùm utriusq; hacten⁹ ibi memoria celebretur, non est hic supprimenda silentio. Mulier erat in Guriele, singulari pulchritudine, & venustate cunctis conspicua; cujus vir, stirpe generis non obscurus, minax tamen, & arrogans admodum, ob insigne facinus orbatus à Malachia non tantùm oculis fuerat; sed & uxore & facultatibus. Cumque Leloca, hoc fœminæ nomen, ablato sibi viro, sui omnino ju-

ris,

ris, ac sola superfuisset familiæ; studium haud aliud illi, quàm ut vestium pompa, mollibusque honestamentis condecoraret sese; & largo splendida luxu, blandior Amasiis appareret. Quamobrem omni vulgatissima loco, illecebris libidinum multis animos innumerorum Amantium ad dedecus, & peccatum trahens; ruinam plerisque, scandalum reliquis afferebat. Talem igitur Malachias quonam modo è Guriele pestem eliminaret, cogitabundus; tandem avarus statuit mente nefas, pretio venum Turcis dandam esse mulierem: nec planè rem nostri ante homines rescivere; quam cum, propolis ad pecuniæ pactionem vocatis, imminebat venditio. Præcipitant ideò moras ad Principem adeundum; cujus dum mentem ab impio revocare consilio rationibus multis conantur, & precibus; refertis[perinde ac liceret scelera profligare sceleribus] se scandalis, & dissolutæ morbo mulieris aliter non posse occurrere. Iterùm nihilominùs, ac sæpius insistentibus illis, ab iniqua descifcit sententia; unde luxu infrenem, disciplina, frenoque patrum moderandam, in ædejuxta nostram Ecclesiam collocavit.

Lèloca interim argumento certissimo nitebatur; eos, quorum operâ è charitatis fonte, & animarum Zelo manante suæ beneficium libertatis acceperat; non, nisi veros Dei famulos esse, veræq; fidei Christianæ præcones. Quapropter illorum disciplinæ se totam credens, quotidiè impensiùs ad extirpanda ex animo vitia, & nova virtutum lucra facienda progro-

progrediebatur. Occepit ergo primùm componere mores suos, ac pristinos à se Amatorum consuetudines rejicere; mox generaliter apud Patres confessa, corporis cultu, & ornamentis depositis, abstergere fletu maculas præteritorum errorum: nec deinceps unquam visa est: nisi vel humiliora domus exercitia, vel Ecclesiam nostram, & Sacramenta, tanta cum religione ac modestia defixis ad terram oculis, frequentare; ut omnium intuentium animos ad compunctionem, suique imitationem alliceret: adeoq; erat vultus ejus præ pœnitentia imutatus; ut multi, vix illùm internoscentes, dicerent cum stupore: Hæccine famosa illa Leloca est, illecebra cunctorum Amantium? qualis verò ministra nunc Ecclesiæ, famula Latinorum evasit? Quamobrem, quæ priùs scandalum, & pernicies totius Provinciæ fuerat; postmodum virtutis, ac religionis incitamentum populo extitit universo.

Apostatæ verò, qui Feridon vocabatur, conversio, mirabilior fuit; nec in Guriele solummodò, sed in finitimis etiam Regionibus magnas sibi populorum acclamationes excitavit & plausus. Natus hic Senis in Tuscia ex parentibus Christianis, ac Nicolaus in baptismo vocatus, militiam primò exercuit; mox adhuc adolescens captus à Turcis, & à Christo desciscens ad Mahometicam Sectam, transmigravit Constantinopolim, ibi Paganæ jugatus uxori, & annos quinq; supra viginti vitam turpissimam, omniq; vitiorum genere inquinatam, agens: medicæ artis peritiam appræ-

hendit.

hendit. Audiens demùm, Gurielis Principem Malachiam, senio, morbisq; confectum, incolumitati suæ medicum exoptare; inde in Gurielem se transtulit: ubi ab eodem Principe gratanter acceptus, perinde atq; unus è Superis, suæq; baculum senectutis, honoribus, facultatibus, prædiis, subditorum dominio, ac bina etiam nobili conjuge, juxta Mahometicæ legis permissionem, adauctus fuit. Erat autem Feridoni statura procera, vultus gravis, barba prolixa, ingenium perspicax, & lingua idiomatibus multis, Latino, Italico, Turcico, Illyrico, Ibericoq; locupletata. Quare cum ejus experiretur operam Regulus, non modo infirmitatibus suis, sed aliis etiam negotiis maximoperè opportunam; præcipuo illum amore & honore prosequebatur.

Hinc perversus Apostata, videns se & favore Principis, & opulentia divitiarum præfultum; adeò superbè, insolenterque agebat cum omnibus, probrosis alios verbis incessens, alios infestans rapinis, alios quoq; minis & verberibus onerans, ut vix ullus ibi reperiretur, cui summam per injuriam infensus ipse non esset ac inimicus.

Intereà Clerici Regulares paulo post ejus adventum in eandem supervenere Provinciam: quos cum perspiceret Feridon acceptissimos populo; atque sibi ut in Principis gratia participanda, & natione compares, ita moribus, & religione longè dispares esse; ad eos acriter insectandos magno invidentiæ, & livoris æstu concitus fuit. Crebro Malachiam

ad

ad æmulos inde suos proscribendos instimulavit: Patrem Giardinam, ejus Residentiæ Superiorem, veneno tollere adorsus est: ut ejus pariter incendii, quo nostra ibi domus conflagraverat, ipsum multi autorem suspicati sint. Patientissimè tamen exagitationes impii Defectoris sufferebant nostri Religiosi: nec aliud in corde, & memoria volutantes, quam salutem animæ ejus; plures cum ipso de fidei veritate disceptationes instituere, sed frustrà: tanta enim Feridonis erat in Mahometismo tuendo pertinacia mentis, impetus animi & affluentia verborum; ut plerumque in furorem etiam, ac rabiem raperetur; illud in ore sæpius habens: se eam sectæ suæ fidem præstare, cujus vi adhuc miracula confideret patraturum.

Transeunt igitur in tali ejus impietate, exercitioque inimicitiæ tres anni. Cum postremo, animadvertens perfidus, mansuetissimos Sacerdotes non aliis armis persecutionum suarum impetus tandiu retudisse, quam patientia; depositis odiis, in familiaria cum ipsis alloquia, & mutuum amicitiæ foedus coivit. Tum claustrum frequenter adiens; postquam egregias illorum virtutes, institutique sanctimoniam adoratus fuit, & vitæ permotus exemplo; salutaribus eorum verbis non aures modo præbuit mitiores; sed & mentem applicuit & animum dedidit contumacem. Excussa jam ex intellectu Feridonis perobscura illa viginti octo annorum infidelitatis caligine, variis curarum fluctibus agitari pectus cœptum est. Hinc salus ipsum urgebat ani-

mæ

mæ ſuæ: hinc à propoſito deterrebant & humilis Chriſtianorum vita, duriſſimis tam oppreſſa præceptis, quam contemptui in Oriente obnoxia; & debitæ ſibi facinoroſo pœnitentiæ rigor; & quod moleſtius videbatur, futurum Concubinarum divortium, quibus ceu totidem fatebatur, catenis cor ſuum arctiſſimè illigari. Tales itaque inter animi cruciatus quatuor jugiter menſes attonitus, ac veluti mente captus, fluctuari, gemere, atque ſuſpiria ab imo cordis extrahere viſus eſt. Tandem die feſtivitatis S. Nicolai, Myrenſis Epiſcopi; qui priſtinum illi nomen, fidemque creditur impetraſſe; abjurata publicè Mahometica lege, & cum Chriſto reconciliatus, ad Eccleſiæ Sacramenta, cum incredibili cordis compunctione, & profluvio lacrymarum, acceſſit.

Singularia porrò atque admiratione digna fuerunt ſeveriſſimæ pœnitentiæ, Chriſtianæque perfectionis indicia, quæ ſubindè per unius anni curriculum, quandiu ſuæ ſupervixit converſioni, edidit Nicolaus. Statim è Concubinis una duntaxat, ex qua duas habebat filias, quæque ſecum deinceps caſtè ſanctèque vivere propoſuerat, domi retenta, dimiſit reliquas: aliena bona, quæ vi priùs & iniquè occupaverat, prout cuique debebantur, reſtituit: inimicorum quoque pedes in publico foro deoſculatus, veniam à ſingulis petiit illatarum injuriarum. Mox cellulam in exiguam, quam ſibi ſeorſim in atrio domus extruxerat, ſecedens; ibi, ut exactam improbè vitam perpeti pœnitentia compenſaret, indutus cilicio,

carnem crebris jejuniis, & flagellis affligens, ablato etiam sæpissimè lectuli strato, tabulam super nudam decumbens; diù noctuq; aut orationi,& sacrorum librorum lectioni vacabat aut amarissimé plangebat peccata sua.

Cœterúm de aliena salute non secus solicitus, ac de propria, fuit: Catholicam fidem, & Christianas virtutes cúm fervore spiritus admirabili, nec sine uberi fructu, Iberis, Armenis,& Turcis prædicare solebat: suum Principem Malachiam, ut vitam religiosius institueret; iisque Græcis,per quos ab Occidentali Orientalis Ecclesia scissa fuerat, diras non semel imprecaretur, induxit. Præterea subeundi pro Christo martyrii desiderio æstuabat; quam etiam ob causam sæpe nostræ Congregationis habitum, Laicorum adhuc numero adscribendus, humiliter póstulavit; cumq; Patres remorarentur ipsum in seculo studio ulterioris probationis; Nicolaus, quò ad Religionis ingressum expeditior redderetur, omnibus facultatibus suis renuncians; eas Monasterio Monialium Venerabilis Matris nostræ Ursulæ Benincasæ, sub regula, ac regimine Clericorum Regularium domi suæ fundando,attribuit; in quo ante alias & optimam sociam suam,& famulas, & filias, quæ Christo perBaptismum nuper regeneratæ fuerant,Deo voluit consecrari. Quibus vix peractis, molestissimo morbo, cujus diuturnas trium mensium vexationes mira patientia toleravit,correptus; eoque ingravescente, EcclesiasticisSacramentis munitus, & fidei nostræ Symbolo devo-

devotiſſimè recitato, animam Deo reddidit. De cujus obitu nuncius eò acerbiori dolore Gurielenſium pectora vulneravit; quò anteà jucundiori affectu lætitiæ ejus ad fidem converſio animos illorum perfuderat.

Plura itidem ſupereſſent, de Cardelienſis Reſidentiæ dicenda profectibus; quæ tamen, cum ſemel à Maggio, ſuperius memorato, in vita venerabilis Patris noſtri Jacobi de Stephano literis, memoriæq; mandata ſint, nova hic narratione non indigent.

Ea porrò, quæ poſt mortem ejuſdem Patris, in illa me pariter Reſidentia commorante, intra biennium ſunt geſta, paucis perſtringam. Ex Armeniis, Goride inter Iberos degentibus, aliquot è Schismate, hæreſiumque tenebris ad veræ fidei lumen, & Eccleſiæ Catholicæ gremium revocati fuere: præ quibus Dominus Minas, authoritate, captuq; ingenii præcellentior aliis Parochus, Romanæque religionis ſtudioſiſſimus, celebratur; qui, ubi per diſciplinam Patrum plenam de ſingulis Armeniorum erroribus notitiam aſſequutus fuit, eos firmiſſimè deteſtatus eſt: cœpitque in poſterum, ut populi benevolentiam nobis conciliaret, illum ad Eccleſiæ noſtræ Sacrum audiendum conducere, quotieſcunque in ſua illud Parochia intermitti defectu eleemoſynæ contingebat. Multis præterea Iberorum pueris, ad noſtrum ſacrum Fontem delatis, Baptiſma ritu ſolenni collatum eſt aliisque adultis, Catholica prius fide imbutis, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta ſunt impertita. Quidam

autem ex his, indolis egregiæ juvenis, nomine Andreas, relicta unà cum Seculo puella, cum qua sponsalia jàm ante contraxerat; in nostrorum Sodalium cætum voluit cooptari. Quamvis autem à consanguineis sponsæ vexatus fuisset atrociter, accusatusq; obid apud Cardelii Principem Rostuanum; nec blanditiis tamen, nec minis unquam induci potuit; ut susceptam fidem, & habitum Religionis, in qua sanctissime vixit, obiitque desereret. Quidam insuper Persa, Mahuma nuncupatus, è Paganismo ad Christianam fidem perductus est: aliique homines scelerosi è publico concubinatu, aliorumque vitiorum cœno ad bonam frugem redierunt. Quæ quidem omnia & si post obitum servi Dei Jacobi à reliquis sociis ejus intra prænotatum temporis spatium in eà Provincia patrata sunt: nulli tamen dubium est, quin ex magna tanti nominis viri fama post mortem ibi relicta, processerint; ac reliquiæ fuerint, ex ejus præcedenti messe collectæ. Ipsius proinde merito ascribenda sunt; aliisq; præclaris facinoribus suis, descriptis à Maggio, inserenda.

De laboribus itinerum Clericorum Regularium, ad Iberos, & Colchos pro fidei prædicatione proficiscentium. Vbi Autor iter suum enarrat.

QUod autem ad labores spectat viarum, quæ à Missionariis Iberiacis vix unius anni spatio conficiuntur; ex eo duntaxat, quod uno meo accidit in itinere, conjicere

re quisq; facile poterit. Cedens itaque ipse Patriâ tribus cum sociis è Nostratibus; mittente nos ad Iberos Urbano VIII. Pontifice Maximo, anno Christi 1636. mense Majo; prima dedi vela Neapoli Messanam versus. Inde Syracusas, & Melitem; atq; hinc tempestuosis ventorum, fluctuumque procellis ad oras Syriæ jactatus, Urbem, è cujus finibus egressa Mulier Chananæa obviam processerat Redemtori, Sydonem appuli. Dum autem, petiturus Hierapolim, vulgo Aleppum, Sydonio è portu Minorem Alexandriam Turcicis triremibus transfretarem: ne in piraticas Melitensium naves, quæ onerarias nostras obstinatè insectabantur, inciderem; [magis enim externis infestabamur amicis, quod obitèr profectionem nostram interpellarent; quam comitibus inimicis, qui crebris nos insultationibus divexabant, & probris]; Beryto derelicto, Tripolim descendere compulsus sum. Hac dein ex urbe viâ. Multorum dierum ac periculis obsita; in qua ut Arabum prædonum incursus vitaremus, necesse fuit deviis, & nocturnis sæpe itineribus properare; pervenimus terrâ Hierapolim: ubi etiam comperto Missionis Præfecto, Patre Avitabole, occursationem nostram jamdiu ibidem expectante, hyemavimus. At missa quæso faciamus, quotquot hucusque malis vita nostra terrâ marique periclitata est.

E Syria deinceps Arzerum usq; [civitas est hæc in majori Armenia] bimestre spatium sub ductu Armeniorum magis pedestres, quam e-

questres exegimus. Oportuit enim plerumque, in ascensu maximè, descensuque montium Armeniæ, & aliorum, quibus illa passim prærumpitur via, clivorum; ne sub utraq; nostrum, rerumque nostrarum sarcina equi fatigati deficerent; iter pedibus facere. Ver quidem erat: veruntamen quascunque solet rigido hyems in climate vel nives jactare; vel imbres; eas propè omnes cœlum illud rigidissimum, quod etiam sub initium Maji ningere, vidimus, super humeros nostros diu, noctuq; effudit. Quot visas noctes imensas, aut sub profluvio pluviarum, aut studio speculandi, ne nostros fur equos abriperet, insomnes traduximus? quoties ad quietem sternentes deficientia corpora super nivem; quæ nõnunquam eo altitudinis elevabatur à terra, ut vix grandiorum summitates arborum apparerent; nova interim noctu supercadente, manè ultro citroque obruti nivibus videbamur? tunc autem vehemens vis algoris ita nos astringebat; ut rigore contractos, motuq; carentes, aliorum brachiis equis imponi, efferrique, ut mortuos opus esset: undè & mortem ipsam frequens nobis ex equis præcipitatio minabatur. Multos rigor ille nivis insolitus penè exanimes reddidit; multorum adussit pedes; nonnullorum etiam oculis perniciabilis fuit.

Addebatur ad hæc debaccantis Boreæ flatus, ipsa quoq; præcordia penetrans, & exsiccans. Interdum super Armeniæ montes, ne raptum per aërem, ex alto deorsum furialis me

turbo

turbo dejiceret, apprehensa equi cauda, quasi ad anchoram steti. Interfluebat autem abrupta montium cacumina magnus Euphrates: quindecim per hæc dies iter usq; adeò habuimus odiosum; ut equorum multi relicti in via fuerint semimortui; multi ruerint in flumen suo cum onere præcipites; sed & vix non eadem ipsi pericula, in montibus illis, & Euphrâte, aliisq; fluminibus iterùm, ac sæpiùs transmittendis, subivimus.

Lassis autem, ac præ siti, fameq; & algu exinanitis, cibus sæpe numerò non fuit, nisi tostus, ac nauticus panis; potus, aqua lutulenta, vel, hac non reperta, glacies ipsa, ignis, stercus bovillum, magna cum sedulitate viâ collectum, & labore accensum; lectus, penula, qua ad arcendas è nobis pluvias utebamur, super cœnum, aut nivem strata. Undè, corporibus hæc per incommoda fatiscentibus, multoties animi deliquia passi, cadebamus per iter ante pedes exanimati. Quapropter cum itineri ulteriùs prosequendo ineptissimi haberemur, & comitatui etiam importuni; ter à Barbaris derelicti in via soli fuimus fortunæ arbitrio; totidemq; ab iisdem, præ pietate deinde resipiscentibus, quominùs fieremus esca ferarum, iterum reassumpti. Quocirca vel Turca quidam, miseratione nostri permotus; postquàm Armenium, totius Catervæ Ducem, nimis ferociter increpavit, quod Christianos, suæque fidei professores, immaniter à lupis in via devorandos deseruisset; ad nos in comitatum denuò revehendos octo ferè millia-

ria retrocessit. Plurima tandem hoc in itinere passi sumus discriminum genera; plurima fuere divini erga nos patrocinii & providentiæ beneficia: quæ, si omnia narrare velim, modum excedam voluminis.

Dies porrò memorabilis,[hoc equidem nō tacebo,] atq; impendentium periculorum acerbitate multò luctuosior illa fuit; cum campum in immensum, & altissimis, obduratisq; nivibus obductum, provecti; tepido perflante Austro, emolitaq; sensim nive, cuncti, qui centum circiter viatores eramus, una cum equis naufragium fecimus. Ad siccum quisque profugium vel huc, vel illuc per nivale diluvium evadere pro viribus conabamur: verum ad equos, & mercium onera, è profundo nivium eruenda, intregra non suffecit ea dies.

Nocte igitur appetente, è nobis quinque misellis, tanto in naufragio non modo á Barbaris, sed etiam ab invicem, cum nullus suo par esset periculo, derelictis; duo in cujusdam collis vertice, pernoctarunt; duo longè ulterius progressi, ad periculosi vadi terminum pervenere; quintus autem, in medio nivium implicatus, pro lecto cacumen arboris, fessa membra, quiete compositurus, elegit. Ita noctem illam, seorsim ab invicem separati, atque alii de aliorum interitu, tantùm dubii, quantùm inscii de incolumitate, in mœrore, luctuq; transegimus. Sed iterùm posteà recollecti, iterq; prosequuti, tandem tenuimus Arzerum: undè, ne pluribus immorer, post trigesimam lucem ingressi Cardelium, Iberiæ

Provin-

Provinciam; anno à prima discessione transacto, Ghoridem, non longè à Portis Caspiis urbem, ac terminum itineris nostri, sub Maji finem pervenimus; ubi à sodalibus, ea in Residentia commorantibus, summa cum gratulatione excepti, maximas benefico Deo gratias egimus, quòd è tot, tantisq; nos periculis eruisset.

Postquàm in hac ego Provincia multum temporis officia Missionis exercui; jussus in Colchidem transmigrare, solus cum solo Europæo puero tres ducens equos, libris, & Ecclesiastica supellectili, de una residentia in alteram transvehendis, onustos; multis licet comitatus Armenis; per caucasios montes plenam laboris, ac discriminis viam viginti dierum aggressus sum. Raptus in itinere à grassatoribus, abductusque è comitatu in Caucasi supercilium, sub custodia per diem detentus fui; non planè liberandus, nisi libertatem denariorum, quibus plena equorum esse onera credebantur, pretio redemissem. Quatuor tantùm aurei meum fulciebant commeatum: his demum, & vestibus à barbara mihi rapacitate detractis, una cum puero, & equis sacra vectantibus ornamenta, quæ illi præ reverentia [hanc solam in impiis admiratus tamen fui religionem] ne attingere quidem ausi fuere, ad comites iterum assequendos crepusculo vespertino dimittor.

Erant isti longo à me distantiæ interjectu extra viam castrametati: ad quos cum festinus, anhelusq; per saltuosos locos, & horrores

nocturnos avios, ad mediam usque noctem properassem, eos incautè transgressus, succe ssi in præcelsam, & horriferam sylvam. Hic metum trepidanti, atq; de errore viæ ancipiti, prægrandis ursæ transilientis occursus majorem majorem mihi dubietatem, & timorem injecit. Animo consternatus, diuq; in progressus, regressusve deliberatione hæsitans, denique mitto retrò puerum ad rusticorum, si qui eam desertam incoluissent heremum, auxilia inclamanda; quæ dum solus in tenebroso luco cum defessis, ac jejunis equis expecto; genu flexus preces fundo cum lacrymis, opem cælestem contra impetus imminentes ferarum imploraturus. Ille interim, in apertum reversus, campestrem ubiq; solitudinem per silentia noctis vociferando perlustrabat; cum ego esurientes equos, atque ad herbarum pabula conquirenda introrsum per sylvestres latebras etiã sub pondere discurrentes, amisi.

Jam longa præter fluxerat mora, in qua & puerum, & equos lugentem, frustra me capti consilii pœnituerat. [Omnimodam in periculo solitudinem tunc verè, fateor amarissimam sensi; eique ex animo, & toto corde illacrymavi.] In mentem quidem venit afflicto, ut tutus è ferarum faucibus fierem, conscendere arborem: sed hoc sæpius attentatum nequivi ad finem perducere; cum arbores vicinæ [ad remotiores enim accedere, timore magno perculsus nequaquam audebam] nullos haberent in parte inferiore stipitis ramos. Donec in tanta calamitatum pressura versabar; ecce

ecce canis, qui me primùm lupus proſpectu dubio viſus exterruerat, propiùs deinde accedens, ac nuncius venturi ſubſidii cognitus, mirum in modum conſolatus eſt. Præceſſerat namque is meum, multis cum Armenis auxilio mihi venientem, puerum; qui cum deſertum uſquequaq; vocitando peragraviſſet; poſtremò acceptis eminus clamoribus reſpondentium, jam cœtum ſociorum compererat. Equidem, illos ut vidi, ſtatim elevatis ad cœlum manibus, & ſummas Deo de accepto beneficio gratias referens, lætitia indicibili amplexatus ſum; qui tandem poſt multum laboris & me, & equos, diligenti perquiſitione repertos, è ſylvoſo, impervioq; ferarum domicilio ad comitatum incolumes paulò ante diluculum reduxere.

Contigit hoc in Provinciæ Cardelienſis confinio: Unde orto jam ſole, diſceſſimus; relictaque ad lævam Reſidentia, quam Noſtrates in Provincia etiam Gurielis habebant, intravimus Imeretum. Hinc, viſa regia Cotatis urbe, ac Phaſide pontibus trajecto, per ejuſdem fluminis ripam, & extremos Caucaſiorum montium colles in Colchidem, Phaſide iterum navi tranſmiſſo, deſcendimus. Denique, dimiſſis in Calachis Caſtrum Armeniis, noſtra ipſe tuguria ad litus Euxeni maris ingreſſus ſum; ubi ſodales adventu meo incolumi, gaudio cumulavi.

Jamq; triennium in Colchide, barbaris quidem gentibus iis haudquaquam inviſus, abſolveram, cum juſſu ſuperiorum meorum Con-

Constantinopolim petiturus, sub initium mensis Novembris Euxino me Ponto comisi unico cum Sodali, Turcicum erat navigium, quo Colchi ad trecentos Constantinopolim proscribendi transportabantur. In eo quicquid malorum tolerari potest, tot inter mancipia bimestri tempore constipati, pertulimus; famem, sitim, frigus, squalorem, fœtorem, pediculorum multitudinem, convicia quoq; & verbera. Nam quotiescunq; necessitatibus naturæ satisfacturos, nostro de loco etiam pauxillum recedere oportebat; ab Infidelibus, vel nautis, vel mercatoribus, non probris solùm, sed & pugnis, & calcibus petebamur. Ac semel quidem adeò immaniter cæsus in capite fui; ut sanguine illud resperfum, diù mihi exulceratum perdoluerit.

Imminebat jam hyems ibiq; sub Arcto sævissima; & Borei incipiebant turbines Cerceticis egredi de montibus procacissimi. Ne igitur proveheretur navis in altum, undè ejus ad oras Australes allisio timebatur; obnitentes conatu, quanto potuimus, in adversum, ac fluctùum, ventorumq; impetus, plenis, pronisq; ad mare velis, è dextro latere retundentes: radere primùm cœpimus Abasgorum, deinde Cercetarum litora. Ubi verò Geticos, Sarmaticosq; Synus ingredimur hyeme, en majore in nos impetu ingruunt furiæ Aquilonares. Menstrua jactati tempestate, ac nullum Portus, qui à ventorum nos injuria vindicaret, nacti perfugium; navim nunc huc, nunc illuc prominentes ad scopulos, quibus ab Aquilone

pro-

protegeretur, admovimus; nixique quatuor anchoris, eodem vix in loco retinebamur, donec felicius navigandi sese offerret occasio. Interim cibariorum penuria, & siti omnes affecti; per Scythiæ adusta frigore litora, cados super humeros bajulantes, aquam oberrando quæritabamus, & panem.

At verò nonnullis è Borea, magis magisq; ingravescente, perruptis anchoris; cæterisq; nimium exagitata, ne navis penitùs laxaretur, sublatis; ac datis carbasis, opus planè fuit, ventorum, & æstus arbitrio credere extremo discrimine laborantes. Itaq; fluctuum suffusi procellis, ac penè submersi, directo ad Thracium Bosphorum tramite, navifragum Pontum percurrebamus.

Inter hæc mihi, maximo hyemis rigore, aliisque, quæ ferri vix possent, confecto incommodis, frigidum intra caput enascitur apostema, quod acerbissimum secum dolorem, ac diuturnam afferens febrim; denique, ne me vita privaret, sinistra egestum ex auricula, perpetuum illius mihi sensum ademit. Nec mihi duntaxat, sed multis præterea bruma, adhuc intra navem cruenta; manus injecerat, è quibus triginta mortem oppetivere. Tandem Cimmerium glaciatæ Mæotidis Bosphorum, Tanaisq; ostia prætergressi; portum, Baluchlavà nuncupatum, ad Tauricæ Chersonesi oras intravimus; hyemationem illam feros inter Scytas, & Sauromatas traducturi.

Cœterùm egressi de navigio, excipi neuter hospitio neq; in cauponam mercede potuimus

tuimus: quippe maxima hoſpitum, ibidem hybernantium, multitudo jam cuncta domorum compleverat habitacula.

Læti igitur Salvatoris exemplo, cui nec recens nato locus in diverſorio fuerat, mediterraneam in villulam, duodecimo à mari ſtadio ſitam, ſeceſſimus; ubi fidelis quidam pauperculus, Græcus genere, ſolam cum uxore, ædiculam, antro ſubterraneo incumbentem, inhabitans, inter Paganos diverſabatur. Hanc ille ſpecum, quæ vix quinq; palmorum altitudinem excedebat, nobis obtulit incolendam. Quarè manibus, genibusq; reptantes, belluino more habitaculum ſucceſſimus belluarum; in quo, cum unicum peranguſtum foramen, & portæ, & feneſtræ, & camini munus expleret, laſſis, & frigore rigidiſſimo exanimatis, omnia tolerabilia erant præter fumum. Et quidem oculi noſtri, ne dum lacrymis, ſed & ſanguine turgidi, jam marcore poſt octavum diem contracto incipiebant lippire.

Cùm his autem premeremur ærumnis, miſericordiam Mahometani cujuſdam Scythæ captavimus; qui, ne fumo prorſus obcœcaremur, in tuguriolum ceſpite congeſtum, domuiq; ſuæ vicinum, nos reduxit ex antro: ubi verò accepit auribus advenarum ſtragem in portu peſtiferis ex morbis editam; ac paulo poſt introſpexit in gurguſtio nos ambos humi ægrotos jacere, me quidem putrida, ſocium autem tertiana febre oppreſſum, putans, ſuos ad lares ultrò peſtem admoviſſe, cæpit ſe collocati jam beneficii pœnitere: verùm prior

ne

ne pietas in impietatem migraret, nequaquàm exturbavit hoſpites; ſed tanquàm peſtilentia laborantes, quo minùs ad nos ùllus accederet, præmonuit univerſos. Ergo ab omnibus deſtitutos, ſiti potius, & inedia; quàm morbi violentia mori, neceſſum erat: undè Pœnitentiæ ſacramentum alter alteri conferentes, ad mortem alacri animo ſubeundam invicem hortabamur.

Poſt hæc furor, in me vehemens, febris, cum nequiviſſet per glaciata, & aſtricta rigore membra evaporari, totus in caput deliriis occupandum coivit. Biduum ſic phreneticus, nulloq; cibi, aut potus ſubſidio recreatus, jam ad mortis uſque limen perveneram; mihi quoq; commoriturus, jacens juxta me ſocius, & quo tanta, ſeſe verteret in anguſtia neſciens, animæ conſulebat ſuæ. Jeſu bone, quid tunc calamitatis, & miſeriæ nobis? quid poſteà ſolatii, gaudiique fuit; cum miſerrimè pereuntibus ſuccurriſti? Dum enim mentis haud potens in extremis ſic laborabam; ecce rediens à phrenetide [maxima quippe debilitatio jam mentem ad reſipiſcentiam revocarat] ſtantem prope me unà cum nato ejus ulceroſo, paganam cerno mulierem; quæ, ut purulentis filioli plagiis mederemur, panis, ovorum pulmentique munuſcula offerens, nos cupidè precabatur. O magnam Dei providentiam, qui nuſquam deſerit ſperantes in ſe! Itaq; cibo ſtatim refocillati; oſtenſiſque beneficæ mulieri nutu, ac voce flebili indiciis grati animi; imploranti pro puero remedia policemur, ſi

quando

quando, nonnullius ope juvati, pristinam adepti valetudinem fuissemus. Offert illa libenter opem suam; sedula bis in die visit, & revisit ægrotos; nobis deniq; quoad valuimus, de proprio subvenit, ministravitq; per duos menses: cumque á vicinis mulieribus, quod Christianis peste laborantibus ministraret, exprobraretur, vitareturque; à pietatis tamen officio nunquam distrahi potuit.

Nos interea convalescentes, curationem utriusq; suscepimus; ac plus certè matris spiritualem, quàm corporalem filii. Et hujus quidem ulcera medicatione unguenti, quod ex Colchide nobiscum deferebamus, brevi sanata sunt: illa verò, quamvis ex virulento infidelitatis ulcere nostris cohortationibus liberata fuerit; ex ejusdem tamē sordibus haudquaquam emundari tunc valuit. Nam, cum ipsius animus, ad fidem jam Christianam inductus, induci non potuisset ad Martyrium; quod illi necessariò subeundum erat, si unquā à ritu superstitioso Mahometicæ legis abstineri visa fuisset, præsertim à marito; nequivimus eam, id licet à nobis solicitè deposcentem salutari Baptismatis unda abluere. Quid pia Cathecumena precibus intentatum reliquit; ut, salva ipsius vita corporis, salvaremus & animas? quid nobis inexcogitatum; ut fœminæ, adeò de nobis bene meritæ, utriq; bono prospiceremus? deniq; captum, quod ei dedimus, hoc salutare consilium, verbis hujusmodi repetebat: Aut hinc mihi unquàm patebit effugium; & aliò certè me recipiens, Christi fi-

dem

dem liberè profitebor: aut hic præmaturam obibo mortem: & non ſine Chriſtiani Baptiſmatis deſiderio, nec ſine dolore de præterito charitatis defectu ſpero me morituram: miſerere Jeſu Redemptor tuæ miſeræ Cathecumenæ.

In tali ſtatu religionis Sarmatica relicta mulier fuit nec dubitavimus, quin fructum piè in nos factorum uberrimum à Deo remuneratore bonorum operum ſuo tempore perceptura eſſet. Interim, tranſacta hyeme, vocamur à nautis in portum; undè navigio Aprili Menſe ſoluto, poſt brevem, & proſperam navigationem Boſphorum Thracium, quo Aſia dirimitur ab Europa, intramus. Admota navis Byzantio, ſtatim à ſatellitibus Turcicis occupatur, perturbaturq; educunt hi primùm ab ea captivos omnes venales; ut, donec ſolvantur pro ſingulis vectigalia, in publico telonii loco detineantur: mox redeuntes reliqua ſcrutaturi, nos ambos inſpectant in angusto quodam navis penetrali metu trepidos ſublatere; finem enim præſtolabamur ibi tumultus. Exiſtimantes ergo, alia ſub habitu religioſo deprehendiſſe mancipia latitantia, repente in hanc vocem erumpunt: Exite furciferi; exite morituri: quid hic ſtatis: quid adhuc moramini? exite ſuſpendendi patibulo. Ad hujusmodi contumelioſas, improviſaſq; minas ſtupeſcimus. Terret nos nimium furens Barbarorum ferocitas; propria ſolatur aliquantulùm innocentia: dumq; inter ſpem & metum medii fluctuamus, iterant illi convicia,

 ite-

iterant minas. Egredimur tandem contetriti; & dolorosos antè verberum ictus sentimus, quàm in nos conceptam calumniam. Ad summam, ubi furibundos leniter alloquor stipatores, Turcica ipsa loquela falsum ostendit crimen meum. Silentium verò socii, ignorantis idioma Turcarum ipsum ponit in culpa, suadetq; satellitio mancipium meum Colchiacum. Igitur me dimisso, ille tenetur, & ad telonium unà cum aliis trahitur proscribendus. Cæterum nil ad eum liberandum mea contulisset testificatio, nil nautarum; nisi Rais ipse, navigii Dux, qui mihi erat pro adhibita cuidam suo vulneri medicina obstrictus, pariter etiam accurrisset. Restitutus socius in libertatem infirmatur ad mortem; postea convalescens, terrà prosequitur iter in Italiam. Jubeor ipse pro cõnversione Armeniorum, Byzantium grandi numero incolentium, sine socio laborare. Quæ hìc mihi triennio accesserunt incommoda, multa quidem & varia sunt; ut studeam brevitati, præcipua, iisq; notiora Christianis, paucis perstringam.

Galeta, urbs est à Constantinopoli portu solùm discreta, ubi omnes Catholici, quotquot illa versantur in Provincia, vel Cives, vel advenæ, degunt. Excipior hìc primùm & perhumaniter, ab excellentissimo & piissimo Domino de la Haye, Regis Gallici Oratore, in domum suam, & in contubernium Patrum Capucinorum; qui dum ibidem sub Oratoris ejusdem patrocinio scholam, vel invito Turca, Græcis adolescentibus explicant, magna sanè

dexteritate, & augmento Catholicæ fidei; ego, unus in ea tunc Regione pro Armenica natione Missionarius, do operam Armenis, ad me quotidiè confluentibus erudiendis discipulis. Erat eo temporis Constantinopoli Armeniorum Patriarcha Magister Cyriacus, concionator insignis; cujus fama ob præclarum ejus ingenium, facundiam, & vitæ integritatem in universa quoq; percrebuerat Armenia. Hic non semel à scriptis meorum discipulorum tentamenta petens meæ doctrinæ perspexit illam quantulamcunque licet, sanam; &, quod ei apprimè placuerat, armenis vocibus aptè, ac dilucidè explanatam.

Hinc visendi, alloquendiq; alterum desiderio æstuabamus uterque: continuimus tamen cupiditatem, veriti, ne apud Turcas Armenus Patriarcha Romanæ fidei accusaretur à suis. Per epistolas saltem colloquuturi, cœpimus mutuum litterarum officium frequentare. Fidus admodum erat, & utriq; carus amicus, ex discipulis meis unus, nomine Joannes; qui, suis nunc Romæ expletis studiis, Missionarius ad Armenios destinatus est: per hunc mittebãtut secretæ epistolæ, ad me Theologica dubia, per fidei devia ferebãtur: ad eũ mens eorũ, Patriarchã ad verã fidẽ reducentes. Hinc factũ est, ut comendãte illo sæpe doctrinam meam, & amplectente, multo plures Adolescentes, ejusdem doctrinæ desiderio tracti, sese mihi in disciplinam tradiderint. [erubescerem quidem referens; &, uti magna, qua tenebar, inscitia insapientiæ specimen il-

lic migravisset, mirarer; nisi manifestum illud esse cognoscerem; solitos frequenter à Cæcis duces suos vel monoculos, haberi oculatissimos] En temporibus nostris, ajebat sæpè Cyriacus fidelioribus suis, qui eadem mihi posteá referebant, novus in Oriente prodiit Athanasius, novus Cyrillus: accedite ad illum filioli, & illuminamini. Faxit Deus, ut Patrem hunc, quem ipse misit Armeniis, ceu Patrem Armenia suscipiat, & agnoscat. Quibus sanè verbis optim⁹ vir, ut suos ad meam disciplinam, fideq; Catholicam toto animo, ac mente amplexandam excitaret, non modo indignissimum ponebat in laude; verùm & hanc etiam de industria nimio plus affectabat, adornabatque. Quamobrem crescente magis in dies numero discipulorum meorum, ex frequenti cum eis cõsuetudine, pestifero in urbe grassante morbo correptus sum. Ne hujusce rei in aula Gallorum promulgatio intermissionis mei muneris Apostolici causa esset, [quid enim potiùs agerem?] Domino confisus, exitialem in inguine mihi surgentem furunculum occultavi. Sed, [mira Domini gratia] ut me morbus corripuit, ut deseruit; nec ulli factus est notus.

Amor intereà, & nostrarum cupido præsentiarum, ut mihi ad sumum, ita creverat & Cyriaco. Visitaturus is erat Armenas Asiæ minoris Ecclesias: occasio hæc satis sibi videbatur votis mutuis opportuna. Quare trajecto Bosphoro, migrat Constantinopoli Scutarum, urbem è regione Byzantii super Asiaticam orã. Illic nonnihil ægrotare se simulans, Latinum suspi-

ſuſpirat medicum; neque talem eſſe familiaribus perſuadens, nuper audiviſſe, ait incolere Galateam. Accerſitus itaq; ad ejus medendũ corpori, cujus animæ mederi conabar, ſine cũctatione advolo parata cum medicina. Ingreſſus, exceptusq; gratanter à Patriarcha, ſecum jubeor pernoctare. Apponitur ergo cœna, ſervis quoq; lautior ex conſulto; qui, dum nocte dormiunt temulentia profligati, ego, & Cyriacus coram patre ſuo, & fratre fidei negotia pertractamus. Ad extremum deliberatum eſt, ipſum cum Romana conciliandum Eccleſia; noctemq; eandẽ, ut nulla in tanta re mora interponeretur ducendam inſomnem. Igitur ante lucem præſcripſit ille ſua manu duas epiſtolas; alteram ad Sumnum Pontificem Urbanum VIII. in qua, præter alia Armeniorũ cœcitate, variisq; miſeriis ex animo deploratis, & Catholicæ fidei emiſſa profeſſione, debitã ei ſpondebat obedientiam: alteram ad prædictum Regis Chriſtianiſſimi Oratorem; rogans eum, ut ipſius ad Urbanum epiſtolam litteris jungeret ſuis, authoritate quoque ſua muniret; tum ejusdem Oratoris Secretario, ad ſe ſumo manè, accerſito, dedit ad dominũ ej' utramq;.

Quantâ verò gratulatione, ac ſpe majoris progreſſus epiſtola iſta Cyriaci animum Sumi Pontificis Dominorumq; Cardinalium affecerit, ſubſequens Sac. Congregationis de Prop. Fide ad eundẽ Patriarchã reſponſio poſteá declaravit: quæ ſicut etiam aliæ inferiùs adducendæ, ex Italico in Latinum Idioma ad verbum tranſlata eſt.

Extat in Tabul. ejusdem S. Congreg in Codice anni 1642.

CYRIACO
ARMENIORUM PATRIARCHÆ,

Cardinalis Antonius Barberinus, Sacræ Congreg. de Propag. Fide Præfectus.

ILlustrissime, ac Reverendissime Domine! Paterno affectui, quo Apostolica sancta Sedes semper solita est eos amplecti, qui per Catholicæ fidei professionem uniri cum ipsa desiderant: plené respondet gaudium, quod Sanctitas Domini nostri, hique mei Eminentissimi Domini Sacræ Congregationis de Propag. Fide, perceperunt ex litteris, ac fidei professione Dominationis tuæ. Undè sicut Illius Beatitudo, Horumq; Eminentiæ, tibi magnopere gratulantur: quod in sinum sanctæ Matris Ecclesiæ uti verus te filius recepisti; ita quoq; confidunt, fore, ut prædicatione, & exemplo tuo dignaturus sit Deus Nationem Armenam illuminare; nobilissimumq; veterum suorum Progenitorum spiritum in ea exuscitans, vires ad illos imitandos eidem concedere. Interim Patri Clementi Galano, quemadmodum exoptabas, commissum est; ut sanctæ menti Dominationis tuæ totis viribus suis cooperetur, &c. Datum Romæ pridie Kalendas Junii, 1642.]

His igitur ita peractis; Patriarcha antequàm suum Asiaticas per Ecclesias iter invaderet, precibus à me contendit; ut, quàm citissimè

tissimè possem, domicilium ex urbe Galatea Constantinopolim ad Armenios transferrem; quò in suo reditu opera uti mea tutius valeret, ad Ecclesiæ illius correctionem. Quamobrem post abscessum ipsius cœpi mecum magnam hanc animo versare Provinciam; quæ sanè eò mihi difficilior videbatur, quò minùs ab ullo anteà Missionariorum suscepta fuerat. Quis enim ausus unquàm fuisset, solus Constantinopoli inter Turcas & Hæreticos non modo tranquillè commorari Catholicus; verum etiam munus Apostolicum impunè Missionarius exercere? Addebatur quoq; fateor, maxima meæ virtutis imbecillitas, ob quam è vitæ periculo immò ab Ipsa occasione Martyrii retrahebar. Verùm nihilominùs qui subterfugere poteram susceptionem incepti? solicitant me quotidiè studiosæ discipulorum preces: hortatur piissimus ipse Orator Gallus, quin ultrò suum mihi patrocinium offert: invitat ad sodalitium suum, qui vicem absentis Patriarchæ supplebat, Archiepiscopus Diarberchirensis Ecclesiæ Magister Joañes Urfænsis, vir septuagenarius, magnaq; apud Armenios præditus gravitate; qui posteà Grammaticæ & Logicæ institutionis Opusculum Armeno-Latinum, à me pro iisdem Armeniis ad ipsius petitionem compositum, ut typis Romæ daretur, Eminentissimo Domino Cardinali Antonio Barberino dicavit, quid multa? excitat me deniq; ad pericula Christùs, pro me ipso crucifixus, cui vix resistere poteram.

Jamq; agebatur annus, ex quo Galateam

ſub meæ Religionis habitu incolueram habitaturo deinceps occultè Conſtantinopoli, per Miſſionariorum mihi licuit facultates Armenorum Magiſtrorum veſtem induere; quæ, excepto cucullo nigro acuminato, haud erat multum à priore diſſimilis. Sic indutꝰ, magno diſcipulorum comitatu ducor ad Palatium ſuum Patriarchale; ubi honorificè à Joanne ſuſceptus, cœpi dulci ejus contubernio frui. Factꝰ habitu, lingua, geſtu, & [ſi fidem, ritumq; Romanum excipias] in omnibus, ac per omnia Magiſter Armenus; facilè mihi populi ſtudia, atq; gratiam comparavi: unde mea quoque ſchola liberè à plerisq; frequentabatur.

Interea, laudantibus multis & diſcipulos, & Magiſtrum; deq; novo in ſua Natione erecto ſcientiarum Collegio gratulantibꝰ; ex Clero nihilominus aliquot hoc modo in ſcholaſticos obſtrepebant: Quid vobis Armenis cum Latino iſto? quid exteris ſcientiis cum noſtra ſimplicitate? neſcire utiq; potiùs, quàm ad noſtrarum traditionum perniciem ſcire, præſtat, num ignoratis, quotquot voluerũt è Noſtratibus ſapiẽtes fieri, hæreticos factos eſſe? Cumq; hi, ad objurgationis improbitatẽ retũdendã, ſac. ſcripturæ ſententias illas, ſapiẽtiam commendãtes, adducerent: Sapientiam, & diſciplinã qui abjicit, infelix eſt: Et quia tu ſciẽtiam repuliſti, repellã te, ne Sacerdotio fũgaris mihi: illi tamẽ alias objicientes cõtrà Scripturas; Rurſus ſcriptum eſt, inquiunt, Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.] Quippe melior eſt columbæ ſimpli-

ſimplicitas cum inſcitia, quam prudentia ſerpentis, hæreſum admiſta veneno. Reſpondẽtibus autem diſcipulis: Præceptor noſter ortodox' eſt; hæreſes deteſtatur omnes; Eccleſiarum potiùs prædicat unionem, ne Chriſti corpus dilaceretur: exurgens quidam è ſenioribus, ait: Siccine vosipſos alieno creditis Magiſtro? an nõ perſpicitis, mollitos ejus ſermones in nos eſſe jacula? Et cur noſtram Latin' induat veſtem? noñe ut nos ſeducat, & trahat ad ſua? Cavete filioli, cavete lupũ ſub ovina pelle. Alii tandem in Archiepiſcopum Joannem maledictis invecti; Et hic quidẽ Senex ajebãt, hæreticus eſt; qui hæreticum ſuſcipit, eiq́ue patrocinatur.

Et murmur ſanè magis invaleſcebat, atque ita incipiebat in populum dimanare; ut vel ejus ſeditio vel apud Turcas de me quærimonia timeretur. Porrò autem vulgi fremitũ placidè ſedaverũt, tum Archiepiſcopus ipſe; qui etiã obtrectatoribus, palàm de pervicacia objurgatis, ut linguam compeſcerent in futurum, excõmunicationem minitatus eſt; tum alii tres ex condiſcipulis orthodoxi viri, qui reliquis ut ætate, ita ingenio, & authoritate præferebantur; Thomas videlicet, & Kacciatur, Monachi Presbyteri; ac Paulus, Magiſter, & Epiſcopus Tiurichenſis, qui, cum in publicis etiam concionib' populo teſtatus eſſet, me á Romano Pontifice, Patre omnium Chriſtianorum, ideò miſſum ad Armenios; ut eosdem iis ſcientiis, ac doctrinis, quæ ad errores Mahometicæ Sectæ convincẽdos idoneæ ſunt, quibusq́; ipſi de Turcis in diſceptationib' fidei victoriã

referre possent, præmunirem; magnam mihi ejusdem populi benevolentiam, & amorem conciliavit.

At verò solito jam fervidior, Julius instabat Mensis; stragemq; horribilem Civibus pestilentia ostentabat. Postquam morbus exitialis nonnullos invaserat è contubernalibus meis; quorum ne ullum quidem, ne dum unum, in cubiculo meo jacentem, sine scandalo aliorum domesticorum vitare potueram; eodem ipse morbo infectus sum, adeoq; perniciabili, ut vitam in discrimen adduceret. Erat Galateæ pro Latinis, ejusmodi malo laborantibus, nosocomium. Igitur ne decederem extra meos sine Sacramentis Ecclesiæ catholicæ illuc petivi, quamvis tertio à domo milliario, transportari. Efferunt me ad litus, tanquàm cadaver exanime piorum manus discipulorum; inde Galateam in hospitium illud ægrotantium navi transvectus, quindecim intra dies planè convalui, & Armenis iterum restitutus fui.

Inter hæc Patriarcha Cyriacus, annua per Asiam peregrinatione consumpta, regressum moliebatur; atqui accepto de mea cùm ægrotatione, tum valetudine nuncio, rupit moras; volvebatq; per iter facinora, unà mecum Constantinopoli facienda, quibus sua posset Ecclesia religione Romana initiari. Statim ac illum audio advenisse, in amplexum lætus accurro; sed, ut fert miserabilis humana conditio, quæ brevi gaudio, & tristitia variatur, vix ejus gratulor reditum, cum amarè lugeo mortem

tem [proh immatura & nimis quoque importuna mors.] Peste namq; repentina oppressus atque in extremo vitæ post triduum constitutus; ubi ad fidem Catholicam, & unionem cum Romana Ecclesia Suos adhortatus fuit, spiritum quadragenarius exhalavit.

Ecquo tùm crederes, dolore perculsum animum meum, meorumque discipulorum, ex alta spe, quam prius conceperat, cecidisse? demirari quidem satis non valui profundissima Dei consilia, eaq; impensius venerans exclamare: Judiccia Dei abyssus multa. Itaque tristitiæ vi subactus, metuensque à futuro Patriarcha periculum, distrahor ancipiti cura: inceptumne opus Constantinopoli prosequar, expositus discrimini dubio? an pedem cautius referam Galateam? Hæc mihi cogitanti renunciatur; carissimum filium meum, quem genueram Evangelio, Kacciatur, ad Patriarchalem dignitatē populi conspiratione evectum; immò jam infulatum, è regia Turcarum aula, magna ejusdem populi frequentia prosequente, in Patriarchalem Ecclesiam equo de more advectum esse. Allatus mihi cum gratulationibus penè innumeris amicorum optatissimus nuncius, afflictum, jacentemque mœrore animum levavit, & in spem meliorem erexit. Fit etiam communis lætitiæ particeps Gallus Orator; qui statim suæ gratulationi ad Patriarcham publicitùs referendæ præcellentiorem aulicum delegavit. Respondit hic non minori significatione benevolentiæ: misso enim ad illum Unigenito suo, [nam olim

uxorem

uxorem habuerat] dignas ei grates persolvit pro amoris in dicio: mox promisit, se ubi primùm res suas composuisset, simul cum Clero, & obedientiæ litteris, ad Romanorum Pontificem dandis, ipsum solenniter aditurum: siquidem ea tunc inclinatione voluntatis Armenii in conciliationem cum Latinis propendebât; ut officia hujusmodi sine metu periculi possêt hinc inde mutuò exerceri. Facti sunt ergo per litteras de re certiores & sacra Purpuratorum de Prop. Fide Congregatio & Christianissim' Rex ab eodem Oratore; cui commissum est in Responsis, ab hoc quidem, ut deinceps Clericorum Regularium, ibidem residentium, accuratius susciperet patrocinium; ab illa verò ut Kacciaturo, novo Patriarchæ, sequentem epistolam præsentaret.

KACCIATURO

ARMENIORUM PATRIARCHÆ,

Loc. sup. cit.

Cardinalis Sancti Onuphrii, Sacræ Congreg. de Propag. Fide Vice-Præfectus.

ILlustrissime, ac Reverendissime Domine! Firma opinio, quam hæc Sacra Congregatio de Prop. Fide concepit de tuo erga ipsâ amore optimoq; proposito uniendi te cum sancta Sede Apostolicâ, quæ à divina Sapientia infallibilis magistra veræ fidei constituta est; Eminentissimis hisce Dominis meis occasionem præbet gratulandi nunc tibi de Patriarchica dignitate, qua remuneratum jam fuisse meritum

meritum tuum, nobis significatum est. Eminentiæ ipsæ confidunt, Dominationem tuam, sicut præclaris suis virtutibus ad eandem sibi dignitatem aditum patefecit; ita doctrina pariter, & exemplo, instar lucernæ, superpositæ candelabro istius Ecclesiæ, Catholicæ veræ fidei lumen animabus sibi commissis allaturam esse. De cujus quidem fidei forma certior plenè fies à Patre Clemente Galano, ejusdem Sacræ Congregationis Missionario; cui gratum tibi sit aures porrigere; atq; id efficere, quod ille nomine Sanctitatis Domini nostri, & DD. Cardinalium ejusdem Sacræ Congregationis tibi significabit. &c. Datum Romæ, VIII. Idus Decembris. 1642.

Altera huic epistolæ jungebatur, ab eadem Sacra Congregatione rescripta ad prædictum Joannem Archiepiscopum, qui obsequentes ad ipsam litteras eodem dederat anno ea pariter hujus erat argumenti:

JOANNI

ARMENIORUM ARCHIEPISCOPO DIARBERCHIRENSI, *Loc. sup. cit.*

Cardinalis Sancti Onuphrii, Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, Vice-Præfectus.

Perillustris, ac Reverendissime Domine: Relatæ sunt in hac Sacra Congregatione de Prop. Fide, coram Domino nostro novissimè habita, litteræ, à Dominatione tua ad nos datæ præterito mense Augusto. Cumq;

in

in iisdem præcipuum unionis cum hac Sancta Sede desiderium, quod tibi Deus afflare dignatus est, perspiciatur; ejusdem Domini nostri Sanctitas, ac DD. Cardinales præceperunt, ut te gratulationis officio prosequar; & de singulari gaudio, quo ipsi propter dispositionem tuam ad sanctam unionem affecti sunt, faciam certiorem, ut autem scias, in quibus illa consistat articulis; à Patre Clemente Galano, hujus Congregationis Missionario, de iisdem singulatim erudieris: quem & audire, & quicquid ex parte Suæ Beatitudinis, Dominorumq; Cardinalium ille tibi significaverit, efficere ne graveris. &c. Datum Romæ 8. Idus Decembris, 1642.

Nondum Byzantium epistolæ istæ pervenerant, cum novam aliarumq; præteritarum longe amarissimam experti sumus ibi calamitatem. Pererrabat enim hoc ipso tempore Syriam Armenus quidam Episcopus, in Constantinopolitana olim sede Cyriaci prædecessor, nomine David; qui, cum fuisset tam ignavus, ineptusq; scientiis, quam hæresi refertus & ambitione; à populo Constantinopolitano Patriarchali depositus dignitate, illuc expulsus fuerat; atq; in ejus locum ipse Cyriacus; egregia cujus virtus universorum jam animos prolectaverat, substitutus. Audiens igitur is in Syria sui obitum Successoris, & in spem Sedis per summam adhuc scelus recuperandæ adductus; se, qua potuit festinatione, Constantinopolim transtulit: nec propterea quòd locum ibi à Kacciaturo præoccupatum compe-

perisset,

periſſet, eam, quam priùs conceperat, ſpem omiſit; immò, oblata Turcarum Regi multorum millium aureorum ſumma, rem pro voluntate ad exitum perducens, Catholicum Patriarcham Throno exturbavit, Conſtantinopoli quoq; ejecit; ſibi tandem, renuente adhuc populo, eam arripuit dignitatem: niſi præterea ſperaviſſet, me cæterosq; meos diſcipulos, quos Archiepiſcopi Joannis Umhra protectos ægrè videbat, à ſe aliquando ad perniciem diſperdendos, voti haud ſatis duxiſſet ſe compotem.

Sed neque hic finis malorum: breve namq; dierum intervallum effluxerat; ex quo longævus Joannes, ut locum ſacrilego daret Pontifici, in alterius ædes Eccleſiæ unà mecum Epiſcopo demigraverat: cum ecce hora poſt dimidia, quam ſurgentes à prandio, ego in unum, in aliud ille cubiculum ſe receperat, audio, vultu turbato, & lacrymantibus oculis famulo referente, Joannem ipſum improviſa apoplexia ſubitò animam expiraſſe. Exhorrui ad nuncium acerbiſſimæ rei; ac pene incredulus, animo, & toto pectore tremens, feſtinavi, cucurri; ingreſſusq; cellam Epiſcopi, heu cerno attonitus exanimati cadaveris ſpectaculum funeſtiſſimum. Conſtiti parumper ſtupore immobilis, incluſa animo ægritudine conſternatus; mox indulgens lacrymis, dum lugere incipiebam & caſum miſerandum amici, & memet ab omni ſpe, ac patrocinio derelictum; ſubſenſi, Davidem ad demortui ſpolia cum gaudio properare. Monuere diſcipuli

fugam

fugam: nec mora, quo minùs in ejus manus incideremus, insimul arripuimus eam.

Diligebat maximoperè Thomam, Monachum ante dictum; atq; in ejus gratiam me quoque non semel suis epulis familiariter adhibuerat Regius quidam publicanus, Armeniorum Satrapa nobilis ac primarius, cui nomen erat Scandèr Celebi: Davidem contrà ita odio prosequebatur; ut ab eo Patriarchalem administrationem, ad quam restitui non poterat Kacciatur, ad Thomam ipsum transferri desideraret. Hujus ergo Viri domum confugientes, rogavimus eum, ut nos ab iniquo persecutore sua defensaret tutelâ. Annuens ille precibus; Hæc mea domus ait, & monasterium, & schola vestra sit: mensa mihi honoratior quidem ac sanctior erit recubitu, & benedictione tua: Vestram deniq; incolumitatem contra adversarios, non Armenos tantúm, sed Turcas etiam, acerrimè propugnabo. Hæc vir bonus pollicitus est; nec à promissis annum integrum, quoad morari apud eum nos licuit, exitus rei dissensit.

At verò quis posset verbis edicere; quanto David, novum hoc audiens patrocinium, furore, rabieq; exarserit? non explebatur ejus odium intestinum, quod nos insectaretur conviciis; quod insimularet hæreseos; quod alios etiam Armenios in nos assiduè concitaret: sed majori furoris æstu efferuescens; quòd exterminare, perimere, trucidare non posset, indignabatur. Quid tandem scelestius ageret? palam discipulos meos percutit anathemate: fauto-

fautores quoq; & amicos pessimè criminatur: quicunq; demum nos adiret in posterum, Ecclesiâ se illi cominatur interdicturum. Sed [mira sanè, ac divino fortè statuta consilio res!] quò tunc in nos fremebat ardentiùs, eò plures erant, qui domum nostram frequentabant; præsertim energumeni, & veneficiis, quibus Armena impensè dedita gens est, infecti, ac fascinati. Quorum quidem multitudini, ad nos toto eo anno fide magna confluenti, cum exorcismis, aliisq; sacris remediis faceremus satis; res adeò divulgata in Civitate fuit, ut in odium Christianæ fidei capitalem mihi sententiam ab aula Ottomannici Regis amici metuerent. Quapropter recedens Byzantio, quoad rumor hujusmodi desineret circumferri; domum Galateæ mercede conductam, cum discipulis commigravi.

Intereà visum est Thomæ; qui jam ob comparatas studio scientias ad Magisterium provectus, plus in populum authoritatis, & imperii, novæ prærogativâ dignitatis adeptus fuerat; mentem, animumq; suum, orthodoxæ fidei lumine nuper illustratum, Apostolicæ sanctæ Sedi aperire. Ideò per epistolam, ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide directam, postquàm Catholicam Fidem professus est, voto se quoq; astrictum declaravit ejusdem fidei pro viribus dilatandæ: ad quem hæc illa rescripsit:

* * *

THOMÆ,

ARMENIORUM MONACHO PRÆSBYTERO.

Cardinalis Sancti Onuphrii, Sacræ Congreg. de Propag. Fide Vice-Præfectus.

REVERENDE PATER: Ex litteris Reverentiæ tuæ, datis die 12. Februarii, & in hac sacra Congregatione de Propag. Fide relatis, hi Domini mei Eminentissimi cum affectu singularis gaudii acceperunt, qualiter divina bonitas sanctam mentem tuam per veræ fidei semitam dirigere dignata sit. Profectò sine tali fundamento, nec ædificium laudabilium operationum tuarum subsistere poterat, nec istæ ad judicium Divinæ justitiæ stabiles inveniri. Eædem nunc Eminentiæ Reverentiam tuam ad iter incœptum constanter prosequendum, unà mecum adhortantur; illud tibi in memoriam revocantes, frustrari velocem ejus cursum, qui ante lassescit, quàm terminum assequatur. Incumbito igitur pro tua virili parte ad lucrum animarum tuorum Armeniorum; haud dubiè sic responsurus gratiæ, quam à divina clementia recepisti. &c. Datum Romæ Idibus Junii, 1643.

Posthæc renunciatur Davidi, ejectum Kacciaturum denuò clanculùm rediisse Byzantium; illum quoque, ac Paulum Episcopum multa mecum pro Thomæ conferendo Patriarchatu ipsius commoliri. Hoc ille nuncio exacer-

exacerbatus, incipit nos vehementiùs insectari; datisq; Præsidi quingentis aureis, impetrat; ut tribus prædictis Constantinopoli ablegatis, ego, tanquam Missionarius Romani Pontificis, ac perinde quasi Nationis Armenæ seductor, comprækendar. Procincti capturæ Satellites domum jam nostram, Armenio quodam ductore, adventabant. Dumq; nos, præmoniti de insidiis, ac repentino malo perterriti, omnes hùc illuc diffugimus; casu ego in Lictores incurrens, indice Delatore teneor in via. Jamq; trahebar ad Præsidem, & morte procul dubio puniendus; memet pro meis culpis hostiam Domino præparabam: quippe vel habitus ipse armenus memorati criminis rerum veriùs me promulgavisset, quam testes. Citò perferũt infortunium ad Oratorem Gallum discipuli; à quo missus ad suppetias mihi ferendas ex suis aulicis unus, gressu celeri nos subsequitur, & assequitur ad vitæ dimidium; deinde secretò cum Apparitoribus colloquutus, pecunia fugam meam paciscitur. Subornatis ergo ministris, oculosq; subinde ad aliud de industria distrahentibus; dum me fugæ committo, clamat Speculator Armenus: Heu currite! quid moramini? jam aufugit, persequimini, capite refugum. Illis porrò cursum aliam per viam simulantibus; ego, liber effectus, me ipsum, ad Palatium Gallorum advolans, occultavi.

Hic autem perdiù, ne Gallus pariter meum vocaretur in crimen, ita in secreto delitescere compulsus sum, ut ipsis adhuc discipulis,

qualibet me ſolicite perquirentibus, innoteſcere prohiberer; perindeque iners perpetuo torpeſcerem otio, ut quilibet alius, qui arctiſſimo in carcere detinetur. Quapropter Miſſionis Præfectus, Pater D. Joſeph Judices, qui ærumnæ meæ obiter è Colchide ſupervenerat, de Oratoris utriusque, Galli ſcilicet, Venetiq; conſilio me juſſit Romam advenire; hic fortaſſe deinceps, quod fieri ampliùs Conſtantinopoli minimè poterat, diſciplinis ſacris Armenios inſtructurum. Evulgata jam præproperæ fama diſceſſionis, diſcipuli non levi animi triſtitiâ conturbantur: deliberant tamen ex carioribus aliquot à Magiſtro nusquam gentium ſeparari. Quarè nonnulli terrâ ſtatim iter aggreſſi, meum in Urbem adventum prævenere; quos inter & Garabiet, Cyriaci, demortui Patriarchæ, Germanus, & ſupra memoratus Joannes, ſcientiarum, ac virtutum uterq; ſtudioſiſſimus. Alii eundem poſteà ſubſequuti ſunt: horum præcipui Balaſſanus, Majori in Armenia patricius Albanenſis, & Thomas prædictus; qui, poſtquam cum Davide Patriarcha diù apud Turcarum Præſidem altercatus fuit; victoria potius, illum in Inſulam Cyprum relegari fecit, ac ſeipſum eligi Patriarcham: cum tamen defectu pecuniæ, quam populus in hujusmodi promotionibus Imperatori Turcarum elargiri ſolebat, nequiviſſet deinde ad Sedis pervenire poſſeſſionem, Romam ſe contulit. Alii deniq; videlicet Dominus Joañes, pater ejuſdem Cyriaci Patriarchæ, & Zacharias, Clericus indolis præſtantiſſimæ

ſſimæ; unà cum tribus aliis, eandem mecum navem ingreſſi ſunt: quæ tandem ſoluta Byzantio, atque diverſa Mediterraneum, per Mare tempeſtatum, piratarumq; experta pericula; navigatione bimeſtri primò in Jonia Smyrnam, deinde Liburnum in Tuſcia appulſa eſt. Ad ultimam Romam incolumes advenimus omnes: ubi Sacra Congregat. de Prop. Fide Armenos eoſdem perbenignè, uti eſt ſolita ſemper complexa; non modo illos, quoad Philoſophiæ, ac Theologiæ ſuomet explicatæ idiomate, ſtudia abſolverunt, largo victu ſuſtentavit: verùm & ipſorum pleroſq; qui magis in iiſdem profecerunt ſcientiis, etiam nunc in diverſis Armeniæ Provinciis, ad quas eos jam Miſſionarios deſtinavit, annuo fulcit proventu. Præſtet interim miſericors Deus; ut, ſicut ad Orthodoxæ fidei veritatem addiſcendam, prædicandamq; dignatus eſt efficaciter hos ipſe vocare; ita pariter ad ejuſdem fidei lumen & Ovile Matris Eccleſiæ univerſam Armeniorum gentem dignetur per eoſdem adducere: ut id ſua ipſi virtute, ac merito aſſequantur, ad quod operandum me penitùs ineptum & naturæ ignavia, & pravitas animi reddiderũt.

Ex Armena Hiſtoria.

CAPVT XIII.

DOminus Joannes Ghocouthanus ex oppido Pacaranæ, annos 26. Is juſſu Mauritii Imperatoris *XXV.*

creatus fuit Patriarcha, ne dum Armeniæ, verum etiam Regionis cujusdam Græcis subjectæ: & regula sui regiminis, adhuc vivente prædecessore Abrahamo, in Pago Auan præscripta fuit.

XXVI Dominus Chomitas Arachazvodanus ex Oppido Aghziz, annos 8. Hic extruxit Auán prope Ecclesiam sanctarum Ripsimis & Sociarum.

XXVII Dominus Christophorus, genere illustris, è progenie Abrahami, annos 5.

XXVIII Dominus sanctus Jeser Neçainus ex Oppido Parrasnachiert, qui fuerat ab infantia in Patriarchali Palatio educatus, vixitq; in Patriarchatu annos X. Sub ipso celebratum fuit in urbe Charno Concilium, * jussu Heraclii Imperatoris, qui ad illud convocavit omnes Episcopos, & Principes Armeniæ unà cum Jesere eorum Patriarcha; nec non etiam plures Græcorum sapientes, quibus post menstruam Collationem, & diligentissimum examen omnes prædicti Armenii consensere: atque cum Græcis iterum reconciliati, Thevinense † Concilium anathemate percussere; festivitates Nativitatis, & Baptismi Domini rursus, ut anteá, separatim cele-

Jeser Catholicus Patriarcha.

**Concilium Charnense Orthodoxum, in quo Ecclesia Arm. cum cathol. cõciliatur*

† Thevinense

celebrandas, decrevere; & additionem illam, Qui crucifixus es pro nobis, à Trisagio removentes, illud erga sanctissimam Trinitatem ita deinceps statuerunt decantandum: Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus & Immortalis, miserere nobis. Sacrum deniq; Chalcedonense Concilium, ejusq; decreta, haud aliter, ac alias tres præcedentes sanctas Synodos, honore prosequuti sunt, & receperunt. His autem omnibus, unus solummodò Joannes Maracumensis, qui adversaretur, repertus fuit; & hic damnatus, pulsusq; in exilium, in hæreticorum numerum ascriptus est.

Arm. Concil. ab ipsis Arm. Patrib' subjicitur ãathemati

ANNOTATIO.

HEraclium Cæsarem, bellum in Persarum Regem Chosroën illaturum, bis in Armeniam properasse, ex Annalibus Græcis memorat Baronius, & quidem hoc ipso Jeseris eximii Patriarchæ tempore; semel nimirùm anno Christi 621, atq; iterum anno sequente 622. In ea verò Regione inclytus Imperator, quo plures, gloriosoq; de visibilibus Romani Imperii hostibus retulit triumphos; eo gloriosiùs de invisibili Reipublicæ Christianæ, Catholicæq; fidei adversario, principe tenebrarum, satore Zizaniorum & schismatum, piissimus triumphavit.

Baron' t. 8. an. 621. & 622.

Compererat enim ibi Armenā tunc Ecclesiam abscissam á Catholica, adeoque propter erronea præteriti Conciliabuli Thevinensis decreta in Acephalorum hæresi implicatam, obfirmatamq; ut vel Jeser ipse, vigilantissimus licet, ac optimus Patriarcha, nequivisset eam suis duntaxat viribus ad rectæ fidei tramitem, & pristinam unionem adducere. Ab eodem ergo Pontifice enixè rogatus fuit Heraclius, ut ad facinus illud, non secus fructuosum, quā operosum, tantique certè ponderis, ac laboris, ut multorum potiùs, quám unius videretur poscere manus, suam quoque vellet operam conferre, ipsiq; in ejus susceptione opitulari. Annuit è vestigio Imperator; in dictaque Synodo in Urbe Charno majoris Armeniæ, omnes Armenos Episcopos, & Principes illuc advocavit, quo etiam advenire jussi sunt eruditi quidam Græcorum Episcopi, ut Armenis fidei veritatem juxta Chalcedonensis Concilii sanctionem, congruis rationibus patefacerent eorumque purgarent errores.

Heraclius Imper. Concil. indicit in Armenia.

Menstrua igitur in eadem Synodo inter Armenos, & Græcos expleta collatione, perspicuè explorata fuit Armenis Patribus veritas orthodoxa, & quam rectè Patres Chalcedonensis Concilii ad illius puritatem explicandam in sua Definitione oculos collimassent, & manus hinc insuper omnes Hæreticorum fallacias, atq; calumnias, quæ ipsorum animos ad idem concilium rejiciendum impulerant, facilè ipsi detexerunt. Quapropter conventicu-

ticulum Thevinense, quod Armeniam primo sub Schismate constituerat, execrantes, omnia illius decreta, maximè quæ de una natura, de recepta in Trisagio appendice atque de dominicis festivitatibus, una die conjunctim celebrandis, edita fuerant, abrogarunt. Mox prætereà suscipientes sanctam Synodum Chalcedonensem, cœterasque Ecclesiæ universalis traditiones, quæ præsertim in ea de mistione atq; in sacris mysteriis ab initio fuerat; in pristinum restituerunt concordiam inter Armenam, & Catholicam Ecclesiam. Unus porrò tot inter Patres Joannes Maracumensis in sua hæresi pertinaciter consistere voluit; qui damnatus à Synodo, exilio quoque multatus fuit ab Heraclio Imperatore.

Armeni Patres Concilii Charn. suscipiunt Chalcedonense Concil.

Mansit autem Armenia in hac concordia, rectiq; status tranquillitate, annos 95. usq; ad Joañem Oznienſem, Patriarcham hæreticum, qui eum denuo, in Manaschiertensi Armenorum, atque Syrorum Conciliabulo, priorum errorum ad vomitum redire fecit; ut dicetur alibi. Meminit etiam prædicti Concilii Charnensis, in Armenia sub Heraclio Imperatore, & Jesere Patriarcha coacti, præter alios Armenos libros & auctores, Gregorius Sisensis Patriarcha in Epistola ad Haytonem Regem Armeniæ, dicens: Heraclius Imperator, cum ob sanctam crucem profectus esset in orientem, omnes Armenos Patres convocavit; qui post menstruum examen, concordiam, & unionem

Gregor. Sisensis, Armen. Patriarcha in epist. ad Haytonem.

 iterum

iterum componentes, susceperunt usum aquæ in Sacrificio, celebrationem dominicæ Nativitatis die 25. Decembris, aliaq; omnia: atq; post Dominum Ieserem, tunc temporis Patriarcham, quinq; alii Patriarchæ successores in eadem permanserunt fide; &c. Memoratur etiam in Actibus Concilii Tarsensis, hisce verbis: Ieser Patriarcha noster, temporibus Heraclii Imperatoris unionem composuit, quæ tamen non firma permansit. Et Nierses Lampronensis ad Patres ejusdem Concilii, ubi relinquemus, ait, verba Ieseris Patriarchæ suiq; Concilii assensum?

Concil. Tarsen. in respons. ad IX. proposit.

Nierses Lampr. in orat. ad PP. Concil. Tars.

Quocirca vix credat aliquis, quantum Populorum studia possint, & factiones, in pertinaciter prosequendo, quod semel sive justè, sive injustè susceperint defendendum, absque delectione boni vel mali, veri vel falsi. Certè id maximè præsens declarat exemplum. Quis enim credere posset, quòd adeò venerandum concilium, à tot tantisque Ecclesiæ Armenæ priscis Patribus celebratum; ipsorummet Patriarchæ sanctissimi auctoritate præfultum; illius quoq; præsentia & consensu Imperatoris roboratum, cujus ipsi memoriam ac pietatem ad summam hucusq; laudem extollunt; tam diuturno, & accurato examine absolutam, eo præsertim tempore, quod haud difficile fuerat Armeniis, causas sui schismatis, utpote paulò antè incæpti discutere, reiq; veritatem haurire; Charnense dico Concilium, quod antea reliqui sapientiores Armeniæ Patres adeò magnifaciebant, & scriptis suis concelebrabant;

bant; à neotericis nunc Armenis, ut sua quomodocunq; defendant, oblivioni traditum posthabeatur, sed & temerè [proh scelus] floccipendatur.

Ex Armena Historia
CAPUT XIV.

XXIX. Dominus Nierses Dajanus ex oppido Iskhanaz, annos 20. Hic divinæ Charitatis fervore incensus erat, cæterisq virtutibus exornatus: quapropter ædificavit magnificentissimum * illud gregis rationalis Ovile in Urbe Vagarsciabat; Ecclesiam quoque in loco † purgatorii sancti Martyris in civitate Ardasciad: & Templum aliud in Urbe Thein.

* *Palatiũ Patriarchale*

† *Puteꝰ in quo S Gregor. I. Arm. Patriarcha 14. jugiter ãnos afflictationibus obsessus delituerat.*

ANNOTATIO.

Urbs Vagarsciabat, cujus modo in Majori Armenia vix apparet vestigium, antiquitus usq; adeò celeberrima fuit, ut in ea Solium Tiridatis Regium, & Patriarchale Divi Gregorii Primi Patriarchæ fixum fuerit. Hac igitur in Urbe post passionem ejusdem Gregorii, & martyrium sanctarum Ripsimis, Cajanæ, aliarumq; 32. virginum, quarum meminit Martyrologium Romanum, Rex ipse Tiridates, qui tanti prius sceleris auctor fuerat, Christiana fide accepta, tres magnas Basilicas, & in eis ornatissima sanctarum virginum

Martyrolog. Rom. die 29. Sept.

&

& Martyrum sepulchra suis quidem manibus, unà cum Armeno Populo, Divo Gregorio ædificiorum loca describente, extruxit. Quod præter Armenam traditionem, narrat etiam Metaphrastes: Rex Tiridatis, ait, fodiens terram, sursum jaciebat, Regina autem Asichene, ejus conjux & soror Cusaroducta, suis tunicis efferebant pulverem: tum ipse lapides ea magnitudine, ut nullus alius eos tollere posset, deferebat ad ædificandum; deinde etiam sepulchrorum postes ostiorum, & super liminaria non aliorum credens manibus, sed ipse humeris imposita ferebat. Quanta in hoc Rege pietas.

Metaphr. apud Sur. tom. 5. die 30. Sept.

Et unum quidem Templum, quod nunc semidirutum cernitur, titulo sanctæ Cajanæ, in ejusdem martyrii loco positum est. Aliud S. Ripsimis, ubi & ipsa passa fuerat, adhuc integrum extat. Tertium autem, duorum, imò & omnium, quæ in Armenia sunt maximum, & sumptuosissimũ, in quo sicut olim sacrosancti Præsulis, & Martyris admirandi Gregorii, ita nunc supremi Armeniorum omnium Patriarchæ Cathedra sita est in honorem Redemptoris nostri Jesu Christi fabricatum, appellatur Armenicè Ecmiazìn, hoc est, descensus Unigeniti; eo quod eodem in loco, in quo Dominus noster Jesus Christus Divo Gregorio è Cœlo descendens apparuerat, conditum sit.

Sacræ Basilicæ in Arm. extructæ à Rege Tiridate.

Huic Templo adjunctum est Patriarchale Palatium, & amplissimum quoque Ædificium, ubi frequens religiosorum Prædicatorum, ac Magistrorum numerus degunt, suoque

obse-

obsequũtur Patriarchæ; quod Armenus suam historicus Magnificentissimum gregis rationalis Ovile nominat, & à Niersese vigesimo nono Patriarcha primo constructum recenset. Apparitio autem filii Dei unigeniti, hic facta Magno Gregorio, juncta fuit cum admirabili quadam visione, per quam revelatum ei fuisse futurum Armeniorum profectum, & posteà defectum in Christiana fide, Armenos ipsos non latet, illamque copiosè memorat idem Metaphrastes, cujus aliqua saltem pars non est hic silentio prætereunda, ait enim: *Metaph. loc. cit. cap. 27.*

Hoc in loco visionem quoque, quam solus ille, nempe S. Gregorius, fuerat assecutus, publicé apud aures omnium deposuit; illa autem est ejusmodi, ut nihil possit esse admirabilius. Videbatur enim mihi, inquit, Cœlum esse apertum, &c. Et post alia multa. Quin etiam mihi cernebatur, ait, grex caprarum resplendens in nigrore pilorum; postquam autem aquam transmiserant, species quidem eis mutabatur in oves, nigror autem pilorum mutabatur in alborem nivis: dixisses, momento temporis effluxisse nigras, & alias exortas esse, nempè albas: atque oves quidem visæ sunt parere, & cani pili erant etiam recens natis fœtibus: multitudo autem superabat & numerum & locum, quantumcunque definiebat oculus. Ex his autem quæ nuper natæ erant, videbantur rursus quoque nasci aliæ. Et quidem agni mutati in lupos, malefaciebant ovibus, *Revelatio Divo facta Gregor. de Armenior. profectu & postea defectu in Christiana fide*

& eas

ne miserè capti fuerint.] Hoc totum Metaphrastes.

Ex Armena Historia
CAPUT XV.

Dominus Anastasius Massiazuotanus ex oppido Agborri, annos 6. XXX.

Dominus Israel Vanantanus ex oppido Zotmuds, annos 6. XXXI.

Dominus Isaac, qui fuit ex Patre Zoropporanus; ex oppido Arcascini; ex Matre verò Masassinus, ex oppido Perteghnuoz, annos 29. Hic mancipium effectus à nefario Præside missus fuit Damascum, ubi & mortuus est in Haran. In ejus obitu miraculum quoddam animadvertentes Dux Generalis exercitus Sarracenorum, qui erat Armeniorum Præses plurima Armenis ipsis beneficia contulit. XXXII.

ANNOTATIO.

Nunc temporis, scilicet Año Christi 653. & Constantis Imperatoris, successoris Heraclii XII. Armenia, inquit Baronius, itidem à Sarracenis longè lateq; devastata est; ita quidem dormiente, atq; sterente ignavo Imperatore, ad malum inferendum Catholicis tantummodo vigilante, totus funditùs

Baron. t. 8. an. 653.

ditùs quaſſatus eſt Oriens. Hæc planè adeò ingentia mala pertigerunt Armeniam ea ex cauſa, quod Manichæorum hæreſis ibi reſtitui cœpta eſt, tot ante Conciliis, ac legibus Imperatorum ſæpeſæpiús jugulata. Qui verò peſtem illam iterum renovare, ac latius ibi diffundere, in animum induxerat, fuit non procul à Samoſatis Armeniæ indigena quidam, Conſtantinus nomine, Vicum incolens Mananalim.

Perſeveravit autem Armenia in manu Sarracenorum plures annos usq; ad Imperatoris Juſtiniani tempora, * qui mittens illuc Leontium Prætorem cum Romano potentatu, Sarracenis ibi exiſtentibus interemptis, non ſolùm Armeniam Romanis ſubjecit, ſed & Iberiam, Albaniam, Hircaniam atq; Mediam. Idem quoque Princeps aggréſſus fuit pariter inventos illic Manichæos exagitare; quos & in unum cogi, ſeorſumq; interrogari juſſit, atque flammis tradi, quotquot eſſent in errore pertinaces. Unde extructo ad acervum ingenti rogo, omnes incenſi, & cremati fuerunt.

* *Ex Theophane apud Bar. an.* 685.

Eosdem in Armenica Manichæos inſectatus etiam fuèrat antea Imperator Conſtantinus Heraclii nepos: idemque egit poſt Juſtinianum Leo Iſauricus anno Domini 722. nec penitùs eos extirpare valuerunt, ſemper exciſis capitibus in ſobole pullulantibus. E Juſtiniani enim flammis unus duntaxat Paulus Armenus lapſus fuerat cum filiis duobus, Theodoro, & Geneſio, cui & Timothei nomen impoſuit. Hic autem Timotheus inquam, uti

narrat Lucas Siculus, Constantinopolim ab Imperatore Leone vocatus venit; interrogatusque de singulis fidei Articulis à Constantinopolitano Patriarcha, voce quidem probè respondit, sed simulatè, animoque responsa pervertens: erat enim passim in Manichæorum ore, & opere lex illa, eo versu conscripta: Jura, perjura, secretum prodere noli. Quare pro innocente habitus, acceptisq; ab Imperatore formalibus literis, Episparim, Vicum in Armenia, ubi degere consueverat, reversus est: coactisq; subitò omnibus discipulis, cum eis aufugit, descenditque Mananalim, Manichæorum Metropolim apud Saracenos, ex qua Constantinus eorum auctor prodierat. Ibi post aliquot annos ad summum jam insaniæ culmen evectus, è furore, rabie, angore, tanquam missione à pravis Angelis accepta, exagitatus, Deo pœnas exposcente, fœdo ex inguinis tumore vitam finivit, cum annos fermè triginta impietatis familiam duxisset. Quæ vero in eadem impietate disseminanda egerint ejus filius Zacharias, ejusque puer mercenarius Josephus, lege in prædicto authore.

Lucas Sic. apud Baron. t. 9. An. 722.

Cum ergo exitiali Manichæorum hæresi nunc inficeretur Armenia; ab eo tamen contagio non modo sese immaculatum servavit Isaac, trigesimus secundus Armeniorum Patriarcha, verùm etiam in Catholica fide, ac unione cum universali Ecclesia constantissimè perseveravit: quod & præstiterunt etiam ejus successor, & quatuor alii ipsum immediatè præcedentes Patriarchæ: ut colligimus ex E-

Gregor. Sisensis in epist. ad Hay. Reg. Arm. pistola Gregorii Sisensis Armeniorum Patriarchæ ad Regem Haytonem; ubi postquam ille de concordia Armeniorum, cum Catholica Ecclesia à Jesere Patriarcha in Charnensi Concilio inita, mentionem habuit; hæc alia de Isaac Patriarcha prosequitur: Et post Dominum Jeserem, qui tunc temporis erat Patriarcha quinq; alii Patriarchæ successores in eadem permanserunt fide; ex quibus unus fuit sanctus Isaac; ille, qui, dum Mahometem* pro Armenis adiret, diem suum obivit in Mesopotamia, descenditque super eum Lux de Cœlo, in cujus morte multa miracula perpetrata sunt. Quare superveniens Mahometes, epistolamque increpatoriam, ab eo sibi relictam, legens, aperuit illius sepulchrum: repertoque cadavere incorrupto, dexteram illius osculatus est, dicens, quicquid mihi jussisti, exequar: moxq; inde discedens, Armenos Monachos è captivitate liberavit: eamque dexteram nos ipsi in Ghelaiensi vidimus Civitate adhuc incorruptam, quæ deinde argento exornata fuit. Hæc Gregorius Patriarcha Regi Haytoni.

* *Hic militiæ Sarracenorũ Dux erat.*

Ex Armena Historia
CAPUT XVI.

XXXIII. Dominus Elias Jelivodanus ex Oppido Dirargi. Hic sedit anno Armeniorum 112. * vixitq; in sede Patriarchali annos 24. Sedes itaque Armeni

* *Hoc est anno Domini 663.*

meni Patriarachatus è sancto Gregorio usq; ad Nierſesen Aſcdarachensem, à quo Thevinense Concilium ex mandato Regis Persarum actum fuit, extitit obediens sanctæ Romanæ Ecclesiæ annos 218. quo tempore ſederunt in ipsa Patriarchæ viginti, omnes eidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ obtemperantes. Ex Nierſese autem Aſcdarachensi fuit sanctæ illi Ecclesiæ contraria usque ad Jeſerem Parraſnachiertensem annos 112. ſederuntque in ea Patriarchæ septem, Ecclesiæ Romanæ adversarii. E concordiâ vero Jeſeris uſque ad Joannem Oznienſem fuit iterum obediens annos 95. Patriarchæ verò sex. Igitur ex tempore Divi Gregorii usque huc ſupputantur anni 425. Patriarchæ 33. ex quibus perſtiterunt in eadem obedientia Patriarchæ 26. annos 313. in ſchismate verò Patriarchæ 7. annos 112.

Ad calculum reducuntur tum Catholici, tum Schismatici Patriarchæ, qui in Armena Cathedra hucusq; ſederũt

ANNOTATIO.

HIc Armenus, &, [ut manifeſtò conjicimus] etiam Orthodoxus Hiſtoricus ſupputat tempus, & numerum tum Catholicorum tum ſchismaticorum Patriarcharum, qui hucusq; Armenam rexerunt Eccleſiam. Cur autem talis calculus hîc potiùs,

quam in fine subducatur; ea fortasse ratio est; quia post hac nulla fuit in Armenia continuata series obedientium, vel inobedientium sanctæ Romanæ Ecclesiæ Patriarcharum sed ex utrisque valdè promiscua, & confusa vicissitudo; ut ex sequentibus perspicuè constabit. Prima porrò annorum subductio, à divo nempè Gregorio ad usq; Niersesem Ascdarachensem; non nihil pari difficultatis, & minus temporis, quam opus esset, calculare videtur: nec sanè mirum; dum tempora duorum priorum Armeniæ Patriarcharum ab aliis etiam historicis nimium confusè tradita reperiuntur. Nicephor⁹ n. ex Euseb. refert, S. Gregorium ad Nicenum Concilium accessisse: contra verò Baronius ex Metaphraste, quin ex ipsius actibus Synodi Nicænæ non Gregorium, sed Aristarcem sacro illi Cœtui interfuisse, commemorat; immò erroris arguens Nicephorum, ipsum Gregorium longè ante Nicænum mortuum fuisse, putat. Nos interim ex Armenis historiis satis exploratum habemus, Gregorium plures annos Nicæno superstitem vixisse concilio, ad quod tamen non ipse sed Aristarces accesserit; ut suo jam loco* ostensum est. Ut autem benè salventur, quæ ex supradictis vera existimamus, nimirum in Armena Cathedra primò sedisse D. Gregorium anno Domini 311. & in ea vixisse annos 30. secundò Aristarcem annos 7. qui Nicæno interfuit; tertio Vertanem annos 15. & à Divo Gregorio usque ad Niersesem Ascdarachensem subduci annos 218. quibus septem alii ad-

Niceph. lib. 8. c. 14. Baron. an. 325 Metaphr. ap. Sur. t. 5. d. 30. Sept. c. 19. Concil. Nicæn. ubi triplici nomine subscriptus reperitur, Acrites Aristæ⁹, Aristarces.

**vide c. 3. num. 3. & seqq.*

adhuc viderentur deſiderari; omninò prorſus aſſerendum eſt, in triginta illis annis Pontificalis adminiſtrationis S. Gregorii omnes etiam ſeptem annos Ariſtarcis includi; hoc pacto videlicet; S. Gregorius, poſtquam Eccleſiam Armenam fundaverat, ac rexerat multos annos, ſecèdens in ſolitudinem, filium ſuum Ariſtarcem in Patriarchalis munere rectionis Epiſcopum Coadjutorem adhibuit ſeptem annos, quandiú hic vivus ſuperſtitit; intra quos contigit Nicæna Synodus, ad quam miſit eundem anno Domini 325. trigeſimo verò anno ſui Patriarchatus, quando ipſe Gregorius mortuus eſt, utrique, Patri ſcilicet, & Fràtri ſucceſſit Verantes, qui eo munere functus eſt annos 15. Sic igitur procedendo, calculantur à primo anno Patriarchatus D. Gregorii uſque ad Nierſeſem Aſcdarachenſem anni 218 ut armenus jam refert Hiſtoricus, & optimè, quæ hactenus tradidimus, verificantur.

Ex Aramena Hiſtoria.
CAPVT XVII.

DOminus Joannes Oznienſis è Provincia Daſcerana, annos 11. xxxiv.
Hic juſſu Homaris, Saracenorum Ducis, & auxilio Caliphæ Babilonis, Synodum congregavit in Urbe Manaſchierti in confinibus Harcanæ

Conciliabulum Manaſchiertenſe,

in quo Armenii, ab Assyriis seducti, redeunt ad priores errores.

Provinciæ; ubi cum venientibus cum Armenis sex Assyriis Episcopis, definita fuit in Christo una natura, una voluntas & una operatio; fueruntque à sacris ablata Mysteriis fermentum, & aqua; canoneq; statutum est; non esse amplius in Sacrificiis aquam vino miscendam & postquam Armenii Assyriorum voluntati obsequuti fuere, in suum unius cujusque locum reversi sunt. Patriarcha iste decrevit, in sabbatis quadragesimæ jejunium esse frangendum, quemadmodum in Dominicis; & Feria quinta Majoris hebdomadis non distribuendam esse populo sacram Communionem; eo quod Dominus non fuerat tunc crucifixus, neq; sepultus, neque à mortuis exuscitatus. Præterea statuit, pisces, oleum & vinum esse in eodem ordine computanda tempore jejunii cum lacte, & ovis; ac denique Armenios, & Assyrios nunquam ab invicem separandos.

à Joanne Ozniensi Patriarcha interdicitur mistio aquæ in sacris mysteriis.

ANNOTATIO.

JOannes Ozniensis, Armeniæ Pseudopatriarcha, & Doctor insipientissimus, cujus hæreticæ propositiones in secunda parte confutabuntur, decoloratione, macieque vultus innata

innata, & vaferrimæ hyprocriſis artificio [ut Armenorum Catholicorum traditione accipitur] præfèrebat cunctis ſpeciem auſteri viri, jejuniis, carnisq; macerationi addicti; quapropter tantam adeptus fuerat apud omnes famam ſanctitatis adeoq; populum illum doloſis verbis dementaverat; ut, quamvis Armenam Eccleſiam iniquiſſimis legibus, decretisque ad ultimam penè ruinam perduxerit, & è qua illa erroneis ejus, ipſiusq; ſectatorum ſcriptis obfirmata, nunquam deinceps emergere valuit, illud tamen usq; in hanc diem perſeveret in vulgi fœce delirium, quo plerique ejuſdem Eccleſiæ reparatorem, ac ſecundum illuminatorum eum nominare minime vereantur.

Ozníenſis hypocrita in ultimum diſcrimen adducit Arm. Eccleſiam.

Circa tempora itaq; ſextæ Synodi Generalis, quæ Conſtantinopoli ad hæreſin Monothelytarum profligandam celebrata fuerat anno Redemptionis 680. dum ſub duriſſimo adhuc Sarracenorum jugo gemebat Armenia, pænas luens Manichææ, de qua ſupra loquuti ſumus, impietatis; prodiit in ea peſtilens Coluber iſte, Ozníenſis inquam, Serpentinus latinè interpretatus, ut Eccleſiam, ibi ſub Infidelium dominio jamdiù ſylveſcentem, pluribus etiam oppleret erroribus, flatuq; peſtifero penitùs areſaceret. Hoc ergo malum ut ſacrilegus Patriarcha Paganorum viribus, ac fœdiori exequeretur injuria, accepto è Ducibus Sarracenorum mandato, prædatorium coegit Conciliabulum in Urbe Manaſchierti: ubi cum Aſſyriis Epiſcopis conjurare faciens in propriam perniciem Armenos, ne dum pri-

Sexta Synod9 Generalis damnat hæreſin Monothelytarum.

in quo Armenii, ab Assyriis seducti, redeunt ad priores errores.

Provinciæ; ubi cum venientibus cum Armenis sex Assyriis Episcopis, definita fuit in Christo una natura, una voluntas & una operatio; fueruntque à sacris ablata Mysteriis fermentum, & aqua; canoneq; statutum est, non esse amplius in Sacrificiis aquam vino miscendam & postquam Armenii Assyriorum voluntati obsequuti fuere, in suum unius cujusque locum reversi sunt. Patriarcha iste decrevit, in sabbatis quadragesimæ jejunium esse frangendum, quemadmodum in Dominicis; & Feria quinta Majoris hebdomadis non distribuendam esse populo sacram Communionem; eo quod Dominus non fuerat tunc crucifixus, neq; sepultus, neque à mortuis exuscitatus. Præterea statuit, pisces, oleum & vinum esse in eodem ordine computanda tempore jejunii cum lacte, & ovis; ac denique Armenios, & Assyrios nunquam ab invicem separandos.

à Joanne Ozniensi Patriarcha interdicitur mistio aquæ in sacris mysteriis.

ANNOTATIO.

JOannes Ozniensis, Armeniæ Pseudopatriarcha, & Doctor insipientissimus, cujus hæreticæ propositiones in secunda parte confutabuntur, decoloratione, macieque vultus innata

innata, & vaferrimæ hyprocriſis artificio [ut Armenorum Catholicorum traditione accipitur] præferebat cunctis ſpeciem auſteri viri, jejuniis, carnisq; macerationi addicti; quapropter tantam adeptus fuerat apud omnes famam ſanctitatis adeoq; populum illum dolosis verbis dementaverat; ut, quamvis Armenam Eccleſiam iniquiſſimis legibus, decretisque ad ultimam penè ruinam perduxerit, & è qua illa erroneis ejus, ipſiusq; ſectatorum ſcriptis obfirmata, nunquam deinceps emergere valuit, illud tamen usq; in hanc diem perſeveret in vulgi fœce delirium, quo plerique ejuſdem Eccleſiæ reparatorem, ac ſecundum illuminatorum eum nominare minime vereantur. *Oznienſis hypocrita in ultimum diſcrimen adducit Arm. Eccleſiam.*

Circa tempora itaq; ſextæ Synodi Generalis, quæ Conſtantinopoli ad hæreſin Monothelytarum profligandam celebrata fuerat anno Redemptionis 680. dum ſub duriſſimo adhuc Sarracenorum jugo gemebat Armenia, pænas luens Manichæz, de qua ſupra loquuti ſumus, impietatis; prodiit in ea peſtilens Coluber iſte, Oznienſis inquam, Serpentinus latinè interpretatus, ut Eccleſiam, ibi ſub Infidelium dominio jamdiù ſylveſcentem, pluribus etiam oppleret erroribus, flatuq; peſtifero penitùs areſaceret. Hoc ergo malum ut ſacrilegus Patriarcha Paganorum viribus, ac fœdiori exequeretur injuria, accepto è Ducibus Sarracenorum mandato, prædatorium coegit Conciliabulum in Urbe Manaſchierti: ubi cum Aſſyriis Epiſcopis conjurare faciens in propriam perniciem Armenos, ne dum pri- *Sexta Synod⁹ Generalis damnat hæreſin Monothelytarum.*

Errorē unius voluntatis in Christo noviter amplectuntur Armeni.

ſtinam Acephalorum hæreſim unius inChriſto naturæ de integro confirmavit; verùm etiam tunc imminentem Monothelitarum unius voluntatis,& operationis,in ſacra illa,& œcumenica ſexta Synodo damnatam, in ſuam recens nationem invexit. Et quamvis eadem ArmeniorumEccleſia nonnullis etiam tum vitiaretur abuſibus; utpote quæ ad Sacerdotium non admitteret, niſi eos ſolummodò, qui ex ſacerdotali genere orti eſſent; quadrageſimæ tempore diebus Dominicis caſeum, & ova comederet; atque more Judaico carnes intra Altare aſſaret, & populo comedendas diſtribueret: non ceſſans tamen Oznienſis aliis eam erroneis ritibus depravare, decrevit inſuper, ut vino tantum in ſacroſancto incruento Sacrificio uteretur, nulla admiſta aqua; ut populus feria quinta in cœna Domini non communicaret; & in Quadrageſima non ſolùm Dominicis, ſed Sabbati quoque diebus jejunium frangeret. Ut verò ſuam magis cohoneſtaret hypocriſin; atque dictas ſanctiones, aliosque perniciales abuſus reformatæ arctiorisque diſciplinæ prætextu ſuaderet; injunxit ultro Armenis, ut in ipſorum jejuniis, quæ quidem creberrima ſunt, adhuc à piſcib9, oleo & vino abſtinuerint; quod illi hucusq; in violabili lege obſervant. Hæc planè ita ſe in Armenia tunc habuiſſe indicant tum ſuprapoſitæ hiſtoriæ verba, tum ſubſequentes ipſius ſexta Synodi pro Armenis ſanciti Canones.

Abuſus Eccleſia Armena.

Canones pro Armenis ſanciti à Synodo Quiniſexta.

Canon 32.

QUoniam ad noſtram cognitionem pervenit, quod in Armeniorum Regione vi-

num tantum in ſacra Menſa offerunt, aquam illi non miſcentes, qui incruentum ſacrificium peragunt: adducentes Eccleſiæ Doctorem Joannem Chryſoſtomum, hæc dicentem in Interpretatione Evangelii ſecundum Matthæum: Quamobrem non aquam bibit, cum ſurrexit ſed vinum: improbam aliam hæreſim radicitus extirpans. Quoniam enim nonnulli aqua in Myſteriis uſi ſunt; oſtendens quod & quando Myſteria tradidit, & quando, poſtquam reſurrexiſſet, abſq; Myſteriis ſolam, ac nudam menſam appoſuit, uſus eſt, inquit, vino ex germine vitis; vitis auté vinum, non aquá generat.] Et ex eo aquæ in ſ. Sacrificio adjunctionem Doctorem ſubvertere, exiſtimant. Ut non ab hoc tempore in poſterum ignorantia teneantur Patris ſententiam orthodoxè aperimus. Cum enim improba Hydroparaſtatarum, hoc eſt, eorum, qui aquæ defenſionem ſuſcipiebant, antiqua eſſet hæreſis, qui pro vino ſola aqua in proprio Sacrificio uſi ſunt: refellens hic vir divinus iniquam ejuſdem hæreſis ſucceſſionem, & oſtendens, quod directè Apoſtolicæ traditioni adverſatur, id, quod jam dictum eſt, confirmavit. Quoniam autem & ſuæ Eccleſiæ, ubi eſt illi paſtoralis adminiſtratio tradita, aquam vino miſcendam tradidit, quando incruentum peragi ſacrificium oportet; ex pretioſo noſtri Redemptoris latere ex ſanguine & aqua cõtemplationẽ oſtendẽs quæ in toti' mundi vivificationẽ effuſa eſt, & in omni etiã Eccleſia, ubi ſpiritalia lumina refulſerũt, hic ordo divinitùs tradit' ſervatur; nam & Jacobus, Chriſti Dni. noſtri ſecundum carnẽ

Chriſoſt in c. 26. Matth.

Jacob' Apoſtol'

& Basilius in suis Liturgiis. Frater, cui Hierosolymitanæ Ecclesiæ Archiepiscopus, cujus gloria omnem terrarum Orbem pervasit, mystico nobis in scriptis tradito sacrificio, ita tradendum in sacro ministerio ex aqua, & vino sacrum calicem, ediderunt; *Synod. Carthaginens. 3. Can. 24.* & qui Carthagine convenerunt sancti Patres, adeò aperté & præcisè mentionem fecere, ut in sanctis nihil plus, quam corpus, & sanguis Domini offeratur, ut ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, & vinum aqua mistum. Si quis ergo Episcopus, vel Presbyter, non secundum traditum ab Apostolis ordinem facit, nec aquam vino miscens, sic immaculatum offert Sacrificium; deponatur, ut imperfectè ac simpliciter mysterium annuncians; & quæ tradita sunt, innovans.

Canon 33.

QUoniam cognovimus in Armeniorum Regione eos solum in cleri ordinem referri, qui sunt ex genere Sacerdotali; iis, qui hoc facere aggrediuntur, mores Judaicos sequentibus: nonnullos autem eorum, etiam non tonsos, sacros cantores, & divinæ legis lectores constitui: decernimus, ut deinceps non liceat iis, qui volunt aliquos ad Clerum adducere, ad ejus, cui manus imponitur, genus respicere; sed examinantes, an digni sint, juxta exposita in sacris Canonibus decreta, in Cleri catalogum referri; ut eos Ecclesiasticè promoveant, sive sint ex majoribus suis Sacerdotibus, sive non. Sed etiam, ut nulli ex omnibus permittant, juxta ordinem eorum, qui

qui ſunt in Clericorum ordinem relati, populo in ſuggeſtu divinas ſcripturas recitare, niſi is Sacerdotali tonſura uſus fuerit, & benedictionem à ſuo paſtore canonicè ſuſceperit. Si quis autem præter hæc facere deprehenſus fuerit, ſegregetur.

Canon 56.

SImiliter accepimus, & in Armeniorum Regione, & in aliis locis, in ſabbatis, & Dominicis ſanctæ Quadrageſimæ quosdam ova, & caſeum comedere. Viſum eſt ergo & hoc, ut omnis Dei Eccleſia, quæ eſt in univerſo terrarum orbe, unum ordinem ſequens, jejunium perficiat; & abſtineat, ſicut ab omni mactabili, ſic ab ovis & caſeo, quæ quidem ſunt fructus & fœtus eorum, à quibus abſtinemus. Qui autem hoc non ſervaverint, ſi ſint quidem Clerci, deponantur; ſin autem Laici, ſegregentur.

Canon 99.

POrrò hoc quoq; in Armeniorum Regione fieri didicimus, quod quidam intus in ſacris Altaribus carnium membra coquẽtes, fruſtra offerunt Sacerdotibus Judaicè diſtribuentes. Quocirca Eccleſiam immaculatam ſervantes, ſtatuimus, nulli licere Sacerdoti, ſeparata carnium membra ab offerentibus accipere; ſed iis ſint contenti, quæ offerenti viſa fuerint, ejuſmodi oblatione facta extra Eccleſiam. Si quis autem hoc non fecerit, ſegregetur.]

Hi

Hi Canones, ad tollendos Armenos abusus, à sexta Synodo Trullana, seu ut magis propriè loquar, à Quinisexta sanciti sunt: qui tamen apud illam Ecclesiam, à perverso tunc Patriarcha seductam, nihil ponderis eo tempore habuerunt. Undè irreparabilis ejusdem Ecclesiæ casus deploratus fuit amarissimo animo à celebri Doctore illo Armeno, Moyse nuncupato, cujus meminit ipsorum Mænologium die 15. Novembris: ibiq; memorata ejus verba sunt hæc.

Moyses Doctor Armen' deplorat statum suæ Regionis.

Defleo te Armeniorum Regio; defleo te universa Septentrionis ora; quia ablatus est à te Rex, & Sacerdos, Consiliarius, & Magister: recessit pax, & accessit confusiò; corruit orthodoxa fides, & grassata est hæresis cum inscitia. Lugeo vos Armeniarum Ecclesias, despoliatas specie ornamenti Altaris, strenuis privatas Ducibus, ac Pastoribus. Et post alia iterum: Exsurge Jeremia, exsurge, & prophetico spiritu deplora nostras præsentes miserias, nec non etiam & futuras. Vaticinare facinora Pastorum insipientium, ut quondam Zacharias in Israël. Episcopi nostri ignavi, seipsos, & gloriam suam amantes, nec à Deo vocati, argento electi, & non spiritu; invidi, mansuetudinem, in qua Deus inhabitat, deponentes; quiq; in lupos conversi dilaniant greges suos. Monachi hypocritæ, semetipsos exaltantes, gloriæ cupidi, superbi, calumniatores, pigri, artium scientiarumq; osores. Hactenus ille. Et hæc satis de statu Eccelesiæ Armenæ tempore, quo illius gubernacula à Joañe

Ozni-

Oznienſi præpoſterè tractabantur. Quomodò autem ſatannicum ejus conventiculum Manaſchiertenſe fuerit poſtea à pluribus Orthodoxis Armeniæ Patribus & Conciliis execrationi ſubjectum, ſuis dicetur in locis. Interim, dum Armenia poſterioribus annis magis, ac magis in ſuis obfirmaretur erroribus, non intermittebat, Deum iratum, ſuæque obſtinatæ pervicaciæ juſtum vindicem experiri. Turcæ enim è Portis Caſpiis egreſſi anno Chriſti 763. improviſò in illam irruperunt Provinciam; quam & anno ſequente iterum invaſerunt, ac immaniter populati ſunt; de quibus irruptionibus agit Theophanes, Græcorum Hiſtoricus.

Turcæ è portis Caſpiis irrumpunt in Arm.

Theoph. apud Baron. t. 9. an. 763.

Ex Armena Hiſtoria,

CAPUT XVIII.

Dominus David Guotainus ex Oppido Atamæ, annos 13. XXXV.

Dn. Tiridates Taſnavorenſis, años 23. XXXVI.

alter Dn. Tiridates Taſnavorenſis an. 3. XXXVII.

Dominus Syon Aracazuotanus ex oppido Peſnouoiz annos 8. XXXVIII

Dominus Iſaias Necainus. annos 13. XXXIX.

Dominus Stephanus Thevinenſis, años. XL.

Dn. Joab Uſtanus ex Gurobalato, annos. XLI.

Dominus Salomon Charnenſis, annos. XLII.

Dn. Georgius Aracazuotanus ex oppido Oſciachani, annos 3. XLIII.

Dominus Joſeph Aracazuotanus ex Urbe Metropolitana ſancti Gregorii, annos 11. XLIV.

Dn.

XLV. Dn. David Masassinus ex Oppido Acoghiz, annos 27.

XLVI. Dn. Joannes Khadanus ex Oppido Vecaiz, annos 22.

XLVII. Dn. Zacharias Guotainus ex Oppido Zachæ, annos 22. Ad hunc egregiam, diversisq; testimoniis refertam, de festo Dominicæ Nativitatis Epistolam misit Joannes Niceæ Episcopus.

XLVIII. Dn. Georgius Charnensis annos 22. Hujus ætate Asciut Pacratidem, Abasi Pacratidis, exercitus Armeni Ducis Generalis, filium, instituerunt Regem Armeniæ, qui Regnum jam pridem collapsum in integrum restituit.

XLIX. Dn. Masctuoz, vir Dei, annum 1.

L. Dn. Theodorus, annos 2.

LI. Dn. Joannes, annos 7.

LII. Dn. Eliseus, quem recipere noluerunt; sedit tamen sic dubius annos 7.

LIII. Dn. Ananias, annos 22.

LIV. Dn. Vahanus Vasburachensis, annos. Hoc tempore scissa fuit sedes Armeni Patriarchatus: siquidem existebat nunc magnus ac acerrimus ille Armeniorum Doctor Gregorius Narachensis, qui verbis scriptisq; Thevinense, & Manaschiertense Concilia execratus

Schisma ortum in Armeniorum Patriarchatu

tus fuerat, atque animo, & opere cum ſancta univerſali Eccleſia concors, unius ~~erat~~ conſilii cum Vahano Vasburachenſi,& uterq; Eccleſiæ Romanæ obediens. Itaq; Vahanus, poſtquam Patriarchatum obtinuerat,tum quia in ſacrum Eccleſiæ altare ſanctorum imagines introduxerat, tum quia de ipſo ſuspicio profeſſionis Chalcedonenſis Concilii habebatur, fugitivus effectus eſt; & in ſuam Vasburachenſem Provinciam ſe recipiens, ibi adminiſtrationem ſui muneris exercebat; ipſius autem loco Dominum Stephanum Anienſem in Patriarchali ſede conſtituerat.

Vahanus Patriarcha catholicus.

Dominus Stephanus Anienſis, annum 1. LV.

Dominus Khaccih, qui rexit Armenam Eccleſiam anno * Armeniorum 420. vixitq; in ejus regimine años 20. LVI.

* *Hoc eſt anno ſalutis* 971.

ANNOTATIO.

Quando in Armenia hæreſes,ut cum maximé graſſabantur, abundabatq; ſummoperè malitia, ibidem, ſuperabundante gratia, clariſſimi hoc eodem tempore floruere viri, inter quos,orthodoxæ fidei præcones, virtutibus omnibus opulenti, præ aliis præ-

XLV. Dn. David Masassinus ex Oppido Acoghiz, annos 27.

XLVI. Dn. Joannes Khadanus ex Oppido Vecaiz, annos 22.

XLVII. Dn. Zacharias Guotainus ex Oppido Zachæ, annos 22. Ad hunc egregiam, diversisq; testimoniis refertam, de festo Dominicæ Nativitatis Epistolam misit Joannes Niceæ Episcopus.

XLVIII. Dn. Georgius Charnensis annos 22. Hujus ætate Asciut Pacratidem, Abasi Pacratidis, exercitus Armeni Ducis Generalis, filium, instituerunt Regem Armeniæ, qui Regnum jam pridem collapsum in integrum restituit.

XLIX. Dn. Masctuoz, vir Dei, annum 1.

L. Dn. Theodorus, annos 2.

LI. Dn. Joannes, annos 7.

LII. Dn. Eliseus, quem recipere noluerunt; sedit tamen sic dubius annos 7.

LIII. Dn. Ananias, annos 22.

LIV. Dn. Vahanus Vasburachensis, annos. Hoc tempore scissa fuit sedes Armeni Patriarchatus: siquidem existebat nunc magnus ac acerrimus ille Armeniorum Doctor Gregorius Narachensis, qui verbis scriptisq; Thevinense, & Manaschiertense Concilia execratus

Schisma ortum in Armeniorum Patriarchatu

tus fuerat, atque animo, & opere cum ſancta universali Eccleſia concors, unius ~~erat~~ conſilii cum Vahano Vasburachenſi, & uterq; Eccleſiæ Romanæ obediens. Itaq; Vahanus, poſtquam Patriarchatum obtinuerat, tum quia in ſacrum Eccleſiæ altare ſanctorum imagines introduxerat, tum quia de ipſo ſuspicio profeſſionis Chalcedonenſis Concilii habebatur, fugitivus effectus eſt; & in ſuam Vasburachenſem Provinciam ſe recipiens, ibi adminiſtrationem ſui muneris exercebat; ipſius autem loco Dominum Stephanum Anienſem in Patriarchali ſede conſtituerat.

Vahanus Patriarcha catholicus.

Dominus Stephanus Anienſis, annum 1. LV.

Dominus Khaccih, qui rexit Armenam Eccleſiam anno * Armeniorum 420. vixitq; in ejus regimine años 20. LVI.

* *Hoc eſt anno ſalutis* 971.

ANNOTATIO.

Quandò in Armenia hæreſes, ut cum maximé graſſabantur, abundabatq; ſummoperè malitia, ibidem, ſuperabundante gratia, clariſſimi hoc eodem tempore floruere viri, inter quos, orthodoxæ fidei præcones, virtutibus omnibus opulenti, præ aliis præ-

præfulserunt Basilio, & Constantino Imperantibus, tum Vahanus Patriarcha, qui pro ejusdem fidei defensione sævissimas hæreticorum insectationes & odia subiit; tum Gregorius Narrachensis Episcopus, cujus Armeni perpetuam celebrant memoriam in sua liturgia, ejusque pulcherrimum venerantur sacrarum precum Opusculum. Hi igitur ambo, religione, atq; animo conjunctissimi, perversa majorum suorum Conciliabula Thevinense, & Manaschiertense detestantes, in Armenæ fidei correctionem, & concordiam cum universali Ecclesia pro viribus incubuere, quocirca plurimùm in aliis etiam Armeniorum codicibus commendantur; & Prior quidem à toto laudatus fuit Tarsensi Concilio, in cujus actibus hæc ab Armenis Patribus memoriæ prodita inveniuntur: Vahanus Patriarcha tempore Basilii, & Constantini Imperatorum Ecclesiæ unionem componere satagebat, nec tamen pium illius desiderium valuit ulteriùs progredi. Posterior vero celebratur á Niersese, Lampronensi Episcopo, qui in Oratione ad Patres ejusdem Concilii sic fatur: Vbi relinquemus Concordiam Papchenis Patriarchæ cum Ecclesia magna Græcorum; nec non ejusdem Successorum & Regum, & Doctorum, ex quibus unus erat gratiæ divinæ opus, ac pluribus excelsior, Angelus in corpore, Gregorius Narachensis?

Gregor. Episcop. Arm. Cathol.

Concil. Tars. Arm. in Resp. ad 9. petitionem Græcorum.

Piissimis horum Virorum laboribus, in Armeniorum hæresibus exterminandis, & Catholica fide in eos introducenda perfunctis, suam

ſuam quoq; & maximam certè operam adjunxit ſanctiſſimus Monachus ille, Nicon Armenus, Provinciarum illarum Apoſtolus; cujus nomen die 26. Novembris à Græcis in Mænologio, & à Latinis in Romano Martyrólogio inter ſanctos relatum habetur, annis ſingulis in Eccleſia publicé recolendum. Ejus verò res præclarè geſtas, Græcè conſcriptas, atq ex Sfortiana Bibliotheca acceptas, Jacobus Sirmundus Arvernus Ricomagenſis in Latinum convertit; ex quo Baronius, ſancti hujus agendi primordia in Armenis Regionibus cœpta, colligens, ac ſummatis perſtringens, in hæc retulit verba. *S. Nicon Armenus.* *Baron. tom. 10 an. 163*

Ortus Nicon in Ponto Polemoniaco parentibus honeſtiſſimis, iiſdem inſciis, ubi adolevit, fugam arripiens, ad Monaſterium Aureæ petræ dictum, ſitum in finibus Ponti & Paphlagoniæ, religione ſanctiſſimum, ſeſe contulit; ibiq; ſub ejus Monaſterii Abbate, viro religioſiſſimo, ad duodecimũ añum monaſticam vitam omnibus numeris perfectionis excoluit. Cum verò divinitùs eſſet admonitus ejus Abbas, ipſum ad plurimarum gentium converſionem vocatum, è monaſterio abire cogit ad Apoſtolatus ſui munus implendum: ut planè de eo illud Joannis elogium haud incongruè uſurpare poſſit: Fuit homo miſſus à Deo quippe qui ut alter Joannes, Vox clamãtis in deſerto, & illud ubiq; jugiter inclamantis: Pœnitentiam agite; ab iiſdem vocibus cognomentum acceperit, ut dictus ſit μετανοεῖτε, id eſt, pœnitentiam agite. Qui pri- *Joan. 1.*

mùm

rũm Orientis ubi peragrasset Regiones, Apostolatus sui primitias, in conversione Armenorum ab innumeris, quibus detinebantur, erroribus, Deo dicitur consecrasse. Ista tamen ab Auctore non recensentur; eò, quòd ipse res ab eo gestas in Græcia tantùm ubi & defunctus est, ut sibi notiores, scribendas suscepit. Vbi verò Dei omnipotentis misericordiâ Creta Insula est recuperata â Christianis; ad ejus culturam idem Nicon ab Oriente evocatus à Deo mittitur, &c.] Hæc Baronius, qui ulteriùs enarrare prosequitur, quanta idem S. Nicon miracula, & in Creta insula, & per universam Græciam, pœnitentiam prædicando, operatus sit, atque uberes fructus ex ejus prædicatione collectos. Cujusmodi autem eo tempore fuerint Armeniorum errores, quorum magna saltem ex parte S. Nicon eas Provincias, ad summum tunc impietatis culmen evectas, expurgavit, idem sanctus copiosa narratione exponit: cujus verba in Bibliotheca veterum Patrum talia sunt.

Errores Armeniorum prisci temporis. Vide in Bibliotheca Margar. t. 3.

Quæ ab Armenis præter rationem fiunt, & creduntur, hæc sunt: Dicunt, divinam naturam esse patibilem, & in Arphtardocitarum hæresin inducti, Trinitatem passam dicunt. Hoc autem etsi non audent apertè dicere; iis tamen, quæ faciunt, hoc declarant. Tres enim cruces conjungentes, & uni ligno tanquam jugo affigentes, nominant hoc, *Sancta Trinitas.* Adjiciunt autem sancto, atq; adeò sanctissimo hymno illud; qui crucifixus es pro nobis; Petri fullonis rabiem sequentes; & nobis

bis quidem afferunt, se de Filio hoc adjicere; ipsi autem, Deum esse patibilem, apertè sentiunt.

Existimant quoque, Spiritum sanctum esse Patre, & Filio minorem; undè & paulò ante dictarum crucium mediam minorem statuunt, in spiritus typum hanc esse revelantes. Iidem & duarum Christi naturarum unione, confusionem decernunt; & in sanctum calicem aquam non immittunt: & quinto die mensis Januarii vespere festum Evangelismi celebrant, tum aliam quoq; hujus festi consequentiam facientes, tum etiam conveniens Evangelium legentes: manè autem Christi Natalem celebrant, & in divino Sacrificio sancta Theophania. An autem eo Evangelismi die venerabilissimum Salvatoris nostri Natalem fuisse existimantes hoc festum celebrent, incertum. Manifestum autem est, quòd non sicut nos; carnem *Domini* in Dei Matris utero formatam esse existimant. Quomodo autem fieri posset, ut infans uno die perfectus, completusq; nasceretur? Et innarrabiles absurditates ex eo deducuntur. Sin autem existimant, post duodecim menses, anno in eundem diem reverso, editum esse partum: non tam magis humanam nativitatem, quàm ab Equis, & Asinis similem introducunt: hæc enim animalia post annum pariunt. In festo autem sanctorum Theophaniorum non oratione, non Evangelio, non hymno, non aliarum scripturarum lectione utuntur: sed crucem tantum in aquam immergentes, hoc sibi suffi-

cere existimant. Circumcisionem autem octo diebus post Theophaniam celebrantes, falluntur; nescientes, quod priùs circumcisus, deinde baptizatus est.

Deinde cum Magnus Gregorius qui fuit magnæ Armeniæ Episcopus à nullo esse alio ordinandum, quam ab illius temporis Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopo, ubi ipse quoque ordinatus est; & horrendæ execrationes, & anathema in eos sit intentatum, qui aliter faciunt; hæc quidem illi transgrediuntur; à Syriæ autem Amerano universalis eorum Episcopus ordinatur. Si autem negant, Magnum Gregorium hæc constituisse, ostendant nobis ejus ad filios constitutiones, & os eis obturabitur. Quando enim universalis eorum Episcopus non ordinatur ex Canonibus; quomodo qui ab eo ordinantur, fide digni habebuntur.

Porrò autem à Sacris quoque Evangeliis abstulerunt vocem, quæ dicit: Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis in terram descendentis: hoc esse imbecillitatis existimantes, non divinæ Majestatis. Sed etiam historiam, quæ nos docet, quod mulier ad Jesum tanquam adultera adducta est; cum is autem dixisset: Qui non peccavit, lapidem in eam projiciat, recesserunt omnes; nec à Christo condemnata est: rejiciunt; hanc auditionem multis esse perniciosam dicentes.

Comedunt autem & in Sabbatis, & in Dominicis sanctæ Quadragesimæ ova, caseum, & butyrum; & inprimis eorum universalis Episcopus

ſcopus; & eſt apud eos Canon, qui dicit: Si quis butyrum, caſeum & ovum, vino & oleo non æquivalere exiſtimet, ſit anathema. Septima quoque Τῆς Τυροφαγου carne veſcuntur; jejunantes ſeptimana, quæ eſt ante ἀπόκρεων intenſis jejuniis, præter panem, & aquam nihil aliud guſtantes. Vocant autem hanc ſeptimanam Artziburtia: *neſciunt tamen, quid ſibi velit vis hujus nominis. Sed nonnulli quidem dicunt, fuiſſe hoc cujusdam Sergii jejunium; nonnulli verò Adami, quando ex Paradiſo deliciarum ejectus eſt. Et hinc ſine ratione jejunare convincuntur. Quidam autem dicunt, & videtur verum eſſe, quod ab eis dicitur, fuiſſe quendam apud eos Epiſcopum, qui utebatur Catulo, cui erat cognomen Artziburzes, * [id autem præcurſor ſeu præceſſor Latinè appellatur] præcedebat enim Epiſcopum in Urbem, vel vicum ingreſſurum: quo mortuo ſeptem dierum jejunium ab Epiſcopo conſtitutum eſt in memoriam luctus, qui fuit propter canem.] Hoc ultimum puto accepiſſe Niconem à Græcis, infenſiſſimis Armeniorum inimicis. Proſequitur Nicon: Sacrum autem celebrantes, non ſolum capiti tegmen non detrahunt, ſed etiam capiti cucullam adjiciunt; licet divinus Paulus apertè exclamet, detectos eſſe debere in oratione. 1. Cor. 11

* Artziburtia vocabulũ à Græcis corruptum: dicitur ab Armenis Arraeciauvoraz.

* Propriè dicitur Arraecianvor

Venerabiles autem Imagines non adorant; ſed quod magis eſt, eorum univerſalis Epiſcopus cum reliquis, eos, qui adorant, anathemate percutit. Nec crucem adorant, niſi clavum in eam immiſerint, & ipſam etiam

baptizaverint; postquam autem clavo fixa, & baptizata crux fuerit, & alterum duorum lignorum divisum, & relictum fuerit, rectum scilicet, vel trans versum; id solum, quod relictum est, adorant. Sed & omnia ferè, quæ sunt abolita, legalia adhuc peragunt. Agnum enim magno Dominico sacrificant, & limina inungunt, & ejus ossa comburentes, servant cinerem cum sanguine in signum expiationis; & velum ante altare statuunt, & tintinabula ipsi & altari appendunt. Quin etiam pro mortuis ovium, & boum sacrificia peragunt, nec defunctum aliter servandum existimant, nisi tertiis & nonis, & quadragesimis ejus diebus ejusmodi sacrificia peracta fuerint. Anteq. a. hujusmodi Sacrificia peragantur, sal benedicentes, dant bestiis in nutrimentum, & super earum etiam capita dicunt quasdam orationes, & eas mactant; nominant autem hæc sacrificia Natalitia. Si qui autem aliquid horum negant, eum, qui hoc facit, anathematizant.] Hucusque S. Nicon de erroribus, quibus Armenii sui temporis detinebantur. Quosnam verò ex dictis erroribus, cæteris ejus prædicatione rejectis, illi retinuerint, constabit inferiùs. Præstitit præterea sanctitate in Regionibus illis haud multo post Niconis ætatem Macharius quidam Armenus Antiochenus Patriarcha, cujus historiam ab Auctore ejusdem seculi conscriptam, compendifaciens Surius, hoc utitur exordio: Gemma regalis, quam non artificis manus, sed omnium artifex Deus in suo reposuit diademate, Armeniæ decus,

Surius tom. 2. die 10. Aprilis.

cus, parentum gloria, beatus puer Macharius, nobilissimo apud Armenos stemmate ortus est; quippe cujus Majoris omnes ab omni hominum memoria præcipua fuere nobilitate; nec inter eos facile quispiam degener repertus est. Parentes habuit Michaelem, & Mariam multa quidem generis claritudine insignes, sed quibus non minus splendoris, & ornamenti accesserit ab optimis moribus nati ex ipsis filii clarissimi.

Tum enarrare prosequitur quomodo in pietate, ac scientiis educatus idem beatissimus puer Macharius ab Antiochenæ sedis Antistite, seniori Machario, ipsi electione totius Cleri, & populi eadem in Sede successerit: qui deinde, post multa in cura pastorali egregiè præstita, atq; miracula edita, peregrinaturus Hierosolimam, se abdicavit Patriarchatu, & Eleutherio viro probitate spectabili, reliquit Ecclesiam. Veniens Hierosolymam, permulta ibi ab Infidelibus patitur, detrususque in carcerem, ac divinitùs liberatus, nonnullos ex iis ad fidem convertit. Cum autem Hierosolymæ famâ celebris evasisset ignotus latere cupiens, migrat in Occidentem, borealesque lustrat Ecclesias. Deniq́ue redditus jam virtute miraculorum ubique conspicuus, dum in monasterio sancti Bavonis in Flandria subsisteret, ibidem 4. idus Aprilis, anno salutis, 1012 sancto fine quievit.

Itidem anno Christi 1016. alius moritur vir Armenus, sanctitate insignis, nomine Simeon, de cujus vita sermo apud Baronium te- *Baron. t. 11. an. 1016.*

xitur ab auctore, quem, & si nomine incognitum eodem tamen vixisse tempore, certum est. Quæ igitur tum ex dicto Auctore, tum ex Baronio de hoc referuntur sancto, sic breviter accipe: vitam anachoreticam exercuit Simeon in Palæstina: unde divino monitu in occidentem se transferens visitaturus Sanctorum memorias, peregrino venit habitu Romam, Benedicto Octavo, Summo Pontifice. Cum multa hic Sanctorum corpora circumeundo visitaret; tandem ad Oratorium sancti Joannis Baptistæ Lateranensis Ecclesiæ applicuit, ubi Benedictum Pontificem cum multis religiosis Episcopis in congregata Synodo residentem invenit. Dum hoc in loco devotæ orationis moram, ut ei semper consuetudo fuerat, diu in longum protraheret; unus ex Clero, Simeonem virum Sanctum, & Catholicum, Armenum esse advertens, percitus, ut præ se ferebat, catholicæ fidei Zelo, omnibus in Synodo residentibus ore polluto hæreticum infamuit: & ut eum morti traderet, atque ad id etiam Populum concitaret, talibus adversus virum Dei verbis oblatrabat; Nonne, inquit, omnes videtis, in visu, & in incessu, & totius corporis gestu, hominem hunc pravum, & impostorem hæreticè agere? Insurgamus ergo in eum, & ut cæteri contremiscant, aut lapidibus obruamus, aut vivum igne comburamus.

Ne mireris lector; nam ob diuturnum tempus, quo Manichæi, ut supra diximus, incoluerunt Armeniam, & alii Hæretici eandem Provinciam pluribus erroribus infecerunt, fa-

factum fuit, ut Armenum nomen ab Occidentalibus malè audiret, utpote hæresum plurimarum erroribus infamatum; & novisse quempiam Armenum dici, detexisse hæreticum esset: accedebat præterea, quòd his quoq; temporibus alii in Occidente deprehensi Manichæi fuissent, & igni traditi; quod enim esse cunsueverit, in eis affectata sanctitas, ne impii detegerentur, planè evenit, ut ex iisdem notis magis solerent inquiri. Nam accidit, quod de suis temporibus conquerens, ita narrat S. Hieronymus ad Eustochium scribens: Quam, inquit, viderint pallentem, atque tristem, miseram ac Manichæam vocant; adeò ut ex iis notis viri etiam sanctissimi infamarentur. *S. Hieronym⁹ epist. 22*

Mirum ergo non est, quòd Clericus nequitiæ, ac superbiæ furore plenus in Armenum inveheretur; cujus quoq; flagitio plures adjuncti fuerant, unanimiter conspirantes: qui instigante diabolo, virum sanctum, ac pium toto conamine moliebantur occidere. Qua de re Romanus Pontifex cum universo Episcoporum collegio turbabatur, & quibus indiciis hoc veré potuisset cognosci, sciscitabatur. Aderat tunc ibi religiosus, ac reverendus Episcopus, qui ab Armeniæ finibus peregrè Romam venerat, atque consilio, & sapientia præditus, reverentia sanctitatis habebatur egregius. Hic Dominum Papam humiliter adiens, dulcissimis illum verbis exhortabatur, dicens: Tua, Beate Pater, jubente auctotitate, furor populi conquiescat; & quis vir ille sit,

vel cujus professionis, seu qualiter catholicam fidem excolat me percontante, tua paternitas recognoscet. Cujus sapienti consilio credidit venerabilis Papa, eoq; jubente, seditio populi conquievit.

Tum verò supra memoratus Episcopus virum Dei Simeonem aggreditur, & Armenica lingua ita eum alloquitur: Quis es? unde es? dic ergo frater Monache; & si Catholicæ fidei cultum tenes, per me his omnibus innotescat. Ad hanc vocem Simeon, qui Deo plenus erat, nusquam verò sapientia vacuus, denuò quoq; interroganti prudenter respondens, Catholicæ & Apostolicæ fidei perfectionem ita confitendo perdocuit, qualiter per universum Orbem Apostolorum Symbolum, in Nicæna Synodo peroratum clara voce personuit. Quod cùm peregrinus Episcopus audisset, Dei scilicet famulum fide & sanctitate plenum veraciter esse, magno repletus gaudio pro reverentia sanctitatis, ejus pedibus se prostravit humilitatis obsequio: his signis ostendere Populo volens, quàm enormiter peccassent, eum crimine hæresis infamando.

Postquam igitur plura inter se Armenico idiomate contulerunt ad invicem, ad extremum Episcopo totum de servo Dei, quod quærebat, innotuit: quod protinus Papæ, ac omnibus, qui aderant, Simeonem scilicet veræ fidei esse professorem, sanctum, justum, & æternæ Trinitatis cultorem, Palam declaravit. Sed quia Deus omnipotens Deus ultionum Dominus est, Clericum, qui ad necandum ser-

vum Christi Populum concitaverat, non reliquit impunitum; eum quippe eadem horâ spiritus malignus arripiens, pro illata Simeoni injuria diutissimè volutando vexavit. Videntes autem Romanus Pontifex, ac totus Clerus, universusq; populus tanta Dei magnalia, elevatis in Cœlum manibus simul cum clamoribus, Omnipotenti Deo laudes, & gratias referebant.

Tunc cernens Simeon pervasum Clericum ab ultore spiritu crudeliter tormentari, memor Evangelici dicti: Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui oderunt vos; & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos; compatitur miserrimo: & elevata super eum manu signum crucis, increpando dæmonem edidit. Moxque malignus spiritus, per os vexati turpiter exclamans, ululando evanuit. Eadem vero hora liberatus Clericus, pedibus viri Dei Simeonis provolutus corruit, ac ingenti gemitu proclamans, se reũ, culpabilemq; multum accusans, de patrato scelere veniam postulavit. *Matth. 5.*

Simeon interim, cum ab ipso summo Pontifice honorificè exciperetur, & sparsa de ejus sanctitate famâ, plurimi ad eum convenirent, iidemq; curarentur; cum nimio populi totius plausu coleretur ab omnibus, ab Urbe discessit, & peragrans Italiæ, Galliæ & Hispaniæ regiones, visitans loca sancta, demum Mantuæ substitit; ubi à Bonifacio Duce, & Richelda ejus conjuge dignè habitus, diem clausit extremum 7. Kalendas Augusti, prædicto Domini-

cæ

cæ Incarnationis anno 1016. à Deo tum vivens, tum mortuus multis miraculis illustratus. Hoc totum de Simeone Armeno ex memorato Auctore refert Baronius.

Ex Armena Historia.
CAPUT XIX.

LVII. DOminus Sergius, anno 24. qui obiit anno* Armeniorum 464.

*hoc est Anno Christi 1015.

LVIII. Dominus Petrus, prædicti Khaccichi frater, annos 40. Hunc, tametsi innocentem, in exilium pepulere; & in Sede Patriarchali collocarũt Dioscorum, Præfectum celebris monasterii Sanahni: quo deinde ex Albanensium Patriarcha die Dominicæ Epiphaniæ de eadem Sede ejecto, Dominus Petrus suo iterũm loco, orto schismate, restitutus fuit. Hujus tempore Ani civitas à Turcis capta est.

LIX. Dominus Khaccich, filius sororis Domini Petri, annos 6. Post hujus obitum Armena Cathedra vacavit años quatuor. Quippe cum Sebastiam Cappadociæ translata fuisset, Græci creationem Armeni Patriarchæ impedierũt: quousq; Maria, Caghici Regis filia, efficacissimis precibus exitum hujus rei

ex

ex Græcorum Imperatore obtinuit. Is ergo misit

LX. Dominum Gregorium, Gregorii Machistruos filium; honorifica paternæ dŏmus amplitudine posthabita, se in humili monasticæ vitæ statu collocarat, & invitus Patriarchatus administrationem suscepit anõ * Armeniorum 514. fuitq; cognominatus Vecajaser. Abiit deinde Constantinopolim, ac plures Sanctorum Martyrum hystorias ex Græco & Syriaco in nostrum idioma convertit; vixitq; in Patriarchatu annos 42.

* *Hoc est, anno Christi 1065.*

ANNOTATIO.

HAc tempestate, ob infestas Sarracenorum excursiones, qui, Regno Persico jam occupato, Armeniam crebris irruptionib9 devastabant; nec non ob novos Turcarum progressus, magnum eidem Provinciæ metum incutientes, Cathedra Armeni Patriarchatus ex Urbe Vagarsciabar Majoris Armeniæ Sebastiam Cappadociæ sub Græcorum Ditionem translata fuit; Jndeque posteà Sisidem Ciliciæ, ubi ad hæc usque tempora perseverat: tametsi Armenus in Cilicia nunc residens Patriarcha, quamvis à Divo usque Gregorio, imperturbata quidem Patriarcharum Serie, verus ac legitimus ejus Successor descendat, non habeatur supremus Armeniorum

omnium

omniũ Patriarcha, qualis duntaxat esse videtur Armenis ille, qui in præfata Civitate Vagarsciabat in Ecclesia Ecmiazin olim Cathedrali sancti Gregorii jam sedem obtinet. Nam postquam Armeni amisso penitùs Principatu sub Jnfidelium jugo mancipati omnino fuere, in pacifica servitute à bellorum vexationibus liberi, semiderutam Divi Gregorii Sedem instaurarunt; atque in ea alterum denuo Patriarcham, legitimo adhuc superstite in Cilicia, collocarunt: eumque, quippe in pristino Sacrosancti Gregorii Throno constitutum, nunc uti supremum agnoscunt; sacri potius ejusdem Gregorii loci, quam legitimæ successionis rationem habentes.

Græci electionem Armeni Patriar. impediunt.

Interea Græci, cum Armenios, quorum Patriarchalem Cathedram sub ipsorummet ditionem jam translatam videbant, suis potiùs Patriarchalibus Sedibus fore subjiciendos sperarent; eorum Patriarchæ electionem quatuor jugiter annos impedierunt: quoadusque Caghicus Armenorum Regulus unà cum sua ipsius filia Maria, pretiosissimis ad hoc oblatis muneribus, ex Græcorum tandem Jmperatore impetraret, ut in locum Domini Khaccich Patriarchæ, quadriennio jam ante demortui, sufficeretur Gregorius Vecaiaser, Armenus Eremita, vir eximiæ virtutis, & Græcæ ac Syriacæ linguæ peritus; qui posteà, ut cum Catholica suam conciliaret Ecclesiam, Byzantium usque ad piissimum Jmperatorem Alexium Comnenum I. profectus est; cujus licet rei eventus impiorum hominum causâ opta-

tum deinde finem haudquaquam sortitus sit: ut colligitur ex actibus Concilii Tarsensis, ubi sic habetur; Venit etiam & Gregorius Vecaiaser ad vestram magnam Ecclesiam, & Jmperatorem Alexium; neque potuit unio conciliari.

Concil. Tars. Arm. in Resp. ad 9. prop. Graecorum.

Erat autem Gregorius ex illustrissimo veterum Armenorum Principum sanguine oriundus: etenim * multis abhinc retro seculis, quando Armenia primò à Persis eversa fuit, cum omnes illius proceres fuissent penitùs è medio sublati, unus duntaxat Princeps, Balavich nuncupatus, ab immani truculentorum inimicorum furore sese praeripuit, atq; in sylvestria secedens loca, inter Barbaros Rusticanos diù vixit ignotus. Ab eo deinde, longa generationum serie interjecta ortum duxit Vasah quidam, quem Armenii Martyrem celebrant. Huic filius erat, cúm apud Armenos, tùm apud Graecos famâ celeberrimus Princeps, nomine Gregorius, cognomine Machistruos, quem pietate, divitiis, atq; divinarum, humanarumq; litterarum eruditione mirum in modum effloruisse, ferunt. Ex hoc tandem genitus est praefatus Gregorius Patriarcha; qui postquam, sub nomine Vahrami ne dum Principatus, verùm sapientiae quoq; & pietatis paternae haereditatem assecutus fuerat: audiens illa Evangelii verba; Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me, statim mutato Vahrami nomine in Gregorium, bonis haereditariis, omnique seculi cura abjectis, ut se totum

** Ex historico Carmine Nierses Ghel. de Regibus Armenum. 580*

Jesu Christo daret, & contemplationi commodiùs vacare posset, in remotas sese contulit solitudines: undè posteà accitus ab Imperatore, atq; ab Armenis pugnaciter rogatus, Patriarchalem eorum Ecclesiæ rectionem invitus suscepit.

Legatio Arm. Patriarchæ ad Romanum Pontificem. Gregor. lib. 7. ep. 28.

Idem Patriarcha Gregorius Vecajaser año Domini 1080. legationem misit Gregorio VII. Pontifici Maximo; qua functus est Joannes Presbyter, insecutus Hæreticum quendam, ab ipso Papa Romæ damnatum: extant de his literæ ipsius Gregorii Papæ ad Episcopum Beneventanum. Cujus occasione idem Gregorius Papa, scribens ad eundem Armeniorum Antistitem Vecajaser, errores damnandos enumerat, à quibus eos præcipit abstinere; licet negaret Legatus, eos illis esse implicitos. Ea autem epistola, quam Romæ ex manuscriptis Bibliothecæ Vallicellanæ depromsimus, talis est.

Gregor. lib. 8. epist. 1. Responsio Rom. Pontificis ad Gregor. Arm. Patriarch.

Gregorius Episcopus, servus servorum Dei; Gregorio, dilecto in Christo fratri, Armeniorum Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem. Summæ Sedis specula, cui Deo Auctore licet indigni præsidemus; ac universalis Ecclesiæ solicitudo, quam ipsius disponente providentia gerimus, compellit nos, sicut de illorum, qui se à Christi Corpore separant, perditione vehementer dolere, ita quoque de eorum, qui rectè sentiunt, & unitatem fidei servare noscuntur, salutari consensu ineffabili lætitia congratulari. Proinde quoniam vestram sanctam Armeniorum Ecclesiam à

rectitu-

rectitudine fidei, quam ab Apostolis, & sanctis Patribus traditam universalis Ecclesia tenet, in quasdam pravas exorbitasse sententias, nobis relatum est; propterea paterni affectus compassione dolemus. Quorudam siquidem relatione didicimus, in celebrandis sacrificiorum salutiferis Sacramentis aquam vino penitùs apud vos non admisceri: cum nemo Christianus, qui sacra novit Evangelia, dubitet, è latere Domini aquam cum sanguine emanasse. Audivimus etiam, quod contra morem sanctæ Ecclesiæ Vestræ non ex balsamo sanctum Chrisma, sed ex Butyro conficiat; & quod Dioscorum Alexandrinum hæresiarchā, ob perfidiæ duritiem in Chalcedonensi depositum, atque privatum, veneretur & approbet. Hæc autem licet præsentium portitor, tuus Legatus, ita esse coram nobis negaverit; tamen ex fraternitate tua scire firmiùs cupientes, volumus ut per hunc eundem Joannem presbyterum & de istis rebus quid sentias, & de cæteris sicubi hæsitas, ad nos procures cum sigillo tuo rescribere: ac deinceps Dilectionis tuæ litteras ad Apostolicam Sedem frequenter dirigere. Volumus etiam Charitatem tuam Fratribus suis significare, utrùm Vestra recipiat, quod Ecclesia Universalis amplectitur, fidem scilicet quatuor Conciliorum, quæ à sanctis Patribus comprobata, à Romano Pontifice Silvestro, Leone, & aliis Apostolica sunt auctoritate firmata; inter quos nihil ominus Beatissimus Gregorius Papa, Doctor egregius, majoribus Ecclesiis Alexandriæ, Antiochenæ, aliisque in epistola sua sese eam tenere his

 verbis

verbis testatus est: Quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me, fateor; Nicenum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur; Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii & Macedonii error convincitur; Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur; Chalcedonense vero, in quo Eutychis, Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima approbatione custodio, quia in his, veluti in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit; & cujuslibet vitæ atque actionis existit; quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esset, cernitur tamen extra ædificium jacere. Quintum quoque Concilium pariter veneror; in quo epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena, reprobatur: Theodorus, personam Mediatoris Dei & hominum in duabus subsistentiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse, convincitur: Scriptura quoque Theodoriti, per quam Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata, refutatur. Cunctas verò, quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo; quas venerantur, amplector; quia dum universali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit, aut solvere, quos religant, aut ligare, quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, Anathema sit.] His itaque sanctissimi viri, præcipuique Doctoris verbis diligenter declaratis, prudentiam tuam cha-
[illegible] ritatis

Armeni S. Golg. PP. recipiunt, etsi 4 & 5 Synodum respuant.

ritatis affectu commonendam censuimus, ut clausulam, quam in illa laude subjungitis, sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, istam videlicet, qui crucifixus es pro nobis, quoniam nulla Orientalium præter vestram, sed nec sancta Romana habet Ecclesia, vos totius scandali occasionem, pravique intellectus suspicionem vitantes, superaddere de cætero omittatis. Si enim Vas electionis, Beatissimus Apostolus de sumendis cibis, meliùs sibi esse non manducare, neque bibere, quam ut frater scandalizetur, asseruit: considerare debetis, quàm grave, & periculosum sit, ubi saniori intellectu vitari potest, Fratribus de fide scandalum generare. Quapropter Fraternitas tua Ecclesiæ, cujus sibi cura commissa est, tenendum putet, & credat sufficere, quod catholica in Orbe terrarum diffusa ecclesia, Spiritu Sancto illustrante edocta, sentire cognoscitur, & tenere declaratur. De reliquo, quia cognovimus, Ecclesiam vestram azima sacrificare; & ob hoc à Græcis, duntaxat imperitis, quasi de hæresi reprehendi; nolumus, vos de temeraria garrulitate illorum multum mirari, sed nec ab instituto desistere: scientes eorum procacitatem non modò vobis hanc velut caluminam objicere; verum etiam simili de causa, graviori verò injuria, huc usque contra sanctam Romanam Ecclesiam insurgere; quæ per beatum Petrum, quasi quodam privilegio ab ipsis fidei primordiis à sanctis Patribus omnium mater Ecclesiarum astruitur, & ita usque in finem semper habebirur,

Græci Armenios reprehendunt; quod in azymis sacrum faciant.

in qua nullus unquam hæreticus præfuisse dignoscitur, nec unquam præficiendum Domino promittente confidimus. Ait enim Dominus Jesus: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua. Et illi quidem suum fermentatum commendantes, reprehensionis in nos levissima verba contumaciter jaculari non desinunt. Nos verò azymum nostrum inexpugnabili secundum Deum ratione defendentes, ipsorum fermentatum nec vituperamus, nec reprobamus, sequentes Apostolum dicentem, mundis esse omnia munda. Sed ad detegendam Græcorum temeritatem, nunc illa sufficiant. Dilectioni vero tuæ iterum inculcando mandamus, ut de suprascriptis & de aliis, quæ ad fidem pertinere cernuntur, qualiter teneas, per memoratum Præsbyterum, aut per alium idoneum Nuncium tuas ad nos litteras mittere studeas. &c. Datum 8. Idus Junii.] Hucusque Gregorius Papa ad Armeniorum Patriarcham.

Ex Armena Historia
CAPUT XX.

LXI. Dominus Basilius, prædicti Gregorii Consanguineus annos 6.

LXII. Dominus Gregorius cognatus istorum, annos 53. Ad hunc Pontifex Romanus * litteras quasdam misit; quibus ab ipso postulabat, ut eo plani ritu Nativitatis, & Epiphaniæ Domini festa perage-

* *Eugenius III.*

rageret, & in sacris mysteriis aquam vino misceret, quo & sancta Romana Ecclesia, & omnis alia Christianorum Natio id præstare consueverant. Et hoc ipsum antea per litteras quoque ab eo petierat, ac necessarium ostenderat Innocentius Papa * Idemque similiter Græcorum Patriarcha, & Manuel Imperator, qui illum prætereà ad unionem, & concordiam cum universali Ecclesia cohortati sunt. * Innocentius II.

ANNOTATIO.

GRegorius iste, cujus Patris antedictus Gregorius Vecajaser, nobilissimus ac integerrimus Patriarcha, fuerat avunculus, fratrem habuit magnum illum Niersesem Ghelaiensem, qui postea in Patriarchatu ipsi succedens, præclarissima suæ fidei, ac virtutum monumenta Posteris dereliquit, ut infrà latè dicemus. Rexit autem hic Patriarcha Armenā Ecclesiā annos 53. quo tempore adeò perstitit Apostolicæ sanctæ sedi devot', ut sæpè suæ erga illam subjectionis signa publicis etiā legationib' aperire nō destiterit. Quapropter primò litteras comonitorias ei rescripsit Innocentius Papa; quem fuisse Ĩnocentium II. añorum supputu manifestè deprehendimus. Alteram deinde similem epistolam ad eundem missam hic legimus ab alio Romano Pontifice anonymo; qui, ut constat ex actibus Concilii Sisen-

Acta Sisensis Concilii afferuntur in calce hujus primæ Partis.

sis Armeni, fuit Eugenius III. Ibi enim sic habetur; Si in promtu & ad manum ea sanctorum testimonia velis, incunctanter reperies in Epistola, quam Eugenius Romæ Papa misit ad Dominum Gregorium Patriarcham, fratrem magni Niersesis Ghelajensis. Hac igitur Epistola Dominus Papa Eugenius respondit ipsi Gregorio Patriarchæ, à quo Legationem quandam acceperat anno Domini 1145. relatam ab Ottone, qui præsens aderat, Frisingensi Episcopo: quæ quidem legatio, utpotè notatu dignissima, iisdem verbis Otthonis hic apponenda, visa est.

Ottho Fris. Epis. lib. 7. c. 31. apud Bar. a. 1145.

Legati Armeniorum Episcoporum, ait Ottho, eorumque Metropolitani, quem ipsi Catholicon, id est, universalem, propter infinitum, id est, amplius quam mille Episcoporum sub se habentem numerum vocant: Legati ab ultimo penè Oriente, Summum Pontificem Eugenium III. Viterbii, laboriosum iter per annum & sex menses complentes, adeunt: eique ex parte illius Ecclesiæ subjectionem omnimodam, eum consalutando, offerentes, causas viæ, nobis cum aliis præsentibus, apud veterem Aulam aperiunt, quæ tales erant. Inter ipsos & Græcos quædam de ritu Sacrificii habitudo est in quibusdam, in aliis verò discrepantia, ponunt enim fermentatum panem, sicut illi; aquam autem vino non admiscent, sicut nos & illi. Præterea Nativitatem Domini Epiphaniæ continuantes, duas illas festivitates unam faciunt. Pro his, & aliis dum inter se dissentirent, Romanam

Ecclesia Armena per Legatos subjectionem offert Romano Pontifici.

manam Ecclesiam judicem eligentes, consultum veniunt, formamque Sacrificii juxta consuetudinem ejus sibi tradi deposcunt. Quos Romanus Antistes grataṇter suscipiens, Missarum solenniis, ac Sacrificiis secretis adhibuit; diligenterque ea, quæ fiebant ibidem, eos animadvertere monuit. Quod dum facerent, intentique sacro Altari astarent, unus ex eis Pontificali dignitate præditus [sicut postmodùm in plena curia retulit] in Beati Martini Octava, quando Dedicatio Ecclesiæ Beati Petri celebrari solet, Summo Pontifice divina mysteria agente, splendido fulgore radium solis super caput ejus coruscare, & in ipso duas columbas, ascendentes & descendentes vidit: cumque diligentius hac illacq; oculos circumferret, nullumque aditum, per quem lux illa transfunderetur, inveniret; deificum hoc esse cognoscens, ac ad obedientiam Romanæ Sedis amplius accensus, cunctis, quæ viderat, aperuit. At venerabilis Pater non suis hoc meritis attribuens, ipsius potius fide cœlitus hoc sibi monstratum, affirmabat: ut videlicet Ecclesia, à qua ipse missus fuerat, Sacramentorum virtutem, veritatis luce perfusam cognosceret; ac deinceps quali ea reverentià ac formâ tractare deberet, addisceret. Retulit etiam præfatus Episcopus, quod in confinio Armeniæ quædam gentes essent, quæ fœtus suos fœtentes generarent, eosque statim ad aquas Armeniorum lavandos transmitterent: quos cum illi Baptismatis unda tingentes, innatum eis fœtorem propellerent, mox

Visio divinitus ostensa Romæ Armeniorum Legato.

Baptismus propellit à pueris

infideli- mox tamen remissi, ad Paganismi ritum, &
um in- spurcitiam redibant: quod utrùm faciendum
natum esset, item Romanam Ecclesiam consulue-
fœtorē. runt.]

Hæc Ottho, Ecclesiæ Frisingensis Episcopus: qui tamen in eo solùm quod refert, Armenios nimirùm in sacris Mysteriis pani uti fermentato, hoc fuisse tempore solitos; atq; ob id præterea convenisse cum Græcis; erroris quidem manifesti convincitur. Nam quod multis abhinc annis iidem Armenii fermentatum deposuerint, & azymo uti cœperint, jam liquidò constat ex supradictis tum in caput. 17. N. 2. tum quoque in mox præcedenti cap. 19. num. 24. ubi etiam à Gregorio VII. Sum. Pont. nimium de hoc instituto eos laudatos, atque à Græcis reprehensos ostendimus. Quamobrem & verisimili reputamus, illam adhuc, inter Græcos, & Armenos ab Otthone jam relatam, contentionem, hac præsertim ex causa fuisse exortam.

Ex Armena Historia.

CAPUT XXI.

LXIII. Dominus NierfesGhelaiensis, frafraterPrædecessoris, Doctor universalis, qui carmina plurima composuit, annos 7. Hic concordiæ Ecclesiarum procurandæ, quod ab ipso Manuel Græcorum Jmperator popofcerat, maximam dedit operam. Quare

re non nullas sacrosancto Trinitatis mysterio, & de jncarnati Verbi dispensatione egregias, orthodoxeque elaboratas epistolas ad illum rescripsit; quas Graeci demirantes, continuo virum eruditissimum quendam ad Niersesem verbis comprobandum miserunt. Is autem ejusdem Patriarchæ sententiam cum sua satis convenientem nactus, ad suos iterum reversus est. Nierses intereà, dum alterâ illum vice præstolaretur, cum deliberatione cogendi in ejus reditu Concilium, in quo cum Græcis concordiam confirmaret, cessit è vita.

ANNOTATIO.

Nierses Ghelaiensis, Armeniorum Patriarcha Catholicus, & poëta insignis.

NIerses Ghelaiensis, Orthodoxus Patriarcha, quem Armenia universa, ut sanctum illius Ecclesiæ Patrem ac Doctorem agnoscit, ejusq; commemorationem in Liturgia, & Mœnologio celebrat, fuit Poëta sacer, & hac quidem facultate adeò insignis, ut celebrioribus, meo judicio, vel Græcis, vel Latinis Poëtis in suo coæquandus sit idiomate. Librum integrum sacrorum Canticorum, quibus Armena nunc utitur Ecclesia, Venetiis ab iisdem Armeniis typis datum, aliaq; sacra Opuscula pereruditè & carmine, & soluta oratione composuit; quæ à nobis ad comprobandum duas in Christo naturas, processio-

infideli-um in-natum fœtorē. mox tamen remissi, ad Paganismi ritum, & spurcitiam redibant: quod utrùm faciendum esset, item Romanam Ecclesiam consuluerunt.]

Hæc Ottho, Ecclesiæ Frisingensis Episcopus: qui tamen in eo solùm quod refert, Armenios nimirùm in sacris Mysteriis pani uti fermentato, hoc fuisse tempore solitos; atq; ob id præterea convenisse cum Græcis; erroris quidem manifesti convincitur. Nam quod multis abhinc annis iidem Armenii fermentatum deposuerint, & azymo uti cœperint, jam liquidò constat ex supradictis tum in caput. 17. N. 2. tum quoque in mox præcedenti cap. 19. num. 24. ubi etiam à Gregorio VII. Sum. Pont. nimium de hoc instituto eos laudatos, atque à Græcis reprehensos ostendimus. Quamobrem & verisimili reputamus, illam adhuc, inter Græcos, & Armenos ab Otthone jam relatam, contentionem, hac præsertim ex causa fuisse exortam.

Ex Armena Historia.

CAPUT XXI.

LXIII. Dominus NicrsesGhelaiensis, fra- fraterPrædecessoris, Doctor universalis, qui carmina plurima composuit, annos 7. Hic concordiæ Ecclesiarum procurandæ, quod ab ipso Manuel Græcorum Jmperator poposcerat, maximam dedit operam. Quare

re

re non nullas ſacroſancto Trinitatis myſterio, & de jncarnati Verbi diſpenſatione egregias, orthodoxeque elaboratas epiſtolas ad illum reſcripſit; quas Græci demirantes, continuo virum eruditiſſimum quendam ad Nierſeſem verbis comprobandum miſerunt. Is autem ejusdem Patriarchæ ſententiam cum ſua ſatis convenientem nactus, ad ſuos iterum reverſus eſt. Nierſes intereà, dum alterâ illum vice præſtolaretur, cum deliberatione cogendi in ejus reditu Concilium, in quo cum Græcis concordiam confirmaret, ceſſit è vita.

ANNOTATIO.

Nierſes Ghelaienſis, Armeniorum Patriarcha Catholicus, & poëta inſignis.

NIerſes Ghelaienſis, Orthodoxus Patriarcha, quem Armenia univerſa, ut ſanctum illius Eccleſiæ Patrem ac Doctorem agnoſcit, ejusq; commemorationem in Liturgia, & Mœnologio celebrat, fuit Poëta ſacer, & hac quidem facultate adeò inſignis, ut celebrioribus, meo judicio, vel Græcis, vel Latinis Poëtis in ſuo coæquandus ſit idiomate. Librum integrum ſacrorum Canticorum, quibus Armena nunc utitur Eccleſia, Venetiis ab iisdem Armeniis typis datum, aliaq; ſacra Opuſcula pereruditè & carmine, & ſoluta oratione compoſuit; quæ à nobis ad comprobandum duas in Chriſto naturas, proceſſionem

nem Spiritus Sancti ex Patre & Filio, ac cætera catholica dogmata, in secunda Parte citantur. Quamvis enim verò existimasset anteà idem Patriarcha, dictum illud Divi Cyrilli Alexandrini contra Nestorium, Una est natura verbi divini incarnati, non posse consequenter salvari; nisi declinando tamen ab Eutychis confusione, poneretur in Christo una natura, ex humana & divina inconfusè composita; quemadmodùm & in homine una ponitur natura composita ex anima, & corpore; quod falsò ipse opinans fuisse mentem ejusdem S. Cyrilli, qui tali sæpè usus fuerat exemplo in priori fidei professione, quam ab ipso petierat Manuel Imperator, unam naturam in Christo confessus fuerat. Posteà verò, ubi primùm Theorianus, Græcus Theologus rationibus, ac sanctorum Patrum testimoniis, præsertim ipsiusmet Cyrilli, qui non semel semetipsum in ea re explicaverat, orthodoxum illius dicti sensum ei aperuit; statim duarum naturarum veritatem, uniusq; in Christo naturæ figmentum, ut infrà dicemus, advertit, & confessus est; nec, se prius fuisse deceptum, fateri palam erubuit. Quapropter deinde ad suam Ecclesiam cum Catholica, & Apostolica conciliandum, studii, ac diligentiæ tantum planè adhibuit, quantum potuit.

Menolog. Arm. die 19. Nov. Audiamus portò, quid de hoc Patriarcha Armenum referat Mœnologium, cujus verba sunt hæc: Maximæ fama sapientiæ, ac doctrinæ Nierseses Ghelaiensis Patriarchæ ad aures usq; Manuelis Græcorum Imperatoris pervenerat,

nerat, qui propterea, missis nunciis, petiit ab eo fidei Professionem Ecclesiæ Armenicæ: & sacro-sanctus Nierses sctipsit illam veris, patentibus, & elegantibus verbis: quam ubi audierunt Rex, Patriarcha, & omnes Græcorum sapientes approbantes assenserunt orthodoxæ fidei Armeniorum, elegantem præsertim compositionē admirantes: miseruntq; ad sacrum Antistitem Niersesem, Philosophum quendam nomine Theorianum, qui, postquam illum adiisset, ac plures dies inter se collocuti fuissent, ad Imperatorem reversus, magnam Niersesis sapientiam, perfectamque morum probitatem ei renunciavit, dicens: Deiloquus sanè vir, & os habens aureum, ex Armena prodiit Natione. Quamobrem Græcorum Rex, & Patriarcha, multâ in sanctum Pontificem Niersesem benevolentiâ, & amore capti sunt: iterumq; ad illum miserunt viros quosdam venerabiles, ut concordiam & amorem inter duas has nationes, ab invicem pravorum causa discissas, conciliarent; veruntamen negotium illud mansit imperfectum propter obitum ejusdem sacri Præsulis Niersesis; qui accidit anno Armeniorum *612. Hæc in Mænologio; in quibus advertendum est [quod ex infrà dicendis clariùs inotescet] Græcos non approbasse primam, ut suprà narrare videntur Armenii, sed secundam fidei professionem quam Nierses Patriarcha ad Imperatorem remiserat, per Theorianum legatum, à quo ipse meliùs instructus, errores primæ confessionis correxerat in secunda.

hoc est anno Redemptionis 1173.

Nus-

Nusquam profectò valuimus & si quàm maximè ob id niteremur, ex Armenis explorare codicibus quænam fuerint illa inter Niersesem & Theorianum colloquia. Porrò casû deinde Romæ sic Deo ad nostrum solatium disponente, ea ex Græco in latinum translata perlegimus in Bibliotheca Veterum Patrum: ex qua eadem, multam li cet in prolixitudinem extensa, ad verbum huc extraximus; plurimum inde sperantes emolumentum Armenis ipsis futurum.

Bibliot. vet. Pa. tom. 4. circa mediū

Ex Armena Historia.

CAPUT XXII.

LXIV.

DOminus Gregorius, duorum mox præcedentium nepos, cognomento Deghá, annos 20. Js Tarsi in Cilicia, duce magno illo Doctore ac ejusdem urbis Episcopo, Nierfese Lampronensi, multorum Episcoporum Synodum ad concordiam cum Manuele Græcorum Jmperatore coëundam collegit: dumque hoc feliciter ageretur, audita est mors piissimi Regis Manuelis, qui eam concordiam ardentissimè concupierat. Unde gravissimo cunctorum Patrum mœrore divinum hoc facinus imperfectum remansit.

Armeniorum Concilium Tarsense à Gregorio Patriarcha celebratum.

AN-

ANNOTATIO.

Ecclesiæ Armenæ correctionem, quam Nierses Ghelaiensis, hujus Gregorii Prædecessor morte præoccupatus, ad exitum perducere nequiverat, præsens Patriarcha, jussu Leonis Armeniorum Regis, rursus aggreditur Tarsensi Concilio, coacto anno Domini 1177. & Armeniorum 626. cohortatione & industria nobilissimi Episcopi, ac præstantissimi Doctoris, Niersesis Lampronensis, filii Osceni Principis Lamproni, aliarumque provinciarum; cujus egregia virtus, digna planè est, ut æterna laude illustretur nomenq; ad ultimas Terrarum partes immortali famâ pervehatur. De tanto Doctore hæc in Armeno Mœnologio leguntur: Commemoratio est sancti Niersesis Lampronensis, qui fuit filius magni Principis Oscini, Lamproni, aliarumque Provinciarum Domini. Et paulò post: Transtulit de Græco in Armenum historiam sancti Gregorii Romanorum Papæ, & Regulam Benedicti, apud eosdem Romanos observatam. Tum inferiùs: Dicere sæpè solebat illam Apostoli sententiam; Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Omnes sanctorum Patrum traditiones tum ipse exactissimè observabat, tum alios ad earundem observantiam hortabatur. Eratque valde humilis, mansuetus, ab ornatus ostentatione alienus, misericors, pius, amator pauperum, assiduus in oratione, lacrymarum dono præditus, solitudinis & silentii amicus, &c. *Arm. Menol. die 17. Julii.*

Talis

Talis igitur, ac tantus Episcopus coram Tarsensi Armenorum Patrum Synodo, cujus deinde os aureum ipse fuit, apostolico sanè spiritu eruditissimam habuit orationem; qua zelo admirabili in suæ nationis hæreticos invectus fuit, Catholicus verò Patres summis Laudibus extulit, & universam Synodum ad unionem cum Ecclesia Catholica, & Orthodoxam fidem amplexandam animavit. Hujus autem orationis initium, & partes nonnullas, quas ipse furtim ex eorum libris excerpere potui, huc adducere libuit. Incipit itaque tali pacto.

** Extat in Arm. codice inter acta Concilii Tarsensis.*

Oratio, * ad Armenos Tarsensis Concilii Patres habita à sancto Patre Nieresese Lampronensi.

O Quos Omnes in unum hic hodie spiritum, in unum corpus collectos, unum universitatis totius caput repræsentantes circumspicio, Patres sacrosancti, & summi apices veritatis; ò Christianæ duces, ac Pastores Reipublicæ; Vigiles Domus Dei Præsides, & Custodes: Ecquisnam vos, una simul conspirantes, ad hunc tranquillitatis portum advocavit pacificatores Universi: nisi qui de cœlo nobis donatus est, spiritus Dei pacificus? Verùm & ad quid profectò, nisi ad instaurationis sublapsi, perculsique Templi Dei fundamenta, ac principia jacienda? Ejus inquam, Templi, quod pessimus Nabuchodonosor, ille nimirum, qui causa malorum omnium est, evertit. Et post alia perplura, in suæ natio-

nis Pseudodoctores insultans, ait. Hinc proferunt aliqui verba, & miserabili mente nos ad inimicitiam provocant: qui licet ex sapientibus, caritatis tamen dulcedine insipidi sunt. Fructus spiritus, ait Apostolus, est caritas, gaudium, & pax; non autem istorum, quorum est schisma, invidia, ira, & contradictio; quæ nobis præscribunt, ut separemur à multitudine aliarum Christianarum Nationum, ab amore, concordia, communione, & legibus Ecclesiarum illarum: proh divinæ legis neglectio. Defleat nos Jeremia, aut alius ei similis queribundus Propheta. Christum pacis mediatorem, fomitem odii, & contradictionis accepimus. Ecquomodò non digni lacrymis sumus? caput anguli parietis unionis, fatui Prophetæ instrumentum divisionis in medio nostrum fecere. Ecquomodò non defleant nos veritatis discipuli? quæ enim in finibus orbis Ecclesia Christi est, quæ Christum Dominum, Deum & hominem non confiteatur? quod si res ita se habet; quare igitur tanta in medio nostri exorta est contradictio? qui bellum adversus alias gerimus Nationes; opinantes, quod illæ, Christum ex duabus naturis ineffabiliter unitum confitendo, substantias, ac proprietates dividant naturarum; & essentias non quasi unitas, sed potius divisas confiteantur: & hoc totum contendimus sive in Thevinensi Concilio, sive in Manaschiertensi, sive in Sinuiensis Doctoris epistola, sive in sciracliensis, sivè in Daronensis, sive tandem in qualibet alia; ubi circa talem materiam

In crimen adducuntur Armeniorum heretici

Catholicà calumnia vindicantur.

Nomina conciliabulorum, & hereticorum Arm,

pugna committitur adversus eos, qui Christum in personam divinam dividunt, & humanam.

At verò Nestorii quidem opinio ista est, non autem Ecclesiæ Dei magnæ, & Throni Imperialis totius orbis, illi namq; contemptores divisionis fuerunt, ac sunt: Christoq; tribuunt duarum naturarum nomen, haud alia mente, quam ut eundem Christum, Deum & hominem confiteantur: non autem quod ejusmodi intellectu compositionem ineffabilem dividant. In hoc verò quænam nobis est materia contradictionis? idem enim est, Deum & hominem asserere Christum, ac dicere duas naturas.

Et paulò post adducens Patres Armenos Catholicos, inquit: Sed quare dicunt, nemo ad hodiernum usq; diem hoc nobis manifestavit? cum præcipuè multi ex nostris antiquis Patribus, sanctorum imitatores facti, id ipsum dixerint: sed cum mores hominum ad adversandum ei, quod veritati patrocinatur, proni sint; declinantes á pace, verba ad inimicitiam provocantia dilexerunt. Verum si non sic: ubi relinquemus verba Joañis Philosophi, & Patriarchæ, qui hoc ad nos sanctorum Patrum testimoniis traditum, admandavit? ubi Jeseris Patriarchæ, suiq; assensum Concilii? ubi concordiam Papchenis Patriarchæ cum Ecclesia magna Græcorum? nec non ejusdem successorum & Regum, & Doctorum; ex quibus unus erat, gratiæ divinæ opus, & plurimis excelsior, Angelus in corpore, Gregorius

Nomina Orthodoxorum Armeniæ Patrum.

gori? Narachensis? ubi deniq; verbas S. Patris nostri * Niersesis, quem propriis oculis vidimus, & cujus eloquio edocti sumus? Hi planè omnes cœlestem hanc machinationem conceperant, quam vòs jam aggressi estis perficere, ipsiq; Ecclesiæ Dei succurrere: quin etiam quamplures alii unà cum his Patres nostri, nostræq; Nationis Patriarchæ; qui quidem satis manifesti sunt volentibus scire, & in disciplina verborum eorum laborare. Et iterum sermonem convertens ad Hæreticos, ait: At quòd alii rursus fuerint, qui adversum hos contenderunt: & ipse quidem scio, & verborum eorum virtutem agnosco, nec sum ignarus. Quapropter & illos deprehendo, sivè sanctos dicant, sive doctos, in charitatis tamen lege veritate minimè decoratos; qui haud sibi ascripsere pro culpa, Ecclesiæ Christi unitatem animo perverso destruere; unde & in hoc ipsum sese merserunt impudenter: quibus parcat Deus vestris orationibus secundum hanc magnam peccatorum partem, & errorum; nec amplius pessimum hujus illuviei malum augescere sinat, cujus non alium inspicimus fructum, nisi solum nominis Christi contemptum; & quo plures jam inquinatos intueor, & lacrymis ingemisco; quia ex frequentiori usu natura ipsorum odium facta est adversus alias Christianorum gentes, & Ecclesias: quare pravum inimicitiæ fomitem iniquis blasphemiarum verbis exaturantes, Christo fieri videntur exigentia vindictæ. O miseriæ calamitatem! quin & si acceptabilem articulo-

* *Nierses Ghelaiensis, Patriarcha.*

Invehitur in hæreticos suæ Nationis.

pugna committitur adversus eos, qui Christum in personam divinam dividunt, & humanam.

At verò Nestorii quidem opinio ista est, non autem Ecclesiæ Dei magnæ, & Throni Imperialis totius orbis, illi namq; contemptores divisionis fuerunt, ac sunt: Christoq; tribuunt duarum naturarum nomen, haud alia mente, quam ut eundem Christum, Deum & hominem confiteantur: non autem quod ejusmodi intellectu compositionem ineffabilem dividant. In hoc verò quænam nobis est materia contradictionis? idem enim est, Deum & hominem asserere Christum, ac dicere duas naturas.

Et paulò post adducens Patres Armenos Catholicos, inquit: Sed quare dicunt, nemo ad hodiernum usq; diem hoc nobis manifestavit? cum præcipuè multi ex nostris antiquis Patribus, sanctorum imitatores facti, id ipsum dixerint: sed cum mores hominum ad adversandum ei, quod veritati patrocinatur, proni sint; declinantes á pace, verba ad inimicitiam provocantia dilexerunt. Verum si non sic: ubi relinquemus verba Joañis Philosophi, & Patriarchæ, qui hoc ad nos sanctorum Patrum testimoniis traditum, admandavit? ubi Jeseris Patriarchæ, suiq; assensum Concilii? ubi concordiam Papchenis Patriarchæ cum Ecclesia magna Græcorum? nec non ejusdem successorum & Regum, & Doctorum; ex quibus unus erat, gratiæ divinæ opus, & plurimis excelsior, Angelus in corpore, Gre-

Nomina Orthodoxorum Armeniæ Patrum.

gorius

gori⁹ Narachensis? ubi deniq; verbas S. Patris nostri * Niersesis, quem propriis oculis vidimus, & cujus eloquio edocti sumus? Hi planè omnes cœlestem hanc machinationem conceperant, quam vòs jam aggressi estis perficere, ipsiq; Ecclesiæ Dei succurrere: quin etiam quamplures alii unà cum his Patres nostri, nostræq; Nationis Patriarchæ; qui quidem satis manifesti sunt volentibus scire, & in disciplina verborum eorum laborare. Et iterum sermonem convertens ad Hæreticos, ait: At quòd alii rursus fuerint, qui adversum hos contenderunt: & ipse quidem scio, & verborum eorum virtutem agnosco, nec sum ignarus. Quapropter & illos deprehendo, sivè sanctos dicant, sive doctos, in charitatis tamen lege veritate minimè decoratos; qui haud sibi ascripsere pro culpa, Ecclesiæ Christi unitatem animo perverso destruere; unde & in hoc ipsum sese merserunt impudenter: quibus parcat Deus vestris orationibus secundum hanc magnam peccatorum partem, & errorum; nec amplius pessimum hujus illuviei malum augescere sinat, cujus non alium inspicimus fructum, nisi solùm nominis Christi contemptum; & quo plures jam inquinatos intueor, & lacrymis ingemisco; quia ex frequentiori usu natura ipsorum odium facta est adversus alias Christianorum gentes, & Ecclesias: quare pravum inimicitiæ fomitem iniquis blasphemiarum verbis exaturantes, Christo fieri videntur exigentia vindictæ. O miseriæ calamitatem! quin & si acceptabilem articulo-

Nierses Ghelaiensis, Patriarcha.

Invehitur in hæreticos suæ Nationis.

ticulorum fidei confessionem ab aliis audiant, nolunt tamen in charitate humiliari; sed potiùs ad alias versi opiniones, si illi, inquiunt, nostra odio habent, idcirco & à nobis ipsi quoque odio habeantur. Et quidem ab illis fortasse sese abduxit Tentator, & apud vos solummodò struit dolos; maximè, quia vos ab illis, non illi à vobis scissi sunt; vos illos, non illi vos ab initió dimisere: atque, ut Apostoli verbis utar, vos oleaster sylvestris contra naturam excisi estis á bona oliva. Non enim vos illos, sed illi potiùs, radix cum sint, vos olim portabant sufferendo; at nunc, cum non simus tales, quales antea, infirmati sunt & illi ad legem amoris, hæc pro materia accipientes. Et inferius item: Rejicite procul á cordibus pravum thesaurum, qui nobis diversas peperit calamitates; sed quas? ecquisnam eas valeat recensere? Hinc cœpimus esse sine Rege, sine principatu, miserè sub Gentilium redacti dominium: constitutiones nostræ, sub schismate existentes, pravæ radicis germina pejora esse cœperunt: Populi nostri insipientes; Principes, socii furum; Ecclesiæ speluncæ, atque alienigenarum tabernæ; aliaque permulta, quæ quidem percurrere verbis, menteque recolere, difficile admodum est. Et post alia demum: Præterea & aliis causis: quandoquidem illi Christianæ fidei, & constitutionum Ecclesiasticarum, ipsorumque Apostolorum fundamentum, ac principium præ se ferunt, idque throno imperturbabili; nos autem quodcunque habemus, ab illis mutuatum

Laudat Ecclesiam Catholicã.

Enumerat Armeniorum calamitates ob eorum schisma exortas.

tratum accepimus. Ii sapientiæ culmen adepti sunt, atque à Paulo Apostolo irrigati floruere: sacri etiam libri, qui apud nos, ipsorum quoque sunt; & scripta, Patrum eorum. Illis thronum Regni, fidei Christianæ robur & columnam, Christus largitus est: Apostolo * attestante, quod cum ipsorum principatus occiderit, Christi Regnum sempiternum dominabitur: Non dum, inquit Romanorum auferetur dominium; non dum adveniet homo iniquitatis, filius perditionis, qui à Domino Jesu Christo disperdetur. Vides jam, quantum testimonium perhibeat Patriarcharum Apostolus, hæc dicens. Non quod ipse inter spiritualia ac de Christi Jmperio gloriantes, secularem magnificiam principatum; sed ut sapientibus ostendam, quod illi & seculari potiuntur throno una cum spirituali, voluntate divina. Quamobrem in Ecclesiæ ipsorum ordinibus decora est immutabilitas, ac mutationes quidem ad majorem gloriam Dei. Nos autem quod Reges insipientes sortiti simus, aut quomodo fuerint Ecclesiæ nostræ leges à stultis Principibus confusæ, jam in historiarum libris eruditi estis: nec erubescere scripta debemus, ad finem correctionis &c.] Hæc omnia piissimus, ac nobilissimus Lampronensis, coram Tarsensi Armenorum Patrum Concilio; cujus quidem inscriptio, & acta, quemadmodùm in Armeno codice extant post præfatam orationem, ita prorsus hoc in loco exponentur.

** Existimo S. Paulũ 2. Thess. 2. S. Gregorium Arm. Episcopũ hic Apostolum appellari.*

Divinum, sanctum, ac universale Conci-

Concilium Tarsense Armenum lium Tarsense, propter Ecclesiæ concordiam celebratum, año Armeniorum *626. jussu Angelici Armeniorum Patriarchæ Gregorii, nepotis S. Niersesis: atque in Christo coronati, Regis Armeniæ Leonis.

**hoc est Anno Christi 1177.*

Propositiones quas Græci postulant à nobis ad pacem conciliandam: & juxta illas, Synodi responsiones appositæ.

Armenii damnant Eutychẽ ejusquè consentaneos.

GRæcorum prop. I. Quærimus ut anathematizetis assertores unius in Christo naturæ, Eutychem, Dioscorum, Timotheum Ælurum, aliosque eorum consentaneos.

Armeniorum resp. Anathematizamus Eutychem, quem & sancti Patres nostri, antequam nos detestati fuere: nec non & Severum. Circa Dioscorum autem, nondum nobis innotuit, illum fuisse Eutychis consentaneum, maximè quia habemus epistolam ad nostras Ecclesias missam à sancto Germano Regiæ Civitatis Constantinopolitanæ Patriarcha, in qua duntaxat Eutychem hujusmodi hæresi laborantem memorat, & non alium; illumque nobis anathematizandum proponit. Quapropter fas esset vobis, nostras priùs mentes hac in re dubia confirmare producendo scilicet erroneum Eutychis scriptum, scriptumque Dioscori: quod si in illis Eutyches à Dioscoro susceptus ostenditur, aut si hujus scriptum eandem illius hæresim sapere deprehenditur; expediet tunc utique nobis, una cum Eutyche omnes alios ejus consentaneos execrari.

Postulant, ut sibi ostendatur, quonam modo Dioscorus fuerit Eutychis consentaneus.

Græco-

Græcorum prop. II. Quærimus, ut confiteamini Dominum nostrum Jesum Christum, unum filium, unam personam, unum Christum, unum Dominum, unam hypostasim, indivisibiliter, immutabiliter, inalterabiliter, inconfusè: non alium filium Dei, & alium filium Deiparæ Virginis; sed eundem, filium Dei, & filium hominis; & in duabus naturis unum confiteamini Deum & hominem; atq; duas naturas, unum & eundem Christum; habentem duas operationes naturales, divinam scilicet & humanam; atque duas voluntates naturales, divinam & humanam, non ad invicem contrarias, sed humanam divinæ subjectam, & concordem.

Approbant confessionem duarũ naturarum in Christo.

Armeniorum resp. Huic confessioni consentientes invenimus omnes sanctos, & magnos Doctores in verbis ipsorum, nimirùm B. Athanasium, & * Gregorios, quique ante & post illos extiterunt: similiter & divum Cyrillum, qui adversus Nestorium strenuè decertans, victoriaque potitus, ad comprobandam ineffabilem, & inconfusam Christi compositionem, pessimo Divisori contrariam, nonnullis in locis ait: Una est natura Verbi incarnati: quod recipientes Patres nostri, juxta eandem Beati Cyrilli mentem id ipsum confessi sunt: nobisque tradiderunt, quod secundum conjunctioné Verbi cum carne dicatur per æquivocationem una natura Verbi incarnati, & non secundum definitionem simplicis essentiæ; hoc enim qui poterat à con-

** S. Greg. Nazianz. & S. Greg. Nyssen.*

confitentibus Christum, Deum & hominem, asseri? Et quidem licet juxta rectam adhuc confessionem æquivocum dictum illud explicemus, neque tamen idcircò expletur animus Fraternitatis vestræ; quinimò in suspicionem, obtrectationem, & scandalum etiam apud vos adducimur quasi Christi naturas confundentes atque in unam miscentes: quod absit vel ad mentem venire; sed ab istiusmodi opinione [testis est Deus] tum Patres nostri, tum nos ipsi adversi omninò sumus. Verum enim verò ad Ecclesiæ sanctæ pacem conciliandam, ad vestram ædificandam Dilectionem, utque à nobis quodlibet istius suspicionis offendiculum auferatur, operæ pretium ducimus, abstinere nos in posterũ ab illo per æquivocationem dicto unius naturæ Verbi incarnati; sed asserere duas naturas, unde existentia illius ineffabilis unionis Verbi cum carne verè constituatur. Atque sicuti eandem priùs propositionem confirmaverat S. Cyrillus, & Patres nostri post ipsum, adversus eos, qui Christum in duas naturas, duasq; dividebant personas: ita modò nos illam dissolvimus contra opinionem eorum, qui naturas ipsas confundunt; ac sanctorum Patrum confessioni concordes, immobiles in veritate persistimus. Quocirca veracem adhuc, & patentibus Patrum testimoniis roboratam, sancti Patris vestri Germani epistolam habemus juxta rectam, plausibilemque doctrinam. Hinc quoque potentes efficimur ad discendum vestram duplicis voluntatis, atque operationis pro-

Confusionem à duabus Christi naturis explodunt

Duas voluntates in uno Christo confitentur.

professionem, in unum Christum Deum referendam: nec respuimus, sed approbamus vos, veritatis sectatores, vestræque confessioni consentimus.

Græcorum prop. 3. Quærimus, ut sacrum Trisagium sine additione illa, Qui crucifixus es pro nobis; & absque particula illa, Et, concinatis.

Armeniorum resp. Vix ullius momenti, & minor quidem, quam ut perfectissimæ vestræ sapientiæ scandalum parere possit, suspicio ista est. Quin si in Christum diceremus, Sanctus Deus, sanctus & fortis, sanctus & immortalis, miserere nobis; scandalum fortè sumere, potius conveniret; quasi humanationis gratiam, & quam pro nobis ille subiit, passionem erubescentes abjuraremus. Verum cum & hoc confiteamur gloriantes, ut inquit Paulus, mihi autem absit gloriari, nisi in cruce D. N. Jesu Christi: cur mendaces existimamur à Fratribus? anne quia Deum crucifixum asserimus, & non Christum? sed quæsumus, ne in hoc offendatis; nam crucem adjecisse, sufficit ad illius humanitatem, quam mente concipimus, explicandam, atq; ad servandum nos ab omni passionis Divinitatis opinione remotos. Tum particulam, ET, superaddim⁹ ad compositionem orationis perficiendam. Etenim dictio illa, sanctus, in nostro idiomate brevissima est, & monosyllaba; nec proinde cum alia potest dictione se sola añecti, quemadmodùm vestrum ἅγιος.

Trisagium cum appendice erga solum filium sic concinere asserunt.

Cœterùm quod erga Christum sit à nobis

Trisagium decantandum, testes vos ipsos adducimus: extant enim in urbibus Damascena, & Manuestana libri quidam, vestris literis exarati, in quibus ter sanctus hic hymnus ita scriptus reperitur: Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, qui crucifixus es pro nobis miserere nostri. Quare hoc pacto eum esse canendum, haud ipsimet excogitavimus, sed à vobis ita nos didicisse comperimus. Quam autem ob causam deindè hanc Patrum * traditionem in minimis posueritis, ignoramus: quippe ineptus ille rumor de voce, quæ à puero, sursum in aërem elevato, audita fuerit, seniorumq; traditionem immutaverit, aures potius nostras offendit. Quoniam, licet nos, inquit Apostolus, aut Angelus de cœlo evangelicet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Ille porrò quid Christianis evangelizavit, nisi quod in cruce D. N. Jesu Christi glorientur? in qua profectò, evangelio ejus consentientes, & nos, & vos gloriamur; tametsi ob suspicionem de passione divinitatis ab illo vos verbo abstinetis. Nos autem, quamvis ibi Deum nominemus, non adeò in visione cœcutimus, ut missam propterea faciamus gratiam humanationis: quemadmodum neque cum Christum appellamus agnum, auferentem mundi peccata, gloriæ divinitatis obliviscimur. At quia exoptamus vel in hoc summa nostra voluntate Dilectionem vestram conciliare; processimus, & justo sanè modo, ad medendum in hac parte isti fratrum nostrorum suspicioni, ita in posterum

* *Appendix ad Trisagium, Hæreticorum, non Patrum traditio fuit. Non rumor ineptus sed verissima historia est, quã refert S. Joannes Damasc. lib. 3. de Trisag. c. 10. vid. sup. c. 10. nu. 17.*

sterum erga Christum canentes Trisagium: Sanctus Deus, sanctus & fortis, sanctus & immortalis, qui incarnatus & crucifixus es pro nobis, miserere nostri. Sicque vestræ Charitatis opinio dirigi poterit, ne additio illa, qui crucifixus es, in ipsam videatur Trinitatem, aut in Christum, secundum Divinitatem acceptum, á nobis referri.

Græcorum prop. 4. Quærimus, ut in festorum celebratione nostræ conformemini Ecclesiæ; celébrantes nimirum festivitatem Añunciationis 25. Martii Nativitatē 25. Dec. Circumcisionis. 1. Jan. Epiphaniæ 6. ejusdem mensis. Purificationis 2. Februarii: & similiter absque ulla mutatione proprio quoque die cæteras festivitates Domini, Sanctæ Deigenitricis, Joannis Baptistæ, & Apostolorum.

Armeniorum resp. Jam novit vestra Fraternitas, quòd quicquid ad orthodoxam Christianæ fidei professionem spectabat, jam in præcedentibus articulis lubenter suscepimus, & confessi sumus: idque profectò, tum ad spiritualem, corporalemque communionem cum Charitate vestra servandam; tum quoque ne contra scientiam veritatis niteremur: & non, quòd inde speremus, in pristinam rursus regalem amplitudinem esse redintegrandos; neque quòd eo frustrati vereamur, ne in extremam perveniamus mendicitatem. Haud enim, juxta verbum Apostoli, instantia, neque futura poterunt nos separare à Charitate Christi, aut ab ea, quæ in ipsum est, recta fidei confessione: sed potiùs vobiscum in unitatem &

communitatem secundum fidem ejusdem consociamur. Porrò quod attinet ad festivitatum dominicarum celebrationem, quâ à nobis postulatis: illas quidem omnes habemus, ac una vobiscum ad gloriam Christi celebramus, excepto nativitatis die, & eorum quæ ad ipsam ordinantur, mysteriorum Annunciationis, & Purificationis. Quæ quidem Nativitas, à Majoribus nostris traditum accipimus, ut ipso Baptismi die concelebretur. Veruntamen nos hîc propter concordiam congregati, Christique pacem perficere cupientes, acquiescim⁹; etiã in hoc magnæ nostræ Ecclesiæ concordare; & quamvis nihil excess⁹, aut defectus Christi fides patiatur ex hac de uno die in alium festorum translatione; id tamen complere, Fratribusque concordes inveniri, ex charitate saltem debemus, & volumus lubentissimè; tametsi, cum jam olim ab antiquo inveterata sit in medio nostri illa consuetudo, difficilis aliquantulùm nobis erit rei istius executio. At verò, cum inferiùs nostræ similiter postlationes exponendæ sint: si quidem vos Deus ad eas suscipiendas roboraverit, eisque satisfacere vobis libuerit: nos etiam obstricti erimus, alter alerius onera invicem portando, legem Christi vel in hac parte adimplere. Porrò si vos infirmi ad hoc fueritis; & nostræ quoque infirmitati quæsumus ignoscatis.

Pollicentur, se in festis celebrandis universali Ecclesiæ concordes futuros.

Græcorum prop. 5. Quærimus, ut sanctum oleum ex arboris fructu conficiatis.

Armeniorum resp. Ex paupertate quidem

huic

huic derogamus traditioni; cum in plaga septentrionali difficillimè ea reperiatur materia quæ continet figuram gratiæ Spiritus Sancti. Si tamen deinceps inventu facilis fuerit, haudquaquam traditionem istam fraudabimus.

sacram unctionem ex fructu Olivæ conficiendam fatentur.

Græcorum propos. 6. Quærimus, ut in pane fermentato, & in vino, cui admista sit aqua sacrificetis.

Armeniorum resp. Circa hunc Articulum, quod sanè justum est, Reverentiæ vestræ suademus; ut nimirum cum Apostolica Petri sede, & cum nostra adhuc Humilitate concordes efficiamini, atq; ita submissi legem charitatis instauretis. Sunt namq; illi, non secus ac vos, Apostolicæ hujus traditionis discipuli: cum quibus & nos azymum panem in Christi sacrificio consecramus. Quòd si tantam vobis humilitatem Deus concesserit, ut hac in re nobiscum conveniatis; debitum nobis erit, ne quid obstaculi Ecclesiæ unitati opponatur, aquam puro vino miscendi, ad gloriam Dei.

Reprobant in sacris Mysteriis fermentatum panem Græcorum. Aquæ mistionem se suscepturos, promittunt.

Græcorum prop. 7. Quærimus, ut cum perficitur divinum sacrificium, omnes Christiani tum Ecclesiastici, tum seculares intra Ecclesiam commorentur; iis exceptis, quibus hoc pœnitentiæ gratiâ à Canonibus prohibetur. Hoc idem similiter in aliis Ecclesiasticis functionibus observetur.

Armeniorum resp. Hujuscemodi delictum nequaquam ex voluntate, sed ex eo planè processit, quia Gens nostra extra Regiones, & Ecclesias suas aberrat, ac egena peregrina-

tur

tur in medio vestri: quare vobis non modò in vestram nos communionem benignè non excipientibus, verum & januas Ecclesiarum quoque vestrarum præcludentibus in faciem nostram, nobis impossibile fuit, in hac peregrinatione Ecclesias Populis nostris sufficientes ædificare. Hinc abusus ille, processu temporis ex paupertate continuatus, veluti firmam in legem versus est. Nam superioris nostræ Regionis incolæ, perspicientes, habitatores inferioris hujus Regionis, in quam sedes Patriarchalis translata fuit, ob Ecclesiarum penuriam extra illas orare, & ipsi quoque similiter, æmulatione minimè quidem laudabili, eundem extra Ecclesias orandi usum receperunt: quapropter magis crevit in vobis ista defectus nostræ Religionis opinio. Cæterùm si Patriarchali huic sedi dederit Deus Ecclesias populorum capaces, facilè iterum poterit in universam Armeniorum Nationē, præsertim ex vi nostri mandati, pristina induci consuetudo.

Armeniorum consuetudo extra Ecclesia fores orandi.

Græcorum prop. 8. Quærimus, ut recipiatis quartum, quintum, sextum & septimum Concilium Generale.

Armeniorum responsio. Definitio, & causa quarti Concilii reperitur inter nos; quod quidem concors est cum tribus aliis præcedentibus: idcircò & à nobis jam receptum est. Cum verò nos de aliarum etiam Synodorum definitionibus, & causis certiores feceritis: illasque suprascriptæ confessioni, & tribus prioribus Conciliis concordes, atque consonas inve-

Sacra Synod° Chalcedonensis recepta fuit à toto Concilio Tarsensi Arm.

invenerimus, excipiemus cum amore.

Græcorum prop. 9. Quærimus, ut vestri Patriarchæ promotionem, ex Græcorum duntaxat Imperatore faciendam ratam habeatis.

Armeniorum resp. Præsens Articulus, etsi postremus in ordine, virtute tamen continet omnes alios præcedentes: quoniam istud, si ita quidem evenerit, hancquam modò pacem adstruimus, confirmabit, immò magis, magisque augebit: sin verò minus; licet nos jam conferamus in præsentia, nullos tamen horum seminum fructus dehinc collecturos, speramus. Cujus rei exemplum haud quidem in hisce solùm corporeis rebus, sed in illis etiam supernæ sapientiæ consiliis experimur. Quandoquidem volens olim Deus hominem ab ipso separatum lucrifacere, hæc studiosâ inventione molitus est: abstulit á nobis veterem legem, Prophetas, dona, ipsas quoque cœlitùs intentatas minas deposuit; quippe quæ omnïa lapsum jam hominem recuperare nequiverant. Sed alia rursus nova salutis nostræ mysteria voluit exhibere: nempe consubstantiale sibi Verbum mittens in mundum, cum nostra illud natura copulavit: idemque jam hominem factum, sibimet ipsi secundum divinitatem æquale, ad Empyreum super omnes cœlorum Principatus evexit, in dextra sua collocavit, ac demum Ecclesiæ sanctæ caput instituit, pro nobis, qui corpus ejus sumus, Sacerdotem in cœlis, & in terris gratiarum largitionem. Simili quoq; modo, & gens nostra perpetratione mali à vobis sive recta sive obli-

obliqua mente divisa fuit: unde nos hodie, Ecclesiarum inimicitiæ, & schismata quantum perniciosa fuerint experimur. Prospexerunt hoc etiam ante nos Patres vestri, & nostri singulis temporibus; quapropter ad pacem conciliandam defatigati sunt: ut venerabilis, strenuus, ac probus vester Patriarcha Germanus, qui litteras ad Armenios misit, spirituali charitate, atque fide orthodoxa plenas. Similiter & Patres nostri supra id ipsum conati sunt: Jeser enim Patriarcha tempore Heraclii Jmperatoris Ecclesiæ unionem composuit, quæ tamen non firma permansit: itemque Vahanus Patriarcha temporibus Basilii, & Constantini Jmperatorum; nec tamen pium illius desiderium valuit ulteriùs progredi. Venit etiam & Gregorius Vecaiaser ad vestram magnam Ecclesiam, & Jmperatorem Alexium; neque potuit unio conciliari. Post illos autem & nos quoque hodie digni reperti sumus, qui ad hoc divinum opus, & pacem animum adjiciamus: veremur tamen, ne fortè, cum minimè vobiscum corpore conjuncti simus, spiritualis hæc unio, uti aliàs sæpè contigit, iterum destruatur: quemadmodum virtus antiquæ legis adeo infirma fuit, ut homines cum Deo reconciliare nequiverit. Quamobrem cum aliquando, ad facinus hoc perficiendum, simplex consilii prioris inventum evaserit imbecille, deberetis nunc utique & in hoc seculi fine multiplicis sapientiæ Dei exemplum imitari: atque non secus ac illa, mutuam naturarum nostrarum conjunctionem confe-

S. Germanus Patriarcha Consta.

rere,

rere, sicque charitatẽ etiam nostram firmo, ac indissolubili vinculo devincere. Deberetis, inquam, Antiochenam Cathedram Patriarchæ Armeniorum desponsare: ut nimirum illius castissimæ Virginis, & intemerati hujus sponsi consortio, credere valeamus, unionem, inter has duas Nationes nunc initam, stabili deinceps esse charitate perduraturum. Et quidem spe maxima niteremur, quòd sicut Dominus N. Jesus Christus per corpus suum Genus humanum sub Dei Patris dominio mancipavit, ita pari quoque ratione & hic Patriarcha sanctam illam sedem, & Ecclesiam veluti corpus suum habendo, omnes alias Armeniorum Ecclesias sub Jmperatoris vestri potestatem redigeret, vestræque magnæ Ecclesiæ associaret. Nec verò credatis, quod principatus cupiditate flagrantes, hæc ita prælicenter vestræ communicamus Fraternitati. Absit ista suspicio à mente vestra; & à nostra tale coram adeò sapientibus, & perspicacibus viris delirium, sed animo certè simplici, ac nulla simulatione tecto, id vobis tranquillitatis desiderio tracti proponimus, tanquam firmum, atque stabile Ecclesiarum nostrarum concordiæ fundamentum. Quod si vobis nequaquam arriserit, maximoperè dubitamus, quin frustretur incœptum. Profectò spiritualis conjunctio inter eos, qui corpore præditi sunt, sine corporum communicatione nihil firmitatis habebit: haud aliter, ac lex antiquitùs à Deo lata justificare neminem potuit: sed nunc habentes Pontificem nobis consubstantia-

Petunt ut Armenia Patriarcha Cathedram Antiochenam possideat.

lem,

lem, Christum qui penetravit cœlos, sedetque ad dextram Patris, omnes certâm in eo spem collocamus; atque jugum præceptorum suorum, eo confortante, levissimum ducimus. Ad eundem itidem modum, ubi Patriarcha noster in una ex quatuor vestris Cathedris sedebit à dextris Græcorum Imperatoris Pontifex Antiochenus omnium quidem Armeniorum spes, fides, concordia per eum ad vos ipsos conferetur: immò & quodlibet jugum à vobis collo nostro imponendum, eo spem afferente, leve computabimus, habentes semper pacis mediatorem, communicantem vobiscum, qui illum, Regia electione creatum, pro libito in alium permutare possetis. Sin verò minus ita fiet: cum nos propter scelera nostra alienigenarum servi facti simus, atque sub duro ipsorum dominio, & ditione degamus; qui fieri unquam poterit, ut ad vestrum Imperatorem confugiamus, ab eoque Patriarchæ promotionem efflagitemus? ò utinam sic possibile foret. Quod si Paulus, Episcopum ab iis, qui foris sunt, testimonium habere bonum, adjudicavit: quantò etiam magis ab ista magna & sacrosancta vestra Ecclesia? Vos itaque, an hoc simpliciter impossibile sit, ex vobis ipsis justum dare judicium.

Sequuntur propositiones, quas Armenii postulant à Græcis.

1. Quærimus, ut omnes, qui crimen aliquod admiserint, de singulis ipsorum delictis, juxta Canonum decreta, judicentur; nec ordines in

in Ecclesia Dei suscipiant, nisi post accuratum examen.

2. Quotquot verò ex iis, qui ad ordines promoti sunt, deliquerint, judicio publico deponantur; & post condignam pœnitentiam locum sui ordinis inter collegas obtineant.

3. Membris mutuli, mancique & lymphatici, ad ordines ne admittantur, quacunque licet ex causa.

4. Ut sacrosanctum Sacrificium azimo pane perficiatur, juxta veram magnæ Romanorum Ecclesiæ atque nostræ traditionem.

5. Ut penitùs abusus ille tollatur, reliquias ejusdem Sacrificii sub terra asservandi; neque post consecrationem [quod si potiùs ad delectationem gustus, quàm ad mysterium Sacramenti] misceatur Eucharistiæ aqua calida.

6. Jejunia à Canonibus injuncta, nec à Regularibus, nec à Sacerdotibus esu piscium, aut vini potu solvantur.

7. Ut Patriarcha Armeniorum Antiocheni Patriarchatus potiatur; domineturque in omnibus illis Ecclesiis, & confinibus; quæ ejusdem Patriarchatus ditioni in orientali & occidentali Parte subduntur: ac prætereà ex Imperatoris vestri præscripto idem simul regat nunc & in posterum Gentem Armenam.]

Hactenus acta Concilii Tarsensis Armeni; quod tamen propter intempestivum Manuelis Imperatoris obitum suo fuit fine frustratum: nam affirmat Baronius ex Niceta, paulò ante obitum ab ipso Manuele curatum, celebrari Concilium in causa fidei; in quo pro- *Baron. anno. 1180.*

X

procul dubio de unione etiam cum Armenis agendum fuisse, nisi illud mors Imperatoris intercepisset, ex dictis manifestè conjicimus.

Ex Armena Historia.

LXV. *CAPUT XXIII.*

LXVI. DOminusGregorius, nepos Prædecessoris: annos 2.

Dominus Gregorius, præcedentium Patriarcharum Gregorii, & Nierfesis Ghelaiensis nepos; annos 7. obiitque in Urbe *Sisi.

** Urbs in Cilicia, ab Armenis Sis nuncupata.*

ANNOTATIO.

GRegorius hic, Patriarcha, Innocentio tertio Romano Pontifici, primo anno ejusPontificatus, per litteras gratias egit, quod ejus prædecessor Cœlestinus tertius Archiepiscopum Moguntinum ad Leonem Regem Armeniæ coronandum miserat; cui & ab Innocentio perhumaniter responsum fuit. Ejus autem epistolæ, de Armenico in Latinam interpetratæ, & in secundo libro ejusdem Innocentii positæ, sunt hujusmodi.

Apud Innoc. lib. 2. epist. 206.

Epistola, quam Gregorius Armeniorum Catholicus Domino Papæ Innocentio destinavit.

VObis, qui estis caput post Christum, consecrati ab eo, & caput catholicæ Ecclesiæ Romanæ, matris omnium Ecclesiarum; adeò prudentes, & sancti quòd debetis esse in loco Apo-

Apostolorum sublimis Papa: & vobis sanctis Archiepiscopis, Episcopis, Cardinalibus, Presbyteris, Clericis, & omnibus, qui sunt de vestra sancta Ecclesia, salutem, & fraternitatem. Pax Dei sit inter vos. Gregorius homo Jesu Christi, per gratiam Dei Catholicus totius Ecclesiæ Armeniorum, filius vestræ sanctæ Ecclesiæ, quæ est fundamentum legis totius Christianitatis.

Sciatis, quòd nos Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, & Clerici oramus Jesum Christum, qui est caput omnium nostrum, ut servet vos, & vestros ab omnibus malis: quia cum vos, qui estis caput, estis incolumes; nos, qui sumus corpus, benè valebimus per vestram benedictionem. Noveritis Domine, quòd ad nos venit nobilis, sapiens, & sublimis Archiepiscopus * Moguntinus, qui nobis attulit ex parte Dei, & ex parte sublimitatis Ecclesiæ Romanæ, & ex parte magni Imperatoris Romanorum sublimem coronam, & coronavit Regem nostrum Leonem; & nobis reddidit coronam, quam perdidimus à longo tempore, unde nos fuimus elongati à vobis. Et nos recepimus eam libenter, & cum magno gaudio; & inclinamus, & regratiamus Deo, & S. R. E. & alto Imperatori Romanorum. Sciatis, Domine, quod ipse nobis monstravit vestra præcepta; & nos ea multùm libenter audivimus, & libenter volumus legem & fraternitatem sublimis Ecclesiæ Romanæ, quæ est mater omnium Ecclesiarum: & nos solebamus eam habere, & nunc eam habemus, & libenter volu-

* *Idem erat S. R. E. Cardinalis Episcopus Sabinensis. Armenii corona Regni amiserant, ex quo tempore ab Ecclesia Romana obedientiâ se retraxerant.*

Armenii, Ecclesia Romana legẽ se prius habuisse, fatentur.

mus esse ad vestrum mandatum. Et firmiter sunt ad mandatum vestrum omnes Archiepiscopi, Episcopi, & omnis Clerus nostræ Ecclesiæ, qui sunt in nostris terris, & sunt multi per Dei gratiam. Et nos rogamus vos, ut oretis Deum pro nobis: quia nos sumus in ore draconis, & in medio inimicorum crucis, & inter eos, qui sunt naturaliter inimici nostri. Et nos vos rogamus per Deum, quatenus nobis mittatis tale adjutorium, & tale consilium, quod nos possimus conservare honorem Dei, & Christianitatis, & vestrum: quia postquam nos sumus vestri, & vos estis memores nostri, efficiatis tantum erga nos, quod nos gratias referamus Deo, qui nos redemit sanguine suo; & quod gratias agamus sanctæ Cruci Domini nostri, qui fecit totum mundum. Jesus Christus defendat vos, & omnes vestros ab omni malo, & nobis det vestram benedictionem.

Epistola, quæ ad præcedentem Gregorii Armeniorum Catholici ab Innocentio III. respondetur, deq; primatu Sedis Apostolicæ disseritur.

Ibidem epistol. 207.

Ex eo te radicatum in fide Catholica, & esse Catholicum non tam nomine, quàm merito, experimur: quod Apostolicæ Sedis magisterium recognoscens, eam Ecclesiarum omnium matrẽ, & nos caput universorum fidelium confiteris, sicut ex tuarum nobis inotuit

tuit serie litterarum. Nosti etenim privilegium Petri, quòd sibi Dominus universas oves suas pascendas vocabulo tertiò repetito, commisit, pasce, inquiens, oves meas; & super universos ei ligandi & solvendi contulit, potestatem, dicens ad eum: quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunq; solveris super terram, erit solutum & in cœlis. Nosti etiam prærogativam Apostolicæ Sedis, quæ per merita Beati Petri, & si non tempore, auctoritate tamen inter Apostolos primi, non constitutione synodica, sed divina, inter omnes Ecclesias magisterium obtinuit, & primatum: fundata super immobili fundamento, de quo Paulus inquit Apostolus: fundamentum positum est præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Jesus; & de quo Veritas in Evangelio inquit ad Petrum; super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferni non prævalebunt adversus eam. Petrus siquidem post Christum potest intelligi pastor unus, & Ecclesia universalis ovile unum: De quibus Dominus in Evangelio protestatur, alias, dicens, oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili; & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor. Sanè lapis ille angularis, quem reprobaverunt ædificantes, factus postmodùm in caput anguli, faciens utraque unum Judæorum populos, & Gentium nationes in unitate Christianæ fidei counivit, Ecclesiam ex utrisque constituens, non habentem maculam, neq; rugam:

quæ ne post ascensionem ejus secaretur in partes & ne unitúm in ejus fide, divideretur ovile, uni eam commisit Apostolorum Principi gubernandam, quem solum sibi Dominus & in officio vicarium, & in magisterio constituit successorem. Hoc autem tua fraternitas diligenter attendens, ac sciens quod secundum Apostolum omnes unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, Nos quos Dominus [licet immeritos] vicarios suos esse voluit, & Apostolorum Principis successores, caput Ecclesiæ confiteris; & te ac fratres, & Coëpiscopos tuos partem nostri corporis recognoscis; sciens, quòd sicut palmes non potest fructum facere à semetipso, nisi manserit in vite, sic & membrum & sensu caret & actu, si non in corporis permanserit unitate. Gaudemus ergo non modicùm, quod in fide Catholica perseverans, circa Nos piæ geris devotionis affectum, & filium te esse Apostolicæ Sedis innuis, dum eam esse matrem omnium protestaris, recognoscens à Nobis magisterium Ecclesiasticæ disciplinæ: quam & si receptam longo tempore priùs, ex parte tamen per venerabilem Fratrem nostrum Moguntinum Archiepiscopum, Episcopum Sabinensem, unum ex septem Episcopis, qui nobis in Ecclesia Romana collaterales existunt, suscepisse te gaudes, & desideras observare. Fuit autem & est magnæ tuæ devotionis indicium, quod eundem Archiepiscopum magnificè recepisti, & curasti non modicùm honorare, sicut & tuæ litteræ continebant, & ipsius

Nobis

Nobis relatio patefecit. Monemus igitur Fraternitatem tuam, & exhortamur in Domino, ac per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenùs in devotione sedis Apostolicæ firmiter perseveres & in lege Domini die mediteris, & nocte: quæ sanæ doctrinæ congruunt, prædicans; & quæ prædicaveris, quantùm Dominus permittit, adimples; ut in te nec operibus verba, nec opera verbis contradicant. Esto circa subjectos magister, ut doceas; ut corrigas, pater; mater, ut foveas; doceas minùs doctos, superbos corrigas, humiles foveas, & devotos; justitiam misericordiâ temperans & æquitatem in judicio non relinquens; &c. Datum Later. IX. Kal: Decembris.

Altera prædicti Patriarchæ Gregorii, & totius Ecclesiæ Armenicæ ad eundem Innocentium Papam: qua illi ob collatum Leoni regium honorem gratias agunt amplissimas, Sedis Apostolicæ dignitatem ac primatum commendant eique obedientiam exhibent.

In vita Innocentii III. lib. 5. ep. 45.

POst Deum, qui est caput omnium bonorum, Apostolicam Sedem tenenti, & summo capiti totius Ecclesiæ, & totius terrenæ Sedis, magno Christi confessori, primæ domui hospitalitatis totius populi, & religionis, & successori beati Petri majoris nati post Christum principis, & patris totius mundi, sedenti secundum Deum, & portanti Christum in corpore suo, Innocentio Dei gratia summo

Pontifici, & universali Papæ summæ sedis Romanæ Urbis, quæ imperiali triumpho universum mundum suo subjugavit dominio, & nostro in Christo Patri spirituali, tantæ Civitatis gloria sublimato, Gregorius minimus Episcopus, Catholicus omnium Armeniorum, peccator, & servus fidelium Christi, omnesque Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Sacerdotes, & Clerici sub nostro regimine viventes, orationes in Domino assiduas. Quia supra sedem dilecti discipuli Christi sedetis, universæque dominamini Europæ, eò amplius vos de jure venerari debemus; & quià Pater estis totius fidei Christianitatis, mandatū vestrum cum amore recepimus, & posuimus super oculos, & faciem nostram; & referimus laudes creatori totius mundi, & benedicimus Deum Patrem nostrum, qui dignatus est in nos tantum amorem habere, ut ipse amor noster fieret. Et post alia rursus: In Christo igitur gavisi sumus, quia Mater Ecclesiarum, quæ totum Orbem sua claritate irradiat, voluit Catholicam Ecclesiam Armeniorum bono corde respicere, & consolari. Eò namque quòd ita nos respexit gaudemus in Christo; nam oculi nostri nobis non dederunt malum exemplum ad instruendum fratres & subjectos nostros. Et infrà: De cætero Ecclesia Armeniorum per me, & per populum, tam majores, quàm minores, qui sunt in montibus & Abbatiis, simul manibus elevatis pacem à Deo exigimus & gratiarum actiones vestræ exolvimus Paternitati propter honorem quem

rex

rex noster triumphator à Vobis semper recepit. Nostræ itaque Parvitatis voluntas fuit, & est, & erit in perpetuum quòd quandiù Deo volente, hac dignitate freti fuerimus, dilectū in Christo filium nostrum Regem, omnes Barones, & fideles suos sub vestro dominio stare faciemus. Hinc est, quod precibus assiduis Vos precamur, ut non tradatis oblivioni ipsum Regem nostrum, vobis devotum, neque orientalem plagam, neque domum Dei; immò succurrite oppressis, prout Deus vobis inspiravit. Et inferius tandem: Recepimus ex parte Dei, & vestra remissionem peccatorum; & idem mandatum augmentavimus auctoritate Dei, & vestra omnibus sub Sacerdotio nostro constitutis, &c.]

His acceptis litteris, Innocentius officiosissimis verbis rescripsit, se Armenos arctissimo semper amore complexurum, omnibusque prosequuturum studiis; ac postquam brevi compendio recensuit, quæ ab eo receperat, hæc adjicit.

Nos autem, qui diligere debemus proximos sicut nos ipsos, de tuæ fidei púritate gaudemus in Christo, & te velut venerabilem fratrem nostrum, & magnum Ecclesiæ Dei membrum gerimus in visceribus charitatis, ac charissimum in Christo filium nostrum Leonem Regem Armenorum illustrem honorare disponimus; & universam Armenorum Ecclesiam, utpote filiam Sedis Apostolicæ specialem, confovere. &c.] *ibidem Epist. 46.*

Hæc Innocentius; qui etiam Sisensi Archiepiscopo Cancellario Armeniæ longè antea commendarat, ut in adducendos ad Romanæ Sedis obsequium Armenos sedulò incumberet: quòd ille, his redditis Sum̃o Pontifici litteris, lubenti animo spopondit, precibusque humillimis expetiit, ut sibi annulum, mitram, & pallium mittere dignaretur;

Apud Innoc. lib. 5. ep. 47. Quia in remotis partibus inter barbaricas nationes ad Dei servitium sumus constituti, & in propria persona vestrã nequivim⁹, quod moleste ferimus, visitare Paternitatem; flexis genibus cordis vestræ supplicamus sanctitati, ut nos non tradatis oblivioni; immò tanquam obedienti vestro mandatum vestrũ humeris nostris imponere non dedignemini; scientes nos ad omnia beneplacita vestra promovenda, & exequenda tam mente quam animo promptos, & paratos esse. Præterea nova vestra plana effecti, multa precum instantia exposcimus, ut in memoria dilectionis sanctæ Sedis Apostolicæ annulum, mitram & pallium nobis mittere dignemini; & ut eandem remissionem, quam peregrinis transfretrantibus pro Dei servitio conceditis, ex parte vestra militibus pugnantibus sub illustri Rege nostra contra crucis hostes pro honore, & defensione Christianitatis confirmare possimus, qui hujus remissionis gratia sumptis animi viribus in bello fiant audaciores.] Laudans Innocentius egregium illius studium erga Sedem Apostolicam, atque pallium &c. Goffredi, & Petri Cardinalium operâ ad

ipsum

ipsum se missurum pollicitus, his verbis respondit: Ei à quo bonum omne procedit, licet exiles, quas possumus tamen gratiarum exolvimus actiones, quòd tam pium tibi tribuit intellectum, & animum tum humilem inspiravit. Tibi quoque sicut venerabili fratri nostro magno Ecclesiæ Dei membro deferre proponimus, & preces tuas in his, quæ à nobis secundum Deum postulaveris, exaudire. Super eo autem; quod à nobis per tuas litteras postulasti, ut Fraternitati tuæ pallium destinemus, annuere, tuis desideriis cupientes, per dilectos filios Goffredum * tituli sanctæ Praxedis & Petrum tituli sancti Marcelli Presbyteros Cardinales, Apostolicæ sedis legatos, quos in terræ Sanctæ subsidium destinamus, pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, de corpore beati Petri sumptum, transmittimus; tibi ab ipsis, vel eorum altero juxta formam solitam, quam sub bulla nostra dirigimus, solenniter conferendum, &c. Dat. Lat.]

ibid Epist. 48.

*Al. Goffred

Extant aliæ plures epistolæ, à Leone Armeniorum Rege ad eundem Innocentium Papam missæ, & è converso in quibus quanta olim observantia, non modo in spiritualibus circa fidem, verùm etiam in ipsis secularibus rebus ex Armena universa Apostolicæ Romanæ sedi exhibita fuerit, manifestè inspicitur, ut ex aliquibus epistolis notatu dignioribus mox infra exponendis, videri potest.

LEO

apud Innoc. lib. 2. epist. 208.

LEO ARMENIÆ REX REVERENDISSIMO in Christo Patri & Domino, Jnnocentio, Dei gratia Summo Pont. & universali Papæ, tanto, ac tali honore Dignissimo.

De suo erga veram Religionem & sedem Apostolicam amore; & quod petat auxilium contra Sarracenos.

LEo per eandem, & Romani Imperii gratiam Rex omnium Armenorum, cum salutatione seipsum, & quicquid potest. Gloria, laus & honor omnipotenti Deo, qui Vos tantum & talem pastorem Ecclesiæ suæ præesse voluit, vestris bonis meritis exigentibus: & tam fructuosam, & firmam fabricam super fundamentum Apostolorum componere, & tantum lumen, super candelabrum positum, toti orbi terrarum, ad salutem totius Christianitatis effundere dignatus est. In vestri verò luminis gratia, salutaribus monitis Reverendiss. Patris nostri Archiepiscopi Moguntini, instructi & informati, omne Regnum nobis à Deo commissum, amplissimum, & spatiosum, & omnes Armenios, huc illuc in remotis partibus diffusos, ad unitatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, divina inspirante clementia, revocare cupimus, & exoptamus. Ad hæc calamitates, miserias, paupertates, & imbecillitatem Regni Syriæ, & nostrum, per ipsum prædictum Moguntinū [quia difficilior labor erat scripto retexere] Pietati vestræ patefacimus. Ipse verò per singula rei veritatem

tatem vobis explicabit: in cujus notitiam ista non præteriere. Hanc utique contritionem, & collisionem in valle destituti lacrymarum jamdiu sustinuimus; quod de cœtero sine spe subsidii, & auxilii vestri sustinere nequimus. Verùm quia Zelus domus Dei tepescere non debet in cordibus tam vestro, quàm nostro, non ut personam instruentis geramus, ejusdem domus decorem diligere, & pro eadem domo murum nos oportet opponere; ut impetus, quem super eam faciunt inimici Crucis, cooperante Dei gratia, collectis in unum animi viribus, resistendo excludamus. Hinc est, quod vestram flexis genibus imploramus pietatem, quatenus lacrymabilibus Domini Moguntini precibus, & nostris divino intuitu aures misericordiæ porrigatis: & miseriis Christianitatis compatientes subsidium Christianissimum nobis accurrendo mittatis antequam irremeabile, quod absit, incurramus diluvium; immò cum Dei, & vestro auxilio, evaginato ense, de Hur Chaldæorum, & persecutione Pharaonis liberari possimus. Datum Tarsi, año ab incarnatione Domini MCXCIX. mense Majo. die XXIII.

Innocentii III. ad præcedentem Leonis epist. responsio; qua laudat illius studium erga sedem Apost. cujus primatum demonstrat; hortatur, ut in obedientia ejusdem S. Sedis fideliter perseveret; & subsidium contra Sarracenos citò se missuram pollicetur. *ibid. Epist. 209.*

Is Ecclesiam suam congrgeatam ex gentibus, non habentem maculam, neque

rugam

rugam super gentes & Regna constituit, is extendit palmites ejus usq; ad mare, & usq; ad terminos terræ ipsius propagines dilatavit; cujus est terra, & plenitudo ejus, Orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo. Ipse etiam Romanam Ecclesiam, non solum universis fidelibus prætulit, sed supra cæteras Ecclesias exaltavit: ut cæteræ ab ea, non tam vivendi normam, & morum sumerent disciplinam, sed & fidei etiam catholicæ documenta reciperent, & ejus servarent humiliter instituta. In Petro enim Apostolorum Principe, cui excellentiùs aliis Dominus ligandi & solvendi contulit potestatem, dicens ad eum: quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum in cœlis: & quodcunq; solveris super terram, erit solutum in cœlis: Ecclesia Romana, sedes ejus, & Sessores ipsius Romani Pontifices, successores Petri, & vicarii Jesu Christi, sibi invicem per successivas varietates temporum singulariter succedentes, super Ecclesiis omnibus, & cunctis Ecclesiarum Prælatis, immò etiam fidelibus universis á Domino primatum & magisterium acceperunt: vocatis sic cæteris in partem solitudinis, ut apud eos plenitudo resideat potestatis. Non enim in Petro & cùm Petro singulare illud privilegium expiravit, quod successoribus ejus futuris usque in finem mundi Dominus in ipso concessit; sed præter vitæ sanctitatem, & miraculorū virtutes, par est in omnibus jurisdictio successorum; quos etsi diversis temporibus, eidem tamen sedi, & eadem auctoritate Dominus voluit præsidere.

Gau-

Gaudemus autem, quòd tu, ficut Princeps Catholicus, Apoftolicæ Sedis privilegium recognofcens venerabilem fratrem noftrum Moguntinum Archiepifcopum Sabinenfem, unum ex feptem Epifcopis, qui nobis in Ecclefia Romana collaterales exiftunt, benignè, ac hilariter recepifti; & non folùm per eum inftitutis falutaribus es inftructus, quibus juxta continentiam litterarum tuarum totum Regnum tuum licet ampliffimum defideras informari, & univerfos Armenos ad Ecclefiæ Romanæ gremium revocare; fed ad honorem, & gloriam Apoftolicæ Sedis, quam conftitutam effe novifti fuper gentes, & regna, diadema regni recepifti de manibus ejus; & eum curafti devotè, ac humiliter honorare: & nos per ipfum, & litteras tuas ad orientalis terræ fubfidium invitafti. Ei ergò, à quo eft omne datum optimum, & omne donum perfectum, qui habet corda Principum in manu fua, quas poffumús gratias referentes, quod tibi tantæ humilitatis animum infpiravit; rogamus Serenitatem Regiam, & exhortamur in Domino, ac per Apoftolica tibi fcripta mandamus, quatenus in timore Domini, & Apoftolicæ Sedis devotione perfiftens, ad expugnandam barbariem Paganorum, & vindicandam injuriam Crucifixi, tantò potentiùs, & efficacius ftudeas imminere; quantò fraudes & verfutias hoftium vicinius pofitus melius cognovifti: non in exercitus multitudine, aut virtute, fed de ipfius potiùs miferatione confidens, qui docet manus ad prælium, & digitos

digitus movet ad bellum; qui arcus fortium superat, & robore accingit infirmos. Jam enim per Dei gratiam ad commonitionem nostram multi Crucis signaculum receperunt, & plures Domino dante recipient, in defensionem orientalis Provinciæ opportuno tempore transituri. Jam etiam duo ex fratribus nostris de manibus nostris vivificæ Crucis assumpsere vexillum, exercitum Domini præcessuri. Confide igitur, & esto robustus, quia citiùs forsitan, quam credatur, orientalis Provincia subsidium sentiet expectatum. Dat. Lat. VIII. Kal. Decembris.

Innoc. lib. 2. ep. 247.

Idem Innocentius Papa ad Illustrissimum Regem Armeniæ. Quod ipsi transmittat vexillum beati Petri quo contra Crucis inimicos utatur.

POst alia tandem: Et tibi congaudemus, & Nobis, immò etiam universo Populo Christiano; quòd eum tibi Dominus inspiravit affectum, ut Apostolicæ Sedis instituta devotè reciperes & præcepta fideliter observares, & contra inimicos Crucis propositum illud assumeres, ut in eos vindicare cupias injuriam Crucifixi, & hæreditatem ejus de ipsorum manibus liberare. Nos igitur de tuæ devotionis synceritate confisi, ad petitionem dilecti filii Roberti de Margat militis, nuncii tui, in nostræ dilectionis indicium, vexillum beati Petri tuæ Serenitati dirigimus; quo in hostes Crucis duntaxat utaris, & eorum studeas contumaciam cum Dei auxilio suffragantibus

gantibus Apoſtolorum Principis meritis, refrænare. Datum Later. XVI. Kal. Januarii.

Leonis Armeniæ Regis ad Innocentium III. epiſtola, qua ad præcedentem reſpondet & privilegium ab eo petit.

Apud geſta Innoc. III. inſerta in Notis Franciſci Bosqueti in epiſtolas ejusdem.

POſt alia ſequitur: Paternitatis veſtræ litteras, quas per dilectum fidelem Nuncium noſtrum nobis direxiſti, eâ qua decuit reverentia, & devotione ſuſcepimus; & per earum ſignificata pleno collegimus intellectu, vos charitatis viſceribus Regiam Majeſtatem noſtram amplexari. Continebant etiam, quòd in devotione, & amore Apoſtolicæ Sedis perſiſteremus; & in hoc ſemper perſeverare cupimus, & optamus: & teſtis eſt rerum effectus, dum de omnibus negotiis noſtris ad Sedem Apoſtolicam appellamus. Miſiſtis autem nobis per eundem Nuncium vexillum ſancti Petri in memoriale dilectionis Sedis Apoſtolicæ, quod ſemper ante nos portari contra inimicos crucis ad honorem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ faciemus. Et infrà: Præterea nos obedientiæ vinculis de cætero Apoſtolicæ Sedi eſſe alligatos, non dubitetis; ea propter, ſi placet Sanctitati veſtræ, cuilibet alteri Eccleſiæ Latinæ nec volumus, nec debemus alligari. Hinc eſt quod Sanctitatem veſtram humiliter flagitamus, quatenus nobis litteras apertas mittere dignemini, ut non teneamur videlicet cum Latinis de terra noſtra de qualibet conditione, excepta Sancta Romana Eccleſiâ, cuilibet Eccleſiæ Latinæ: & quod non habeat poteſta-

tem, nos, seu Latinos de terra nostra excommunicandi, vel sententiam in Regno nostro proferendi super Latinos qualibet Ecclesia, excepta, ut dictum est, Sede Apostolica. Præsentium quoq; latorem, dilectum, & fidelem nostrum militem, nomine Garnere Teuto ad pedes Sanctitatis vestræ dirigimus; cui super his, quæ ex parte nostra vobis indixerit, tanquam Nobis ipsis credere, ne dubitetis. &c.

Inn. lib. 2. epist. 44. Ex indulto Regis Armeniæ à Domino Papa Innocentio III. sibi facto.

VOlentes igitur, quantum cum Deo possumus, Tuæ Serenitati deferre, & cum honestate nostra petitiones Regias exaudire; tuis precibus inclinati, auctoritate præsentium inhibemus, ne quis in te, vel Regnum tuum, aut homines Regni tui, cujuscunq; conditionis existant, qui mediantibus tamen ejusdem Regni Prælatis, Sedi Apostolicæ sunt subjecti, præter Romanum Pontificem, & ejus Legatum, vel de ipsius speciali mandato, districtionem Ecclesiasticam audeat exercere. &c.]

** Apud Innoc. III. lib. 2. epist. 240. & 241.* Sunt * insuper in eodem libro Innocentii Papæ aliæ ejusdem Leonis Armeniæ Regis litteræ; quibus ad ipsum Innocentium, ut ad supremum Judicem, pro Rupino Nepote suo appellabat de sententia, tanquam iniquè lata à Concilio quodam Antiocheno, per quam comes Tripolitanus declaratus fuerat legitimus hæres Principatus Antiocheni, & exclusus ipse Rupinus, Neptis Leonis filius, qui videbatur jure hæreditario debere illi succedere:

re: ad quas litteras respondit Dominus Papa Innocentius, Legatos se missurum, qui causam recognoscerent, & ex æquo deciderent. Cum præterea * idem Leo multa damna Templariis intulisset, atq; cum Tripolitano Comite inimicitias ducens, vires Christianorum in Syria labefactasset; monuit eum per metum censurarum Innocentius Papa, ut omnia Templariorum in integrum restitueret, & de damnis illatis satisfaceret; cæterùm cum Tripolitano honestis conditionibus super Antiocheno Principatu conveniret: quæ quidem omnia Rex ille, mandatis Innocentii obsequutus, effecit.

* lib 7. epist. 189 & lib 8. epist. 1. & 37.

Ex Armena Historia

CAPUT XXIV.

DOminus Joannes, qui ante annum, post electionem transactam, mortem oppetiit. LXVII.

ANNOTATIO.

JOannes, statim ac post obitum Gregorii sui prædecessoris creatus fuit Armeniæ Patriarcha, per manus Domini Petri, tituli sancti Marcelli Presbyteri Cardinalis, quem Dominus Papa Innocentius III. pro reformatione pacis inter Comitem Tripolitanum, & Rupinum illuc legaverat, sanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientiam, & reverentiam, juxta ipsius Innocentii formam præscriptam, solenniter coram omni Armeno Populo exhibuit: ut cõstat ex sequenti Leonis Regis epistola, & altera ipsius Patriarchæ ad Innocentium.

Apud gesta Innocen. III. inserta in notis Francisci Bosqnet. in epist. ejusdē.

LEONIS REGIS ARMENIÆ ad Innocentium III. epistola: qua ad obedientiam Apostolicæ Sedis Armenam Ecclesiam jam inductam significat.

POst alia sic habet: Dominus Joannes Catholicus, venerabilis in Christo Pater noster, cum quibusdam Suffraganeis suis & Clero: Nos cum Baronibus fidelibus nostris, & pluribus nobilibus peregrinis astantibus, quãta potuimus honorificentia, & veneratione ob vestri reverentiam suscepimus Dominum Petrum, tituli sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem, legatum vestrum. Sequentibus diebus de obedientia Armenicæ Ecclesiæ ad sanctam Romanam Ecclesiam, ad quam jamdiù laboravimus: divina auxiliante gratia, deliberavimus: & ad hoc cum multo labore induximus Ecclesiam Armeniæ tempore Pontificatus vestri meritorum vestrorum exigentiâ; ad quod Progenitores nostri multis transactis temporibus inducere nequiverunt: ut ipse Petrus Cardinalis, & rerum est testis effectus. Dominus Catholicus cum solennitate celebri obedientiam, & reverentiam per manus ipsi' Legati, secundum litterarum vestrarum formam & mandatum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ & vobis exhibens, pallium à Beatitudine vestra destinatum coram prædictis personis astantibus, cum devotione omni, & humilitate suscepit: promittens in ordine suo singulis quinq; annis per nuncios suos secundum capitularia Apostolica S. Romanam Ecclesiam visitare, tanquam matrem & magistram omnium Eccle-

Ecclesiarum; & in cismarinis Conciliis, seu in persona propria, seu per nuncios suos interesse; & quòd non deberent celebrari Concilia Ecclesiastica in cismarinis partibus, absente eo vel nuncio suo, ab utraq; parte statutum est. Quibus peractis, de reformatione pacis inter nepotem nostrum, & Comitem Tripolitanum tractatum fuit, &c.

JOANNIS ARMENIÆ PATRIARCHÆ ad Innocentium Papam, ejusdem Argumenti epistola. *Ibidem.*

Reverendissimo in Christo Patri, & Domino, Innocentio, Dei gratia Summo Pontifici, & universali Papæ, Joannes per eandem humilitatē Armeniorum Catholicus, Sanctitati vestræ devotus, & obediens, cum debita obedientia, & reverentia, plena salutis gaudia. Ex ineffabili providentia Domini nostri, á quo bonum omne procedit, Armenica Ecclesia, primatum & magisterium S. Rom. Ecclesiæ, à Deo sibi concessum recognoscens, filia ejus facta est devotissima; & Nos licet indigni ministri ipsius, accedente Domino Petro tituli S. Marcelli Presbytero Cardinali, legato vestro, ex injuncta sibi legatione, ad Partes Catholicatus nostri, ubi illi reverentiam cum Clero, & grege à Deo nobis comissō obviantes, quanta potuimus honorificentia illum suscepimus; & mutuis communicantes amplexibus, & alloquiis, per ipsius manus S. Rom. Ecclesiæ, & vobis secundùm literarum vestrarum tenorē, obedientiam & reverentiā exhibuim⁹; atq; pallium, à vestra Beatitudine *Armena Ecclesia obedientiam exhibet Ecclesiæ Romanæ.*

 dele-

delegatum, solennitate celebri, ac cum omni humilitate suscipientes, promisimus in ordine nostro singulis quinq; annis per nuncios nostros sanctam Romanam Ecclesiam, tanquam matrem, & magistram omnium Ecclesiarum, visitare, & in Conciliis cismarinis adesse; & quod in eisdem partibus Concilia celebrari nobis absentibus, vel nuncio nostro non deberent, ab utraq; parte statutum est. Institutiones sanctæ Romanæ Ecclesiæ in parte suscepimus, & in parte propter absentiam Suffraganeorum nostrorum, longè lateq; diffusam, inducientes; & quia non sine magna personarũ deliberatione hoc fieri poterit, convenientibus Prælatis nostris, vel majori parte Prælatorum in uno tempore constituto, ipsorum, ab assensu, ne in Ecclesia scandalum oriretur, institutiones vestras, in quibus concordaremus, suscipere proposuimus. Ad omnia igitur mandata vestra promovenda Nos fideles, & devotos invenietis executores, &c.]

Hæc Armenus Patriarcha Joannes ad Innocentium Papam de obedientia, ab Ecclesia Armena Apostolicæ Romanæ Sedi exhibita. Verùm cum deinde eadem noluisset Ecclesia dare operam, ut re, exituq; præstaret quicquid de institutionibus S. R. E. suscipiendis, suisq; abjurandis erroribus spoponderat; quid evenit justo Dei judicio? Tartari haud multò post, nempè Honorio III. prædicti Innocentii successore, Sum̃o Pontifice, occupatis Georgianorum Provinciis, in Majorem irrumpunt Armeniam, eamq; suæ ditioni subjiciunt.

Cujus

Cujus excursionis mentionem faciens Vincentius Bellovacensis, qui eodem tempore vixit, hæc habet: *Bellov. spec. hist. lib. 30 cap. 95 & 97.*

Año ab incarnatione Domini 1221. Tartari Georgiam intraverunt, eamq; vastarecæperunt. Post Georgiam autem intraverunt Majorem Armeniam, & vastaverunt, sibique subjecerunt. In Armenia est Civitas nobilis, quæ Am vocatur, ubi sunt mille Ecclesiæ, ac centum mille familiæ, quam Tartari ceperunt in 12. diebus; est etiam ibi prope eam mons Ararath, ubi requievit Arca Noæ; & in pede montis illius est prima civitas, quam ædificavit Noe; & vocatur hæc civitas Laudumie: circa illam defluit fluvius Arathosi, qui fluit per mediam Mongam, ubi sunt in hyeme Tartari, usque in mare Servanicum. Est autem mons iste, videlicet Ararath, excellentissimus; nec unquam illuc ascendisse dicitur homo, nisi Monachus unus. Ille siquidem quodam devotionis, ut dicitur, ardore commotus propter Arcam Noes, quæ ibi requievit, multotiens illuc ascendere, quibus potuit conatibus, attentavit. Cumq; aliquam montis partem ascenderat, & membra corporis fatigata quieti dabat, semper post quietem evigilans in pede montis se inveniebat. Tandem verò Dominus ejus affectui condescendens, ejusq; votum, & orationes exaudiens, per Angelum suum eum monuit, ut semel ascenderet, ita tamen, ut de cætero ascendere nullatenus attentaret. Tunc ergo securus ascendit; & posteà descendens, inde secum ex Arca unum asserem detulit. Tunc

Tartari occupãt Majorem Armeniam.

Monachus ascendit montem Ararath, studio visendi Arcam Noe.

Tunc in montis pede monasterium ædificavit, in quo eundem asserem, tanquam pro sacris reliquiis, devotè collocavit.]

Hucusque Bellovacensis; qui deinde digreditur ad errores Armeniorum ejusdem temporis recensendos. Quamvis enim multos ex pristinis illis erroribus, quos suprà tum ex aliis Auctoribus, tum ex S. Nicone retulimus, * Armenii ejusdem Niconis prædicatione, & diversis Romanorum Pontificum suasoriis litteris, à suis eliminaverint regionibus; nunquam tamen à reliquis, quibus ad hæc usque nostra tempora pertinaciter implicantur, exurgere valuerunt, & si ad eos etiam exterminandos non semel deinceps Concilia coëgerint, ut infra videbimus: undè nec sanè mirandum, si crebro, ac nullo ferè prætermisso temporis intervallo, ob suam durissimam pertinaciam, Omnipotentis senserint ultionem. Quinam verò tales fuerint errores, ut singulos singulis temporibus referamus, ab eodem Bellovacensi * sic accipe:

** Cap. 18. n. 15.*

** Ibid. cap. 98.*

Errores Armeniorum.

Armeni quidem in Sabbato Paschæ comedunt ova, & caseum in vespere: dicunt enim, quod Christus resurrexit in vespere sabbati Paschæ. Item post Pascha comedunt carnes per omnes sextas ferias; quæ sunt septem, videlicet usq; ad Pentecostem. Diem Natalis Domini nesciunt, nullaque festa, vel vigilias custodiunt, nec quatuor tempora noverunt. Per totam Quaragesimam nec celebrant, nisi die Sabbati, vel dominica; quia dicunt, hominem jejunium frangere, quotiens celebrat.

Propter

Propter hanc etiam causam in sextis feriis non celebrant, ne scilicet jejunium frangant. Diebus autem, quibus carnes comedunt, celebrant, quia tunc non jejunant.

Multa verò faciunt jejunia: in septimana ante septuagesimam, quia dicitur jejunium S. Sanguinis, à secunda feria usq; ad Sabbatum jejunare incipiunt, & in sabbato, & in dominica die carnes comedunt. Idem in hebdomada sequenti faciunt. In quartis & sextis feriis oleum,& pisces non comedunt,nec vinum bibunt, nec etiam per totam Quadragesimam. Magis illum peccare, qui in Quadragesima comedit pisces, vel oleum, aut bibit vinum, asserunt, quàm illos, qui ad Lupanar vadunt. Porrò in septimana ante quinquagesimam ita strictè jejunant, quòd in secunda feria penitùs abstinent: in die Martis tamen aliquid sine oleo, & vino manducant; & in die Mercurii iterum jejunant: in die Jovis comedunt semel: & in die Veneris omnino nihil; & in Sabbato comedunt carnes: & hoc quidem jejunium faciunt majores.

Infantes autem duorum mensium sacrificio communicant, & quoslibet indifferenter. In sacrificio aquam non apponunt. In Lepore & Urso & Corniculis, & hujusmodi judaizant; & in calicibus vitreis, & ligneis celebrant. Quidam etiam celebrant sine paramētis, & sacerdotalibus vestimentis omnino, quidam cum Infula; quidam cum diacono & subdiacono. Sed si aliquod festum in sabbato, vel dominica eveniat, comemorationē ejus faciūt tantùm sed nullū, ut dictū est, celebrāt festum.

De Purgatorio nihil credunt: etsi uxor alicujus adulteraverit, statim Episcopus dat ei licentiam accipiendi aliam; & accipit. Monachi quoque, & Abbates, & Episcopi potationibus vacant etiã, plus quam Laici. Sunt etiam Monachi ac Presbyteri publici usurarii & symoniaci; multique illorum Sacerdotes in divinationibus errant, & inspectione granorum, & hujusmodi: dicuntque, quod uxor Sacerdotis eo mortuo non potest de cætero maritari. Prætereà nullo modo concedere volunt, quod Christus duas naturas habuit:] Sic Bellovacensis de erroribus, quibus tunc Armenii tenebantur: ex quo etiam Sanctus Antonius eosdem ad verbum refert.

Ex Armena Historia
CAPUT. XXV.

LXVIII. DOminus David, adversarius Prædecessoris, qui sedit annos 2.

LXIX. Dominus Joannes annos

LXX. Dominus Constantinus Pazerpertensis, annos 47.

ANNOTATIO.

ANno Domini 1238. quo tempore in Cilicia Constantinum Pazerpertensẽ Patriarchali Armeniorum Cathedræ præsidentem calculo subducimus, Antiochenus Patriarcha graves apud Sedem Apostolicam detulit querelas, quod Armenorum Archipræsul, Catholicus nuncupatus, qui in Antiochena Diœcesi

unà

unà cum suo Populo degebat, ab Antiocheni Patriarchatus obedientia præter morem se retraxisset. Quapropter Gregorius IX. Pontifex Romanus Apamiensi, & Mancestano Episcopis, ut illum ad officium debitum inducerent, per has litteras commisit. lib. 12. ep. 198.

Venerabilis Frater noster Patriarcha Antiochenus proposuit coram Nobis, quòd licet tota Armenia in Patriarchatu Antiocheno consistat, Armenorum tamen Prælatus, qui Catholicus vulgariter appellatur, subesse contemnens, debitam ei, & Ecclesiæ Antiochenæ obedientiam, & reverentiam denegat exhibere. Quare Nobis humiliter supplicavit, ut procedi contra eundem Armenum secundum notata generalis Concilii mandaremus. Cum igitur in uno, eodemque Patriarchatu duo capita esse non debeant, quasi monstrum; mandamus, quatenus ad eundem Catholicum personaliter accedentes, ipsum moneatis attentiùs, & efficaciter inducatis, ut eidem Patriarchæ, & Ecclesiæ, ut tenetur, obediat humiliter & intendat. Quod si monitis vestris acquiescere fortè noluerit: quicquid duxerit proponendum, quare ad id se asserit non teneri, vestris Nobis litteris fideliter intimetis; ut super hoc, auctore Domino, congruum remedium apponamus. Datum Later. VI. Kal. Julii.]

Anno verò sequenti idem summus Pontifex, Leonis Armeniorum Regis, ac Reginæ petitionibus satisfaciens, veteres quasdam laudabiles consuetudines hoc eis diplomate ibidem Reg. post Ep. 391.

firmas

firmas, atque ratas fecit: Vestris supplicationibus inclinati, rationabiles consuetudines vestras in Regno Armeniæ à tempore felicis recordationis Beati Silvestri Papæ Prædecessoris nostri, & Sancti Gregorii Catholici * ejusdem Regni, qui contemporanei extitisse dicuntur], obtentas, inviolabiliter observatas, quæ sanctorum Patrum regulis minimè contradicunt, & canonicis non obviant institutis, vobis & per vos eidem Regno auctoritate Apostolica confirmamus.]

* *Hoc est Generalis Patriarcha ejusdem Regni.*

lib. 12. *ep.* 394. Alio quoque diplomate, ipsis Regi, ac Reginæ concesso, idem Dominus Papa Gregorius amplissimam peccatorum veniam iis, qui in bello contra Sarracenos obirent, attribuit. Ac demum prædicto Armeniorum Patriarchæ pallium aliaque pontificalia ornamenta, quæ ille per nuncios in suæ erga Sedem Apostolicam devotionis argumentum petierat, per eosdem misit cum hac epistola:

ibid. Epist. 398. Ut Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, utpote caput omnium Christi fidelium, & magistram, tanquam matrem filius reverenter amplectens, beato Petro, & nobis, qui eidem Ecclesiæ dispositione divina, licet insufficientibus meritis, præsidemus, nostrisque successoribus canonicè substituendis obediens, semper fidelis, & devotus existas; quibusdam petitionibus per nuncios tuos ex parte tua Nobis exhibitis, ad gratiam exauditionis admissis, petitum à te pallium, & tuo, quod olim Antecessoribus tuis fuit ab Apostolica Sede concessum, jam quasi præ nimia vetustate

consumpto, sicut iidem nuncii exponere curaverunt, nec non mitram, stolam, & annulum, in signum Apostolicæ dilectionis & gratiæ, ac tuæ devotionis indicium, Fraternitati tuæ per nuncios mittimus antedictos: aliàs tibi velut honorabili membro Ecclesiæ prænotatæ, in quibus cum Domino poterimus, propitii & favorabiles affuturi. Datum Later. VI. Idus Martii]

Hæc itaque anno Domini 1239. facta sunt. Dein verò paulo post annum 1242. contigit mors coronati Regis Armeniæ Leonis, cujus quidem regnandi fidem, ac primordia in Minori Armenia, summatim perstringens ejusdem temporis scriptor Bellovacensis, in hæc retulit verba. *Spec. hist. lib. 31. cap. 20.*

Minor Armenia alio nomine ab antiquo vocatur Cilicia, & inter Turciam, & Syriam est sita. Ibi est Tarsis civitas Archiepiscopalis, de qua Paulus Apostolus fuisse se dicit. Ibi quoque est Armeniorum Catholicon, id est universalis eorum Episcopus. Hujus Armeniæ regnum acquisierant paucis ante temporibus duo fratres de Majori Armenia, Leo scilicet, ac Robinus. * Et Robinus quidem, major natu, prior in ea regnavit, vel potiùs præfuit; moriturus verò regnum, & filiam suam, ejusdem videlicet Regni hæredem, fratri suo Leoni commisit, ejusq; fidei credidit: at ipse Leo regnum in seipsum retorsit quin potiùs de Baronia regnū sibi facere voluit; nam anteà ut dicitur, ** Alias Rupin'.*

Rex ibi non erat, sed Baro, qui Sultano Turciæ sub tributo serviebat. Itaq; ad petitionem ipsius Leonis, avus Domini de Trousot perrexit ad Curiam Romanam, & ad Imperatorem Ottonem, petens ab ambobus, ut ipsum in legium hominem reciperent. Ecclesia verò sub conditione, salvo scilicet hæredis jure, recepit ipsum in legium hominem, & Otto similiter. Porrò Archiepiscopus quidem Theutonicus, videlicet Moguntinus attulit eidem Leoni coronam, sub tali conditione, ut omnes pueros, infra duodecim annos existentes, ipse Leo poni faceret ad literas Latinas. Tunc ergò Rex Leo dedit Ecclesiæ in dotem casale Estelicæ, Castrum Paperon, & alia multa casalia, pluraque alia: hæc autem omnia juraverunt Barones se firmiter servaturos. Factum est autem hoc, * Anno Domini 1242. Porrò idem Leo ter infirmus ter fecit omnes Barones suos Robino nepoti suo jurare, tanquàm vero, & ultimo Domino suo, & justo hæredi regni Armeniæ; filiam tamen suam, cui regnum relinquere disposuerat, fratri Antiocheni Principis in conjugium dedit, & posteà ipsum dolosè interfecit. Ipso autem Leone mortuo, quidam Baro ejusdem Armeniæ Constans nomine filiam ejus violenter rapuit, & postmodum eandem invitam filio suo Haytoni matrimonio copulavit, eiq; cum illa regnum tradidit. Porrò filiam Robini, quæ regnum hæreditario jure possidere debuit, Philippus miles de Monteforti uxorem accepit; unde & meritò ad illud aspirat, ipsumque, ut justum est, acquisitu-

**Nempe donatio facta Ecclesiæ & juramentum Baronum.*

Hayton succedit Leoni in regno Armeno.

rum

rum se sperat. Idem etiam Constans diversis dolis, & machinamentis 62. Barones Armeniæ Majoris interfecit; Sultani quoq; Turciæ matrem atque sorores, quas idem Sultanus ipsi, tanquam suo homini legio, ac fideli, utpote Christiano, causâ refugii miserat à facie Tartarorum, ipse revera infidelis, & iniquus misit eisdem Tartaris in favorem ipsorum: & ille quidem in ipso itinere dicitur obiisse. Itaque Sultanus ipse terram ejus intravit, & Urbem Tarsum obsedit; sed ibidem infirmatus, mortuus est, & in Urbe regali Satellia sepultus.]

Hactenus Bellovacensis de Rege minoris Armeniæ: qui [ut idem testatur] Sultano Turciæ tributum adeo onerosum pendere olim solebat, ut non modò singulis annis in 300. lanceis per quatuor menses ei deserviret, & pecuniæ, quam in suo cudebat statu, medietas ipsius esset Sultani; verùm etiam [sed hoc impiissimum] efficere teneretur, ut Mahometica lex in sua majori Civitate semel in anno proclamaretur. Nec solus Armeniæ Rex, sed universi ferè Principes Orientis aut simili, aut etiam graviori tributo solvendo erant obnoxii. Illud porro mirandum: cum tanti Imperii principatu Sarracenorum Sultanus ille se gloriabundus efferret; Romano tamen Pontifici, quamvis infidelis, summum deferebat honorem. Sultanus iste [subdit prænotatus auctor] faciebat se proclamari dominum totius mundi; & quando filius ejus fuit natus, clamari fecit, quòd natus esset filius fu-

Bel. Spec. hist. lib. 30. cap. 144.

ibidem.

us solis: nunquam ibat cum minori societate, quàm decem millium hominum; Cumq; adhuc esset in majori posse suo dixit Domino de Lambro, quod ipse in persona propria volebat ire ad Papam, eiq; reddere totam terram suam, dum tamen quiete possideret arcem unam: & hoc quidem statim fieri voluisset, nisi Dominum de Lambro ab Admiraldis interfici timuisset. Itaq; Dominus de Lambro consuluit ei, ne iret, sed potius mitteret. &c.

Verùm quo pacto iidem posteá Sarraceni, sub quorum armis succubuerant toties Christiani, rapidissimis attriti fuerint victoriis á Tartaris, consilio, auxilioq; Haytonis Regis Armeniæ, qui Leoni in Regno successerat; accuratissimè describit Aytonus, Curchi Princeps, regia Armenorum stirpe oriundus, qui iisdem vixit temporibus, ut ipse testatur, ac dein ætate provectior, Præmonstratensium Religionem ingressus, rerum Orientalium historiam ad Clementis V. Rom. Pontificis gratiam composuit: cujus quidem verba hæc ipsa sunt.

Ayto hist. Oriental. p.2.c.9. apud Ramusium tom.2.

Anno Domini 1253. Hayton Rex Armeniæ de suorum sapientum consilio ire statuit ad Tartarorum Imperatorem, ut facilius ejus sibi benevolentiam, & amorem conciliaret; pacemq; cum eo sempiternam componeret. Ut autem accedendi facultatem ab ipso priùs obtineret Imperatore, quò illuc posset securiùs proficisci, allegare ad illum voluit anteà fratrem suum Sinibaldum, Comitem Stabuli regni Armeniæ. Is ergo, assectatoribus comitatus

[illegible]egregiis, multaq; secum deferens mune[illegible], ad Tartarorum Imperatorem se contulit: [illegible]; apud eum injunctæ sibi legationis mu[illegible] absolvisset, quadriennii jam confecto iti[illegible], reversus est; & Regi quicquid ibi vide[illegible], ac fecerat, singulatim renunciavit.

Armeniorum Rex proficiscitur ad Imperatorem Tartarorum.

Tunc Hayton, Rex Armeniæ nullum in[illegible]mittens temporis intervallum, eandem ar[illegible]pit viam, occultè tamen, veritus, ne in Re[illegible]gione Turciæ, quâ ipsum pertransire oporte[illegible], cognitus haberetur. Sed cum, eo ipso [illegible]pore, Sultanus Turciæ divino fuisset con[illegible] superatus, profligatusq; à quodam Tar[illegible]rorum Duce; ad hunc statim Rex Armenus accessit, ac sese illi manifestavit; qui accepto, quod ad suum proficisceretur Imperatorem, [illegible]tanter, honorificeq; ipsum excepit, atq; ad Cumaniæ usq; regnum, quod erat trans [illegible]riam ferri, securum ei jussit comi[illegible]tum præ[illegible]. Alios quoq; deinceps idem Rex offen[illegible] obiter Tartarorum Duces, qui similes illi [illegible]tes præbuerunt per omnes terras, ac loca, [illegible]usq; tandem pervenit ad Civitatem Cam[illegible], ubi Mango Chan, Imperator Tartaro[illegible], residebat. Is ergo, cum intellexisset Ar[illegible] Regis adventum, magnam percepit læ[illegible]; ex quo enim tempore Cangio Chan [illegible] montem Belgian, nullus ad ipsum [illegible]endum Princeps advenerat ejusmodi. [illegible]obrem honoribus illum excepit amplis[illegible], cui & nonnullos ex suis primoribus au[illegible] addixit socios, ut eum, quocunq; ire vel[illegible] [illegible] affectarentur obsequiis. Postquam autem

Tartarorum Imperator Armenum Regem gratanter excipit.

Rex Armeniæ fruitus ibi fuit quiete diebus aliquot, Imperatorem rogavit, ut è negotiis, quorum causâ venerat, ipsum expedire, ac redeundi facultatem tribuere dignaretur: Cumque Imperator perhumaniter respondisset, se nimirùm ejus voluntati animo libenti obsequuturum, ea maximè de causa, quod sua sponte ad ipsius veniens Imperium, honore ipsum affecisset singulari; septem tunc illi Rex petitiones exposuit.

Rex Armeniæ VII. petitiones exponit Imperatori Tartar.

Primò petiit ut ipsimet imperator, cunctis aliorum Sectis posthabitis, ad Christi fidem converteretur, ac simul cum sua gente baptizaretur. 2. Ut firma atq; perpetua pax inter Tartaros consisteret, & Christianos. 3. ut in omnibus terris, à Tartaris occupatis, aut occupandis, tam Christianorum Ecclesiæ, quam illarum Clerici sive regulares, sive seculares, à quolibet servitutis jugo, aut vectigali essent immunes. 4. ut è manibus Sarracenorum terram sanctam, sacrumque Christi Sepulchrum eriperet, & Christianis restitueret. 5. Ut in excidium Caliphæ de Basdach, * qui caput erat, & dux Sectæ perfidi Mahometis, sedulò naviterque incumberet. 6. Ut omnes Tartari, præsertim viciniores Regno Armeniæ, tenerentur ipsi Armeno Regi suppetias ferre, quotiescunque hic eas deposceret. 7. Tandem, ut omnes civitates, Regis Armeniæ ditioni subjectæ, quæ priùs occupatæ à Sarracenis, dein ad Tartarorum venerant manus, eidem denuò Regi restituerentur: illas etiam, quas deinceps idem Rex supra Sarracenos acquireret

** Hoc est Babylonis.*

tes, pro se retinere, ac in pace possidere possit.

His itaq; Regis Armeniæ postulationibus auditis, Mango Chan suos undique Barones, & Consiliarios convocavit, iisque unà cum eodem Rege præsentibus, sermonem hunc habuit: Cum Rex Armeniæ è remotissimis Regionibus ad hoc nostrum Imperium, non coactus, sed sponte venerit sua; nostram sanè decet Imperatoriam Maiestatem, ejus petitionibus, præcipue iis, quæ justæ, honestæque sunt obsecundari. Tibi ergo Regi Armeniæ respondemus, Nos, tua omnia postulata suscipientes, ut eadem Dei auxilio exequutioni mandentur, esse curaturos. Quapropter ego primum Tartarorum Imperator, ac Dominus, volo baptizari, eandemq; fidem, quam nunc Christiani observant, profiteri; cunctos etiam qui meo subduntur Imperio, hoc ipsum ut faciant, adhortabor quidem, sed vim eis non inferam. Lubet præterea inter Christianos & Tartaros, pacem esse perpetuam, dummodo Nobis, pro certo polliceamini, ita esse Christianos erga nos, uti nos erga ipsos, eandem pacem, concordiamq; inviolabiliter servaturos. Volumus insuper omnes Christianorum Ecclesias, & Clericos earum, cujusvis conditionis existant, frui privilegio libertatis, nec ullam eis molestiam à quocunq; inferri. Quod verò ad rem attinet Terræ Sanctæ, nisi aliis hic præpedir[illegible]ur negotiis, Nosquidem ipsi, ob reverentiam Domini nostri Jesu Christi, personaliter veniremus: interim Haloono

Ab eodem Imperatore satisfit petitionibus Regis Armeniæ.

Eximium propositum Imperatoris Tartar[illegible] erga D. N. J. Christ.

fratri Nostro hac de re mandata dabimus, ut ipse illam aggrediens, ad exitum pro dignitate perducat, & civitatem Hierusalem cum universa Terra sancta è Sarracenorum manibus liberet, & reddat Christianis. Super negotio Caliphæ de Baldach, mandabimus Baydo, Tartarorum in Regno Turciæ commorantium Duci, nec non aliis circa Regiones illas existentibus, ut omnes fratri nostro Haloono obediant, à quo dictum Calipham disperdi volumus, tanquam infensissimum, ac pessimum inimicum nostrum. Subsidium quoque quod Rex Armeniæ exposcit à Tartaris, præcipimus, ut ei juxta petitionem propriam præbeatur. Gratia denique speciali illi concedimus, ut pro majori augmento & securitate Regni ipsius, omnes illæ terræ suæ ditionis, quæ captæ priùs à Sarracenis, fuerunt deinde á Tartaris occupatæ, statim ei restituantur.

Mango Chan Imper. Tart. baptizatur ab Armeno Episcopo.

Postquam igitur Mango Chan satisfecit postulationibus Regis Armeniæ, easque privilegio confirmavit, voluit Sacramentum Baptismi suscipere, & baptizatus fuit ab Episcopo quodam, Cancellario Regis Armeniæ, qui totam etiam Imperatoris familiam, tam viros, quàm mulieres, & multos Nobiles ac Principes baptizavit. Posthæc idem Imperator designavit eos, qui pro subsidio terræ sanctæ fratrem suum Haloonem sequi deberent. Is itaq; copioso instructus exercitu se viæ commisit unà cum Rege Armeniæ, trajectoque magno flumine Phison omnes undique Regiones, ac terras invasit; & antequam sex mensium spatium

Ayto. hist. or. par. 2. c. 10 apud Ramusium tom. 2.

[illegible] laberetur, universum Regnum Persarum quod tunc Domino & Rectore careret, facili-[illegible] subjugavit: cepit etiam Haloonus absque [illegible]stentia omnes terras usque ad Regionem [illegible]orum. Tum inferius: Tempore, quo Haloonus dabat operam custodiæ Regni Persarum, & obsidioni Castri Assassinorum, Rex Armeniæ facultatem ab illo petiit redeundi in Regnum suum, a quo jam dudum fuerat absens; & Haloonus eam illi concessit, cui etiam amplissima munera largitus est; præcepitque Baydo, residenti in Regno Turciæ, ut securum ei comitatum, usque ad Armeniæ Regnum præberet; quod ille diligenter executus fuit. Unde Rex Armeniæ, elapso trium annorum, & dimidii spatio, incolumis domum suam reversus est per gratiam Domini nostri Jesu Christi.]

Idem Imperator subdit suo Imperio Regnum Persarum aliasque provincias.

Rex Armeniæ revertitur ad suum Regnum

Hæc omnia Aytonus Armenus; qui etiam [illegible]to quemadmodum idem Rex Tartarorum Haloonus, Mangonis Chan Imperatoris frater, expugnata Baldacensi Civitate, captivum fecerat Calipham Babylonium, hæc alia subdit; Postquam Haloonus requievit per spatium unius anni capta nimirum Baldacensi [illegible] seu Babylone, nuncios misit ad Regē Armeniæ, ut veniret cum gente sua ad civitatem [illegible] in Regno Mesopotamiæ; quoniam [illegible] ad Terram sanctam, ut illam obtineret, & redderet Christianis. Quare Rex [illegible] in viam se dedit cum magno virorum [illegible]orum, equitum, atque peditum exercitu: quia tunc temporis regnum

ibidem. cap. 12.

Idem Rex cum suo Tartarorum

Exercitus pergit ad pugnandum contra Sarracenos in recuperationē Terræ ſanctæ.

Armeniæ in tam proſpero ſtatu erat, ut facere poſſet duodecim millia equitum, & quadraginta millia peditum armatorum; & ego, qui hoc totum meo tempore vidi, poſſum de eodem teſtimonium perhibere. Cum igitur Rex Armeniæ adveniſſet, uti mandaverat Haloonus, & ſuper negotio Terræ ſanctæ ſimul colloquium habuiſſent; ait Rex Haloono: Domine, Sultanus Aleppi obtinet Principatum totius Regni Syriæ, in quo eſt civitas Hieruſalem: mihi ergo videtur, Aleppi civitas eſſe primùm obſidenda; nam ſi illa veſtro ſubdetur Imperio, omnes alias terras faciliter obtinebitis. Valdè placuit Haloono conſilium Regis Armeniæ; undè obſidere fecit civitatem Aleppi, quæ cum fuiſſet muris circummunita, gentibus innumeris plena, & divitiis opulenta, eſſe validiſſima æſtimabatur. Viget hæc civitas hactenus florentiſſima Syriæ Metropolis, quæ totius Orientis forum negotiationis eſt, ac veluti oſtium, quo merces cujusvis generis ab Oriente in Occidentem importantur, & exportantur ultro citroque; in ea ipſe annum circiter commoratus ſum: fuit autem à Tartaris, & Armenis brevi tunc expugnata; quæ quidem victoria aliis cumulata eſt, Damaſco videlicet, & Syria in Tartarorum poteſtatem redactis anno Salutis 1260. Ut idem proſequitur auctor, qui tandem verbis hiſce concludit. His itaque peractis, de ſpoliis acquiſitis in capitione civitatis Aleppi Haloonus magnam contulit partē Regi Armeniæ, cui etiam quamplures terras conceſſit

Syria à Tartaris Armeniorum auxilio ſubiugata.

ibid. c. 13.

concessit ex iis, quas occupaverant. Unde Rex Armeniæ accepit plura castra regno suo vicina, & illa fecit muniri ad suam liberam voluntatem]

Adoranda hic planè divina providentia est, quæ ad evertendam Mahometicam superstitionem Armeniorum opera voluit, & industria uti. Hi quippè dum ab Occidentalibus, mutuis discordiis etiam tunc valde implicitis, justa non obtinebant auxilia, Tartarici Imperii vectigales se spontè constituentes, valuerunt & Tartarorum Principes ad Baptismi sacra amplectenda inducere, & eorum armis à Saracenorum tyrannide vindicari. Non modò enim, ut suprà vidimus, Mango Cham Tartarorum Imperator baptismali unda ab Armenis intinctus, Christianæq; militiæ ascitus fuit; verùm, quod etiam eorundem Rex Haloonus, sive Olaonus, uti à Sanuto vocatur, fuerit Christianis addictus, atque de nostra fide optimè senserit, quin à Romano Pontifice, ut supremo in terris Christi Vicario, sacra Baptismalia misso Oratore efflagitarit, docet insignis quædam epistola, ad eundem Olaonem data, quæ Romæ in manuscripto codice bibliothecæ, Vallicellanæ extat, nullo licet Pontificis, à quo exarata fuit, inscripta titulo: ejusq; initium est: Olaoni Regi Tartarorum Illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro. Exultavit cor nostrum in Domino. &c.

Sanut. l. 3. par. 13. cap. 7.

Vallicel. M. S. Sign. lit. C. n. 49. pag. 14.

Hominum porrò est adscribendum peccatis, si divinis posteà consiliis exitus non respondo-

sponderint. Etenim Haloono ob improvisam mortem fratris sui Mangonis in Orientem reverso, Bondocdar Sultanus Ægypti, validissimo Sarracenorum agmine collecto, in Guibogam Haloonis Præfectum, qui Hierosolymitanum Regnum acquirere, & Christianis restituere jussus erat, iram suam effundens, magnam in Palæstina de Tartaris victoriam retulit: dumque adversus illum iterum Haloonus, pluribus Armenorum, Georgianorum, Tartarorum militum copiis instructus, in aciem vocaretur, magno rei Christianæ exitio è vivis ereptus est. Hinc Sarraceni resumptis animi viribus irrumpunt in Syriam, ubi luctuosis Christianorum stragibus editis ac multis arcibus expugnatis, illã denuò in suã redigunt potestatem. Lugubris harum rerum eventus gravissimum attulit mœrorem Clementi IV. Summo Pontifici, qui anno Domini 1265. dum ad reprimendum infidelium impetus arma parabat occidens, Haytonem Regem Armeniæ ad promptum ferendum auxilium impellere conatus est sequenti epistola:

Ex Ayto. loc. cit. cap. 14.

Sarraceni iterum Syriam occupat.

Tom. 2. ep. 48. extat etiam in formular. Marin. F. bul. M. S. Vat. Arch. pag. 50.

Haytoni, illustri Regi Armeniæ Clemens PP. IV.

Quantò te Dominus in populo Christiano amplioris regni solio voluit honorari, tantò erectum altiùs obligavit ad sui cultum nominis dilatandum, & inimicos fidei Christianæ pervigilis curæ studio deprimendos. Nosti fili Charissime, quod cum multa cordis amari-

amaritudine nuper accepimus, quam insolenter irruit in Christicolas ille proditor, qui Sultanus Ægypti dicitur, Cæsaream violenter expugnavit, & Azotum, effuso sanguine Christi militum, & nonnullis ex eis, quod est multis morte lugubrius, captivitatis: propter quod inter damna communia Terræ sanctæ specialiter Hospitalariorum sancti Joannis graviùs cæteris, ut audivimus, Ordo perculsus, magnam vel maximam Conventus sui partem amisit: licet amissi dici non debeant, qui pro suo fragilitatis modulo, Crucifixo debitum impendentes obsequium, suæ biberunt calicem passionis. Verùm cum tu speciali, ut credimus, affectione dilexeris Ordinem memoratum, [quod in diversis casibus re ipsa dicteris comprobasse] Serenitatem tuam hortandam duximus, & rogandam, quatenus Fratribus ejusdem Ordinis, in tot & tantis angustiis constitutis, cum ab eis super hoc fueris requisitus, assistas efficacius consilio, & auxilio opportunis. Et licet pro iis specialiter te rogamus, nihilominus & pro omnibus te rogamus, qui in terrâ prædicta invocant nomen Christi: in remissionem tibi peccaminum suadentes, ut sic ad ipsos te habeas, ut dolore videaris injurias Crucifixi, & fraternæ charitatis illorum jungi consortio, a quib' in catholicæ professione fidei non discordas. Dat. Perusii VIII. Kal. August. Ann. I.

Militum S. Joannis ingens numerus ab infidelibus trucidatus.

Rex Armeniæ in professione fidei a Latinis non discordâs.

Paruisse Regem Armeniæ monitis Romani Pontificis, colligitur tum ex aliis ipsius Clementis Papæ litteris ad eundem Regem, & ad

Patriarcham Hierosolymitanum, suo loco paulò inferiùs, afferendis; tum etiam ex eo, quòd Rex ipse statim perrexit ad Tartaros, ut aliquod sibi subsidium contra Sarracenos adjungeretur. Cujus porrò abscessum sciens Ægypti Sultanus, in Armeniam, quò potuit citiùs, Sarracenorum immisit exercitum, qui eam longè latèque depopulatus est; atque e duobus Regis filiis alter cum plurima gente in acie cæsus, alter vinculis mancipatus fuit: quæ omnia paucis complectens Sanutus, ait: Et 12. Augusti, anni videlicet 1266. similiter unus fortis Admiraldus, percurrens terram Armeniæ, cepit unum de filiis Regis, alterumque occidit cum populo multo: & hujus novitatis causa fuit via Regis ad Tartaros. Hoc itidem ipsum luculentiùs ab Aytono Armeno subjectis describitur verbis: Bendocdar Sultanus Ægypti, favente sibi fortuna, Armeniæ Regnum magnoperè humiliavit: sciens enim, quod Rex Armeniæ cum multa gente iverat ad Tartaros cogitavit invadere Regnum Armeniæ; unde illuc misit Ducem quendā cum sua gente. Filii autem Regis Armeniæ, audientes Sarracenorum adventum, congregatis omnibus, qui poterant arma ferre, obviam illis progressi sunt, & pugnam viriliter inierunt. Fuit tandem Armeniorum exercitus debellatus; & ex duobus filiis Regis, alter occisus, alter verò in bello captus fuit. Sarraceni itaque ea victoria per universum regnum Armeniæ discurrentes, totam planitiem devastarunt, & multa bona secum inde asportarunt,

San. lib. 3. p. 12. c. 8.

Ayto. hist. Orient. p. 2. c. 16. apud Ramusium tom. 2.

[illegible] maximo Christianorum detrimento quo [illegible] multùm crevit inimicorum potentia, vi[illegible] Regis Armeniæ fuerunt notabiliter di[illegible].

Cum ergo Armenia gravissimis hisce cla[illegible] in extremum discrimen fuisset adducta; Haytonem Regem, mœrore depressum, & Latinorum auxilia implorantem solantur, ac [illegible]issimi subsidii pollicitatione ad constantiam erigunt hæ aliæ Clementis Summi Pontificis litteræ, biennio post a superioribus datis.

Tom. 2. epist. 328. extant etiam in formular. Marin. Ebuli, M. S. Archiv. Vaticã. pag. 54. & 289.

HAYTONI ILLUSTRI ARMENI REGI, Clemens PP. IV.

Iniunctæ Nos excitat servitutis Officium, doctrina Nos admonet Apostolica, ut ex paternæ compassionis affectu infirmemur cum infirmantibus, & cum scandalizatis uramur. Quod in tuis calamitatibus, Fili charissime, nuper plusquám vellemus experti, [: salvo tamen in omnibus divinæ beneplacito voluntatis, cui nos decet nostram in omnibus conformare:] casu liberorum tuorum, & excidio tuæ gentis, ac depopulatione Regionis auditis in multa cordis amaritudine, Regiæ Majestati compati, damnaq; tua, totiusq; populi Christiani jacturam recto judicio deputante, flendum credimus esse cum flentibus, consolationis divinæ expectantes benevolum solatium, qui post tempestatem tranquillum facit, & post mœrorem, & lacrymas exultationem infundit. Scimus quidem, quod & tota profitetur Ecclesia, te transmarinum Latinum

Rex Armeniæ sæpe Catholicis in Oriente præsidio fuit.

popu-

populum, ex variis nationibus inibi congregatum, diversis pro tempore tuis liberasse præsidiis, te civitatis Antiochenæ civibus in suis necessitatibus astitisse, te crucis hostibus totis viribus restitisse, te cœteris omnibus nationibus Francorum amicitias prætulisse, te Sedis Apostolicæ preces, & monita, seu mandata in omni reverentia suscepisse. Quis igitur præstolari non debeat, ejus tibi misericordiam affuturam, qui super te tot, & tanta flagella multiplicans, tuā voluit examinare constantiam, ut eò purior exeas de fornace, quò flamma fueris acerbiore purgatus? &c. Et inferius: Leva ergo ad cœlum oculos, & auxilium imminens patienter expecta, particulari subsidio interim destinato, quo terra valeat se sustentare. Nec te, tuosve terreat malè solida Babylonici * Sultani superbia, quam ad tempus ascendere permisit Dominus, ut elatum allidat graviùs: & populum fidelem humiliari voluit, ut gloriosiùs exaltaret. Demum Apocrisarios tuos benignè recepimus, & tuæ devotionis munera gratiarum actione prosequimur, tuis petitionibus, quantum licuit & decuit, exauditis. Dat. Viterbii XVI. Kal. Jun. anno III.

Idē Rex mandatis Apostolicæ Sedis obediens.

** Babyloniæ & Ægypti Sultanus.*

Clemēs PP. excitat Græcorum Imperatorem ad succur-

Ut verò ab Oriente promtiùs laboranti succurreretur Armeniæ, dum procingebatur interim Classis in Occidente, idem Clemens Michaeli Paleologo Græcorum Imperatori rescribens, illum exemplo Sancti Ludovici Francorum Regis excitat ad arma contra Sarracenos quam citissimè capessenda. Si pressuris,

ais,

... compateris Terræ sanctæ, si charissimi in ... isto filii nostri illustris Regis Armeniæ, ut ... ilis, damna deploras, tuum in hac parte ... endamus affectum; quem propensiùs uti- ... laudaremus, si affectui responderet effe- ... Ecce siquidem, si ex animo Crucis perse- ... inimicos, tempus imminet, satis pro- ... to tuo congruū. Jam quidem Charissimus in ... o filius noster Ludovicus, illustris Rex ... iæ se cum filio primogenito, & duobus ... sequentibus, Crucis charactere insignivit ... multis Comitibus, & Baronibus, militi- ... plebeis, &c.

rendum Armeniatom. 2. ep. 527.

Similiter etiam & Patriarcham Hieroso- ... mitanum, & Palæstinæ Proceres, ad Hayto- ... Armeniæ Regem, quibus pollent auxiliis ... andum, his adhortatur verbis: Cum chari- ... us filius noster, Rex illustris Armeniæ, Do- ... mino permittente, qui, quos recipit filios, cor- ... & castigat, per Babylonici furorem ex- ... us attritus graviter fuerit, & oppressus; ... eò digniùs in suis necessitatibus adjuvan- ... quo ad nostram devotionem se reddidit ... promptiorem; vestram devotionē ... dam duximus, attentiùs obsecrantes, ... us, salva terrarum vestrarum custodia, ... consilium & auxilium, quod poteritis, ... datis eidem, ad terram suam, si opus fu- ... & tam ei, quam dilecto filio Principi An- ... ad civitatem Antiochenam contra ... icos Christi defendendam. Dat. Viterbii ... Kal. Julii, anno III.

ad idem hortatur Patriarcham Hierosol. & Proceres Palæst. ibid ep. 526.

Dum

Hayton Rex Armeniæ inducias paciſcitur cum Ægyptio Sultano.

Dum in hæc, atque alia commendatitiarum litterarum officia, pro ſummittenda Armeniæ ope, Clemens Papa diligentiſſimè apud Principes Orientales, & Occidentales incumbebat; Rex Hayton, cum nullum habere prorſus ex Abaga, qui Tartaris in Perſide imperabat, nec præſentaneum ab illis ſperare potuiſſet auxilium; ſpe dejectus, inducias cum Bendocdare pro Leone filio ex Ægyptiaco carcere redimendo iniquis legibus pactus eſt: de quo Aytonus hiſtoricus ſic enarrare proſequitur:

Ayto. loc. cit c. 16.

Rex autem Armeniæ, infeliciſſimis regni ſui rumoribus intellectis, fuit animo ſummopere perturbatus, nec aliud diu noctuq; cogitabat, niſi quomodò Sarracenis poſſet damnum inferre, undè ſæpius hortabatur Abagam & Tartaros ad ſectam Mahometicam deſtruendam, & Chriſtianos juvandos. Sed Abaga propter bella, quæ cum ſuis vicinis gerebat, ſe jugiter excuſabat. Quarè conſiderans Rex Armeniæ, ſe non poſſe tunc à Tartaris ullum habere ſubſidium, miſit nuncios ad Sultanum Ægypti, & inducias cum ipſo inivit, ut natum ſuum de Sarracenorum carceribus liberaret.

Leo filius Regis Armeniæ ex Ægyptiaco carcere redimitur.

Spoſpondit Sultanus Regi, ſe ejus filium redditurum, dumodò ille ſibi reſtitueret ſocium quendam ſuum chariſſimum, nomine Angolaſciar, qui captivus apud Tartaros tenebatur, nec non etiam aliquot caſtra civitatis Aleppi, quæ occupata fuerant tempore Halouni. Quamobrem Rex multo labore induxit Tartaros ad concedendum Sultano Angolaſciarem

[illegible], cujus vice recuperavit posteà filium suum; deinde restituit eidem Sultano Castrū de Tempsach, & alia duo Castra dirui fecit ad petitionem illius: & hoc modo è carceribus liberatus fuit filius Regis Armeniæ. Tum hæc alia de Haytone, ejusque filio Leone subjicit. Hayton autem postquam annos quadraginta quinque Armeniæ regnum tenuerat, illud reliquit, ac tradidit Domino Leoni filio suo, ex Ægypti carceribus liberato: & ipse, renuncians pompis hujus seculi, est Religionem ingressus, & vocatus fuit Macharius, mutato proprio nomine juxta consuetudinem Armeniorum; & post modicum temporis spatium requievit in pace anno Domini 1270. * Leo autem Rex Armeniæ, supra memoratus, fuit valde sapiens, atque prudens, & suum Regnū providè gubernavit: dilectus fuit nimis tam à sua gente, quàm à Tartaris, & ex toto animo semper studuit destruere Sarracenos.

Rex Hayton abdicāt se regno, fit Monachus.

* *ibid. c. 17. 18.*

Tum verbis aliquibus interjectis, quibus refert, regnum Turciæ, nuper occupatum à Sarracenis, fuisse iterùm ex Abaga Tartarorum Rege recuperatum, hæc alia de eodem Armeniæ Rege Leone tradit. Postquàm igitur Abaga de Regno Turciæ sua vota complevit, atq; Tartari repleti fuere spoliis, & divitiis, quas acquisierant contra rebelles, & Sarracenos; vocavit ad se Regem Armeniæ, & illi obtulit regnum Turciæ, eo quòd pater ejus, & ipse semper se fideliter gesserant erga Dominium Tartarorum. Rex autem Armeniæ, tanquam sapiens, atq; prudens, pro tanto dono multas

Leo Rex Arm. oblatū sibi à Tartaris, Turcia Regnum recusat.

multas Abagæ grates retulit; sed de illius acceptione se prudenter excusavit, asserens, duobus Regnis commodè gubernandis se non posse sufficere, quia Sultanus Ægypti multâ adhuc pollebat potentiâ, & ad damna regni Armeniæ toto conamine incumbebat; quare satis sibi agere videbatur, si poterat ab illo regnum suum defendere: consuluit tamen Abaghæ, quid in Regno Turciæ statuere deberet, antequàm recederet, ut de rebellione nequaquam postea dubitaret; nimirùm quod in plures partes dictum regnum divideret, & singulas traderet, & singulis rectoribus gubernandas nec ulli Sarracenorũ dominium in Turciâ concederet. Accepit Abaga consilium Regis Armeniæ; atq; jussit, nulli Sarracenum in illis terri dominium obtinere. His itaq; peractis, idem Rex Abagam rogavit, ut vellet ad liberationẽ Terræ sanctæ incumbere, & ipsam eruere de manibus paganorum; quod Abaga promisit totis viribus se facturum; Regique consilium dedit, ut mitteret nuncios suos ad Papam, & alios Principes, ac dominos Christianorum pro subsidio terræ sanctæ.] Hucusque Aytonus.

Abaga Rex Tartar. Armenios hortatur, ut pro subsidio Terræ sanctæ Legatos mittant ad Papam.

Intereà Dominus Papa Gregorius X. anno salutis 1273. ad œcumenicam Synodum [illegible] ob submittenda potissimè terræ [illegible] subsidia celebrandam animum adjici[illegible] [illegible]r cæteros Orbis Christiani Principes, [illegible] quoque Regem ad Concilium invi[illegible] [illegible]que rogavit prætereà, ut ad se inte[illegible] [illegible] Synodi acta, quæ Armeno idio-

mate

mate scripta habebat, unà cum aliis Conciliis, ac peritissimis interpretibus mitteret. Eodem quoq; argumento ad Armeniorum Catholicum; [b] seu Patriarcham scripsit; ac provinciam Hierosolymorum Patriarchæ, atque Episcopo Anteradensi eadem Concilia ad se transmittendi imposuit. [c]

[b] Reg. post eandem epist. c. ibid. epist. 2.

Fuerunt autem in prædicto Concilio cum ingenti Patrum lætitia lectæ Abaghæ Tartarorum Regis litteræ de conjungendis cum Christianis Principibus adversus Sarracenos armis ob Christianam propagandam Religionem, & auditi ejusdem Tartarici Regis Oratores, qui etiam sacris baptismalibus initiati fuerunt à Petro Cardin. Episcopo Ostiensi, qui posteà ipsi Gregorio in Pontificatu succedens, dictus fuit Innocentius V.

Hist. Concilii Lugd. II. tom. 3. part. 2. Oratores Tartarici Regis veniunt ad Concilium Lugd.

Biennio verò à Concilii celebratione dilapso, videntes Sarraceni, Leonem Regem Armeniæ, pristina, quam eius Pater Hayton cum ipsis olim coiverat, pace posthabita, se iterum Tartaris in suam ipsorum perniciem addixisse, in Armeniam denuò irrupere; à quibus inflictas clades Marinus Sanutus his verbis describit: Eodem anno, videlicet à Virginis partu 1257. Bendocdar, qui vocabatur Malec Madavar, percurrit planum Armeniæ, & percussit in ore gladii ultra viginti millia hominum, captivos trahens secum pueros, & puellas usque ad decem millia; equos verò, & animalia majora, & minora usq; ad trecenta millia. Rex autem cum equitibus ad montana perrexit: mercatores, & cœteri, qui potuerunt;

Sa[illegible] l. 3 par 12. cap 14. Sultan Ægypti depopulatur Armeniam.

multas Abagæ grates retulit; sed de illius acceptione se prudenter excusavit, asserens, duobus Regnis commodè gubernandis se non posse sufficere, quia Sultanus Ægypti multâ adhuc pollebat potentiâ, & ad damna regni Armeniæ toto conamine incumbebat; quare satis sibi agere videbatur, si poterat ab illo regnum suum defendere: consuluit tamen Abaghæ, quid in Regno Turciæ statuere deberet, antequàm recederet, ut de rebellione nequaquam postea dubitaret; nimirùm quod in plures partes dictum regnum divideret, & singulas traderet, & singulis rectoribus gubernandas nec ulli Sarracenorũ dominium in Turciâ concederet. Accepit Abaga consilium Regis Armeniæ; atq; jussit, nullũ Sarracenum in illis terri dominium obtinere. His itaq; peractis, idem Rex Abagam rogavit, ut vellet ad liberationẽ Terræ sanctæ incumbere, & ipsam eruere de manibus paganorum; quod Abaga promisit totis viribus se facturum; Regique consilium dedit, ut mitteret nuncios suos ad Papam, & alios Principes, ac dominos Christianorum pro subsidio terræ sanctæ.] Hucusque Aytonus.

Abaga Rex Tartar. Armenios hortatur, ut pro subsidio Terræ sanctæ Legatos mittant ad Papam.

Intereà Dominus Papa Gregorius X. anno salutis 1273. ad œcumenicam Synodum Lugduni ob submittenda potissimè terræ sanctæ subsidia celebrandam animum adjiciens, inter cæteros Orbis Christiani Principes, Armeniæ quoque Regem ad Concilium invitavit; [a] quẽ rogavit prætereà, ut ad se integra Nicenæ Synodi acta, quæ Armeno idiomate

Oecum. Concil. Lugdunense 2.

[a] Greg. lib. 2. epist. 1.

mate scripta habebat, unà cum aliis Conciliis, ac peritissimis interpretibus mitteret. Eodem quoq; argumento ad Armeniorum Catholicum; [b] seu Patriarcham scripsit; ac provinciam Hierosolymorum Patriarchæ, atque Episcopo Anteradensi eadem Concilia ad se transmittendi imposuit. [c]

[b] Reg. post eandem epist.

c. ibid. epist. 2.

Fuerunt autem in prædicto Concilio cum ingenti Patrum lætitia lectæ Abaghæ Tartarorum Regis litteræ de conjungendis cum Christianis Principibus adversus Sarracenos armis ob Christianam propagandam Religionem, & auditi ejusdem Tartarici Regis Oratores, qui etiam sacris baptismalibus initiati fuerunt à Petro Cardin. Episcopo Ostiensi, qui posteà ipsi Gregorio in Pontificatu succedens, dictus fuit Innocentius V.

Hist. Concilii Lugd. II. tom. 3. part. 2.

Oratores Tartarici Regis veniunt ad Concilium Lugd.

Biennio verò à Concilii celebratione dilapso, videntes Sarraceni, Leonem Regem Armeniæ, pristina, quam eius Pater Hayton cum ipsis olim coiverat, pace posthabita, se iterum Tartaris in suam ipsorum perniciem addixisse, in Armeniam denuò irrupere; à quibus inflictas clades Marinus Sanutus his verbis describit: Eodem anno, videlicet à Virginis partu 1257. Bendocdar, qui vocabatur Malec Madavar, percurrit planum Armeniæ, & percussit in ore gladii ultra viginti millia hominum, captivos trahens secum pueros, & puellas usque ad decem millia; equos verò, & animalia majora, & minora usq; ad trecenta millia. Rex autem cum equitibus ad montana perrexit; mercatores, & cœteri, qui potue-

Sa[illegible] l. 3 par 12. cap 1[illegible].

Sul[illegible]an[illegible] Ægypti depo[illegible] latur Armeniam.

multas Abagæ grates retulit; sed de illius acceptione se prudenter excusavit, asserens, duobus Regnis commodè gubernandis se non posse sufficere, quia Sultanus Ægypti multâ adhuc pollebat potentiâ, & ad damna regni Armeniæ toto conamine incumbebat; quare satis sibi agere videbatur, si poterat ab illo regnum suum defendere: consuluit tamen Abaghæ, quid in Regno Turciæ statuere deberet, antequàm recederet, ut de rebellione nequaquam postea dubitaret; nimirùm quod in plures partes dictum regnum divideret, & singulas traderet, & singulis rectoribus gubernandas nec ulli Sarracenorũ dominium in Turcia concederet. Accepit Abaga consilium Regis Armeniæ; atq; jussit, nullũ Sarracenum in illis terri dominium obtinere. His itaq; peractis, idem Rex Abagam rogavit, ut vellet ad liberationẽ Terræ sanctæ incumbere, & ipsam eruere de manibus paganorum; quod Abaga promisit totis viribus se facturum; Regique consilium dedit, ut mitteret nuncios suos ad Papam, & alios Principes, ac dominos Christianorum pro subsidio terræ sanctæ.] Hucusque Aytonus.

Abaga Rex Tartar. Armenios hortatur, ut pro subsidio Terræ sanctæ Legatos mittant ad Papam.

Intereà Dominus Papa Gregorius X. anno salutis 1273. ad œcumenicam Synodum Lugduni ob submittenda potissimè terræ sanctæ subsidia celebrandam animum adjiciens, inter cæteros Orbis Christiani Principes, Armeniæ quoque Regem ad Concilium invitavit; [a] quẽ rogavit prætereà, ut ad se integra Nicenæ Synodi acta, quæ Armeno idiomate

Oecum. Concil. Lugdunense 2.

[a] Greg. lib. 2. epist. 1.

mate scripta habebat, unà cum aliis Conciliis, ac peritissimis interpretibus mitteret. Eodemque argumento ad Armeniorum Catholicum; [b] seu Patriarcham scripsit; ac provinciam Hierosolymorum Patriarchæ, atque Episcopo Anteradensi eadem Concilia ad se transmittendi imposuit. [c]

Fuerunt autem in prædicto Concilio cum ingenti Patrum lætitia lectæ Abaghæ Tartarorum Regis litteræ de conjungendis cum Christianis Principibus adversus Sarracenos armis ob Christianam propagandam Religionem, & auditi ejusdem Tartarici Regis Oratores, qui etiam sacris baptismalibus initiati fuerunt à Petro Cardin. Episcopo Ostiensi, qui posteà ipsi Gregorio in Pontificatu succedens, dictus fuit Innocentius V.

Biennio verò à Concilii celebratione dilapso, videntes Sarraceni, Leonem Regem Armeniæ, pristina, quam eius Pater Hayton cum ipsis olim coiverat, pace posthabita, se iterum Tartaris in suam ipsorum perniciem adduxisse, in Armeniam denuò irrupere; à quibus inflictas clades Marinus Sanutus his verbis describit: Eodem anno, videlicet à Virginis partu 1257. Bendocdar, qui vocabatur Malec Madavar, percurrit planum Armeniæ, & percussit in ore gladii ultra viginti millia hominum, captivos trahens secum pueros, & puellas usque ad decem millia; equos verò, & animalia majora, & minora usq; ad trecenta millia. Rex autem cum equitibus ad montana perrexit: mercatores, & cæteri, qui potue-

[b] Reg. post eandem epist. c. ibid. epist. 2.

Hist. Concilii Lugd. II. tom. 3. part. 2.

Oratores Tartarici Regis veniunt ad Concilium Lugd.

San. l. 3 par 12. cap 1[illegible].

Sultan. Egypti depopulatur Armeniam.

runt, cum rebus suis cum navibus per mare periculum evadentes, in piratarum ceciderunt manus; deinde Ptolemaidam pervenerunt.

His ergo Armenia barbarorum divexata conflictibus, ac brevi temporis spatio funditus bis eversa, funestissimo jacebat in luctu, cum Abaga Tartarorum in Perside, regnisque finitimis Rex, fratrem suum Mangodamor ad perdendos, excindendosq; Sarracenos cum amplissimo immisit exercitu, cui etiam Leo Armeniorum Rex se conjunxit; florenti Christianorum militum agmine succinctus. Quales verò successus tanti operis expeditio dederit, his memorat Aytonus.

loco superius cit. cap. 1.

Termino veniente, in quo Abaga bellum movere potuit contra Sultanum Ægypti, præcepit, ut Mangodamor frater suus cum triginta millibus Tartarorum in regnum Syriæ se transferret, ac si fortè obviam illi veniret Sultanus pugnandi causa, ipsum strenuè debellaret; Sin verò Sultanus vitaret prælium, ipse Terras & Castra occuparet, & custodiendas traderet Christianis. Cum autem Mangodamor ad Armeniæ regnum pervenisset, ad se accersi jussit Regem Armeniorum, qui statim venit cum pulchra equitum turma: atque una simul Syriæ regnum ingressi, totam Regionem devastarunt usque ad Civitatem Amàn, quæ nunc appellatur Camella, & in medio regni Syriæ sita est. In conspectu autem hujus civitatis est quædam valde speciosa planities, in qua Sultanus suum collegit exercitum ut præliaretur cum Tartaris. Itaq; Sarraceni ex una parte, & Christiani cum Tarta-

Tartari cum Armenis bellum in Sarracenos suscipiunt in Syria.

nis ex adverso, ingens prælium inivere. Rex Armeniæ cum Christianis ducens cornu dextrum exercitûs invasit sinistrum exercitus Sultani, & inimicos strenuè fugavit usq; ad Civitatem Amàn. Similiter Amalech, Tartarorum Dux alterum cornu exercitus Sultani viriliter infregit ac fugavit per tres dies usq; ad civitatem Turaræ: cumq; existimarent Sultani potentiam profligatam, & dissipatam fuisse; ecce, Mangodamor, qui nunquã discrimina viderat præliorum, timens, de quibusdam Sarracenis, qui Arabico idiomate Bedeni vocabantur, absq; rationabili causa retrocessit, campum victoriæ deserens, & Regem Armeniæ, atque alterum Ducem suum, qui inimicos persequuti fuerunt, derelinquens. Quando Sultanus, qui omnia amisisse crediderat, vidit Campum belli vacuum, & omnino derelictum, constitit super collem quendam cum multis militibus suis armatis, ibiq; seipsum munivit. Rex autem Armeniæ, rediens è conflictu, cum non invenisset in campo Mangodamor, valdè obstupuit; sed accepta viæ notitia, qua ille regressus erat, statim post eum abiit. Amalech verò, qui fugientes Sarracenos insequutus fuerat ulteriùs, per biduum expectavit, existimans, dominum suum Mangodamor post ipsum, sicut debuit, equitasse, ut Provinciam, & inimicos, de quibus ipse victoriam retulerat, subjugaret; sed posteà cognita de recessu Mangodamor veritate, post ipsum ire festinavit, victoriam derelinquens: deniq; illum invenerunt ad ripam fluminis Euphratis ex-

Victoria potiti, fugat hostes.

Ignavia Tartarici Ducis victoria fructũ amittunt.

ſponderint. Etenim Haloono ob improviſam mortem fratris ſui Mangonis in Orientem reverſo, Bondocdar Sultanus Ægypti, validiſſimo Sarracenorum agmine collecto, in Guibogam Haloonis Præfectum, qui Hieroſolymitanum Regnum acquirere, & Chriſtianis reſtituere juſsus erat, iram ſuam effundens, magnam in Palæſtina de Tartaris victoriam retulit: dumque adverſus illum iterum Haloonus, pluribus Armenorum, Georgianorum, Tartarorum militum copiis inſtructus, in aciem vocaretur, magno rei Chriſtianæ exitio è vivis ereptus eſt. Hinc Sarraceni reſumptis animi viribus irrumpunt in Syriam, ubi luctuoſis Chriſtianorum ſtragibus editis ac multis arcibus expugnatis, illā denuò in ſuā redigunt poteſtatem. Lugubris harum rerum eventus graviſſimum attulit mœrorem Clementi IV. Summo Pontifici, qui anno Domini 1265. dum ad reprimendum infidelium impetus arma parabat occidens, Haytonem Regem Armeniæ ad promptum ferendum auxilium impellere conatus eſt ſequenti epiſtola:

Ex Ayto. loc. cit. cap. 14.

Sarraceni iterum Syriam occupat.

Tom. 2. ep. 48. extat etiam in formular. Marin. Ebul. M. S. Vat. Arch. pag. 50.

Haytoni, illuſtri Regi Armeniæ Clemens PP. IV.

QUantò te Dominus in populo Chriſtiano amplioris regni ſolio voluit honorari, tantò erectum altiùs obligavit ad ſui cultum nominis dilatandum, & inimicos fidei Chriſtianæ pervigilis curæ ſtudio deprimendos. Noſti fili Chariſſime, quod cum multa cordis amari-

amaritudine nuper accepimus, quam insolenter ircuit in Christicolas ille proditor, qui Sultanus Ægypti dicitur, Cesaream violenter expugnavit, & Azotum, effuso sanguine Christi militum, & nonnullis ex eis, quod est multis morte lugubrius, captivitatis: propter quod inter damna communia Terræ sanctæ specialiter Hospitalariorum sancti Joannis graviùs cæteris, ut audivimus, Ordo percussus, magnam vel maximam Conventus sui partem amisit: licet amissi dici non debeant, qui pro suæ fragilitatis modulo, Crucifixo debitum impendentes obsequium, suæ biberunt calicem passionis. Verùm cum tu speciali, ut credimus, affectione dilexeris Ordinem memoratum, [quod in diversis casibus re ipsa diceris comprobasse] Serenitatem tuam hortandam duximus, & rogandam, quatenus Fratribus ejusdem Ordinis, in tot & tantis angustiis constitutis, cum ab eis super hoc fueris requisitus, assistas efficacius consilio, & auxilio opportunis. Et licet pro iis specialiter te rogemus, nihilominus & pro omnibus te rogamus, qui in terrâ prædicta invocant nomen Christi: in remissionem tibi peccaminum suadentes, ut sic ad ipsos te habeas, ut dolore videaris injurias Crucifixi, & fraternæ charitatis illarum jungi consortio, à quib' in catholicæ professione fidei non discordas. Dat. Perusii VIII. Kal. August. Ann. I.

Militum S. Joannis ingens numerus ab infidelibus trucidatus.

Rex Armeniæ in professione fidei a Latinis non discordās.

Paruisse Regem Armeniæ monitis Romani Pontificis, colligitur tum ex aliis ipsius Clementis Papæ litteris ad eundem Regem, & ad

Patriarcham Hierosolymitanum, suo loco paulò inferiùs, afferendis; tum etiam ex eo, quòd Rex ipse statim perrexit ad Tartaros, ut aliquod sibi subsidium contra Sarracenos adjungeretur. Cujus porrò abscessum sciens Ægypti Sultanus, in Armeniam, quò potuit citiùs, Sarracenorum immisit exercitum, qui eam longè latèque depopulatus est; atque è duobus Regis filiis alter cum plurima gente in acie cæsus, alter vinculis mancipatus fuit: quæ omnia paucis complectens Sanutus, ait: Et 12. Augusti, anni videlicet 1266. similiter unus fortis Admiraldus, percurrens terram Armeniæ, cepit unum de filiis Regis, alterumque occidit cum populo multo: & hujus novitatis causa fuit via Regis ad Tartaros. Hoc itidem ipsum luculentiùs ab Aytono Armeno subjectis describitur verbis: Bendocdar Sultanus Ægypti, favente sibi fortuna, Armeniæ Regnum magnoperè humiliavit: sciens enim, quod Rex Armeniæ cum multa gente iverat ad Tartaros cogitavit invadere Regnum Armeniæ; unde illuc misit Ducem quendā cum sua gente. Filii autem Regis Armeniæ, audientes Sarracenorum adventum, congregatis omnibus, qui poterant arma ferre, obviam illis progressi sunt, & pugnam viriliter inierunt. Fuit tandem Armeniorum exercitus debellatus; & ex duobus filiis Regis, alter occisus, alter verò in bello captus fuit. Sarraceni itaque ea victoria per universum regnum Armeniæ discurrentes, totam planitiem devastarunt, & multa bona secum inde asportarunt,

San. lib. 3. p. 12. c. 8.

Ayto. hist. Orient p. 2. c. 16. apud Ramusium tom. 2.

runt, maximo Christianorum detrimento quo casu multùm crevit inimicorum potentia, viresque Regis Armeniæ fuerunt notabiliter diminutæ.

Cum ergo Armenia gravissimis hisce cladibus in extremum discrimen fuisset adducta; Haytonem Regem, mœrore depressum, & Latinorum auxilia implorantem solantur, ac certissimi subsidii pollicitatione ad constantiam erigunt hæ aliæ Clementis Summi Pontificis litteræ, biennio post à superioribus datis. *Tom. 2. epist. 328. extant etiam in formular. Marin. Ebuli, M. S. Archiv. Vatică, pag. 54. & 289.*

HAYTONI ILLUSTRI ARMENI REGI, Clemens PP. IV.

INiunctæ Nos excitat servitutis Officium, doctrina Nos admonet Apostolica, ut ex paternæ compassionis affectu infirmemur cum infirmantibus, & cum scandalizatis uramur. Quod in tuis calamitatibus, Fili charissime, nuper plusquàm vellemus experti, [: salvo tamen in omnibus divinæ beneplacito voluntatis, cui nos decet nostram in omnibus conformare:] casu liberorum tuorum, & excidio tuæ gentis, ac depopulatione Regionis auditis in multa cordis amaritudine, Regiæ Majestati compati, damnaq; tua, totiusq; populi Christiani jacturam recto judicio deputantes, flendum credimus esse cum flentibus, consolationis divinæ expectantes benevolum solatium, qui post tempestatem tranquillum facit, & post mœrorem, & lacrymas exultationem infundit. Scimus quidem, quod & tota profitetur Ecclesia, te transmarinum Latinum *Rex Armeniæ sæpe Catholicis in Oriente præsidio fuit.*

popu-

populum, ex variis nationibus inibi congregatum, diversis pro tempore tuis liberasse præsidiis, te civitatis Antiochenæ civibus in suis necessitatibus astitisse, te crucis hostibus totis viribus restitisse, te cœteris omnibus nationibus Francorum amicitias prætulisse, te Sedis Apostolicæ preces, & monita, seu mandata in omni reverentia suscepisse. Quis igitur præstolari non debeat, ejus tibi misericordiam affuturam, qui super te tot, & tanta flagella multiplicans, tuā voluit examinare constantiam, ut eò purior exeas de fornace, quò flamma fueris acerbiore purgatus? &c. Et inferius: Leva ergo ad cœlum oculos, & auxilium imminens patienter expecta, particulari subsidio interim destinato, quo terra valeat se sustentare. Nec te, tuosve terreat malè solida Babylonici * Sultani superbia, quam ad tempus ascendere permisit Dominus, ut elatum allidat graviùs: & populum fidelem humiliari voluit, ut gloriosiùs exaltaret. Demum Apocrisarios tuos benignè recepimus, & tuæ devotionis munera gratiarum actione prosequimur, tuis petitionibus, quantum licuit & decuit, exauditis. Dat. Viterbii XVI. Kal. Jun. anno III.

Idē Rex mandatis Apostolicæ Sedis obediens.

** Babylonia & Ægypti Sultanus.*

Clemēs PP. excitat Græcorum Imperatorem ad succurrendum

Ut verò ab Oriente promtius laboranti succurreretur Armeniæ, dum procingebatur interim Classis in Occidente, idem Clemens Michaeli Paleologo Græcorum Imperatori rescribens, illum exemplo Sancti Ludovici Francorum Regis excitat ad arma contra Saracenos quam citissimè capessenda. Si prelium, ait,

... compateris Terræ sanctæ, si charissimi in Christo filii nostri illustris Regis Armeniæ, ut ... ribus, damna deploras, tuum in hac parte commendamus affectum; quem propensiùs utique laudaremus, si affectui responderet effectus. Ecce siquidem, si ex animo Crucis persequeris inimicos, tempus imminet, satis proposito tuo congruum. Jam quidem Charissimus in Christo filius noster Ludovicus, illustris Rex Franciæ se cum filio primogenito, & duobus aliis sequentibus, Crucis charactere insignivit cum multis Comitibus, & Baronibus, militibus & plebeis, &c.

rendum Armenorum. 2. ep. 327.

Similiter etiam & Patriarcham Hierosolymitanum, & Palæstinæ Proceres, ad Haytonem Armeniæ Regem, quibus possent auxiliis juvandum, his adhortatur verbis: Cum charissimus filius noster, Rex illustris Armeniæ, Domino permittente, qui, quos recipit filios, corripit, & castigat, per Babylonici furorem exercitus attritus graviter fuerit, & oppressus; ... eò digniùs in suis necessitatibus adjuvandus, quo ad nostram devotionem se reddidit hactenus promptiorem; vestram devotionē hortandam duximus, attentius obsecrantes, quatenus, salva terrarum vestrarum custodia, omne consilium & auxilium, quod poteritis, impendatis eidem, ad terram suam, si opus fuerit, & tam ei, quam dilecto filio Principi Antiocheno ad civitatem Antiochenam contra inimicos Christi defendendam. Dat. Viterbii XVI. Kal. Julii, anno III.

ad idem hortatur Patriarcham Hierosol. & Proceres Palest. ibid ep. 326.

Dum

Hayton Rex Armeniæ inducias paciscitur cum Ægyptio Sultano

Dum in hæc, atque alia commendatitiarum litterarum officia, pro summittenda Armeniæ ope, Clemens Papa diligentissimè apud Principes Orientales, & Occidentales incumberet; Rex Hayton, cum nullum habere prorsus ex Abaga, qui Tartaris in Perside imperabat, nec præsentaneum ab illis sperare potuisset auxilium; spe dejectus, inducias cum Bendocdare pro Leone filio ex Ægyptiaco carcere redimendo iniquis legibus pactus est: de quo Aytonus historicus sic enarrare prosequitur:

Ayto. loc. cit c. 16.

Rex autem Armeniæ, infelicissimis regni sui rumoribus intellectis, fuit animo summoperè perturbatus, nec aliud diu noctuq; cogitabat, nisi quomodò Sarracenis posset damnum inferre, undè sæpius hortabatur Abagam & Tartaros ad sectam Mahometicam destruendam, & Christianos juvandos. Sed Abaga propter bella, quæ cum suis vicinis gerebat, se jugiter excusabat Quare considerans Rex Armeniæ, se non posse tunc à Tartaris ullum habere subsidium, misit nuncios ad Sultanum Ægypti, & inducias cum ipso inivit, ut natum suum de Sarracenorum carceribus liberaret. Sponspondit Sultanus Regi, se ejus filium redditurum, dumodò ille sibi restitueret socium quendam suum charissimum, nomine Angolasciar, qui captivus apud Tartaros tenebatur, nec non etiam aliquot castra civitatis Aleppi, quæ occupata fuerant tempore Halooni. Quamobrem Rex multo labore induxit Tartaros ad concedendum Sultano Angolasciarem,

Leo filius Regis Armeniæ ex Ægyptiaco carcere redimitur.

[illegible], cujus vice recuperavit posteà filium suum; deinde restituit eidem Sultano Castrũ de Tempsach, & alia duo Castra dirui fecit ad petitionem illius: & hoc modo è carceribus liberatus fuit filius Regis Armeniæ. Tum hæc alia de Haytone, ejusque filio Leone subjicit. Hayton autem postquam annos quadraginta quinque Armeniæ regnum tenuerat, illud reliquit, ac tradidit Domino Leoni filio suo, ex Ægypti carceribus liberato: & ipse, renunciatis pompis hujus seculi, est Religionem ingressus, & vocatus fuit Macharius, mutato proprio nomine juxta consuetudinem Armeniorum; & post modicum temporis spatium requievit in pace anno Domini 1270. * Leo autem Rex Armeniæ, supra memoratus, fuit valdè sapiens, atque prudens, & suum Regnũ providè gubernavit: dilectus fuit nimis tam à sua gente, quàm à Tartaris, & ex toto animo semper studuit destruere Sarracenos.

Rex Hayton abdicăt se regno, fit Monachus.

** ibid. c. 17. 18.*

Tum verbis aliquibus interjectis, quibus refert, regnum Turciæ, nuper occupatum à Sarracenis, fuisse iterùm ex Abaga Tartarorum Rege recuperatum, hæc alia de eodem Armeniæ Rege Leone tradit. Postquam igitur Abaga de Regno Turciæ sua vota complevit, atq; Tartari repleti fuere spoliis, & divitiis, quas acquisierant contra rebelles, & Sarracenos; vocavit ad se Regem Armeniæ, & illi obtulit regnum Turciæ, eo quòd pater ejus, & ipse semper se fideliter gesserant erga Dominum Tartarorum. Rex autem Armeniæ, tanquam sapiens, atq; prudens, pro tanto dono

Leo Rex Arm. oblatũ sibi à Tartaris, Turcia Regnum recusat.

multas

multas Abagæ grates retulit; sed de illius acceptione se prudenter excusavit, asserens, duobus Regnis commodè gubernandis se non posse sufficere, quia Sultanus Ægypti multâ adhuc pollebat potentiâ, & ad damna regni Armeniæ toto conamine incumbebat; quare satis sibi agere videbatur, si poterat ab illo regnum suum defendere: consuluit tamen Abaghæ, quid in Regno Turciæ statuere deberet, antequàm recederet, ut de rebellione nequaquam postea dubitaret; nimirùm quod in plures partes dictum regnum divideret, & singulas traderet, & singulis rectoribus gubernandas nec ulli Sarracenorũ dominium in Turciâ concederet. Accepit Abaga consilium Regis Armeniæ; atq; jussit, nullũ Sarracenum in illa terri dominium obtinere. His itaq; peractis, idem Rex Abagam rogavit, ut vellet ad liberationẽ Terræ sanctæ incumbere, & ipsam eruere de manibus paganorum; quod Abaga promisit totis viribus se facturum; Regique consilium dedit, ut mitteret nuncios suos ad Papam, & alios Principes, ac dominos Christianorum pro subsidio terræ sanctæ.] Hucusque Aytonus.

Abaga Rex Tartar. Armenios hortatur, ut pro subsidio Terræ sanctæ Legatos mittant ad Papam.

Intereà Dominus Papa Gregorius X. anno salutis 1273. ad œcumenicam Synodum Lugduni ob submittenda potissimè terræ sanctæ subsidia celebrandam animum adjiciens, inter cæteros Orbis Christiani Principes, Armeniæ quoque Regem ad Concilium invitavit; [a] quẽ rogavit prætereà, ut ad se integra Nicenæ Synodi acta, quæ Armeno idiomate

Oecum. Concil. Lugdunense 2.

[a] Greg. lib. 2. epist. 1.

mate

mate scripta habebat, unà cum aliis Conciliis, ac peritissimis interpretibus mitteret. Eodem quoq; argumento ad Armeniorum Catholicum; [b] seu Patriarcham scripsit; ac provinciam Hierosolymorum Patriarchæ, atque Episcopo Anteradensi eadem Concilia ad se transmittendi imposuit. [c]

[b] Reg. post eandem epist. c. ibid. epist. 2.

Fuerunt autem in prædicto Concilio cum ingenti Patrum lætitia lectæ Abaghæ Tartarorum Regis litteræ de conjungendis cum Christianis Principibus adversus Sarracenos armis ob Christianam propagandam Religionem, & auditi ejusdem Tartarici Regis Oratores, qui etiam sacris baptismalibus initiati fuerunt à Petro Cardin. Episcopo Ostiensi, qui posteà ipsi Gregorio in Pontificatu succedens, dictus fuit Innocentius V.

Hist. Concilii Lugd. II. tom. 3. part. 2. Oratores Tartarici Regis veniunt ad Concilium Lugd.

Biennio verò à Concilii celebratione dilapso, videntes Sarraceni, Leonem Regem Armeniæ, pristina, quam eius Pater Hayton cum ipsis olim coiverat, pace posthabita, se iterum Tartaris in suam ipsorum perniciem addixisse, in Armeniam denuò irrupere; à quibus inflictas clades Marinus Sanutus his verbis describit: Eodem anno, videlicet à Virginis partu 1257. Bendocdar, qui vocabatur Malec Madavar, percurrit planum Armeniæ, & percussit in ore gladii ultra viginti millia hominum, captivos trahens secum pueros, & puellas usque ad decem millia; equos verò, & animalia majora, & minora usq; ad trecenta millia. Rex autem cum equitibus ad montana perrexit; mercatores, & cœteri, qui potue-

San. l. 3 par 12. cap 1[illegible]. Sultan° Ægypti depopulatur Armeniam.

runt, cum rebus suis cum navibus per mare periculum evadentes, in piratarum ceciderunt manus; deinde Ptolemaidam pervenerunt.

His ergo Armenia barbarorum divexata conflictibus, ac brevi temporis spatio funditus bis eversa, funestissimo jacebat in luctu, cum Abaga Tartarorum in Perside, regnisque finitimis Rex, fratrem suum Mangodamor ad perdendos, excindendosq; Sarracenos cum amplissimo immisit exercitu, cui etiam Leo Armeniorum Rex se conjunxit; florenti Christianorum militum agmine succinctus. Quales verò successus tanti operis expeditio dederit, his memorat Aytonus.

loco superius cit. cap. 19.

Termino veniente, in quo Abaga bellum movere potuit contra Sultanum Ægypti, præcepit, ut Mangodamor frater suus cum triginta millibus Tartarorum in regnum Syriæ se transferret, ac si fortè obviam illi veniret Sultanus pugnandi causa, ipsum strenuè debellaret; Sin verò Sultanus vitaret prælium, ipse Terras & Castra occuparet, & custodiendas traderet Christianis. Cum autem Mangodamor ad Armeniæ regnum pervenisset, ad se accersi jussit Regem Armeniorum, qui statim venit cum pulchra equitum turma: atque una simul Syriæ regnum ingressi, totam Regionem devastarunt usque ad Civitatem Amàn, quæ nunc appellatur Camella, & in medio regni Syriæ sita est. In conspectu autem hujus civitatis est quædam valde speciosa planities, in qua Sultanus suum collegit exercitum ut præliaretur cum Tartaris. Itaq; Sarraceni ex una parte, & Christiani cum Tarta-

Tartari cum Armenis bellum in Sarracenos suscipiunt in Syria.

ris ex adverso, ingens prælium inivere. Rex Armeniæ cum Christianis ducens cornu dextrum exercitûs invasit sinistrum exercitus Sultani, & inimicos strenué fugavit usq; ad Civitatem Amàn. Similiter Amalech, Tartarorum Dux alterum cornu exercitus Sultani viriliter infregit ac fugavit per tres dies usq; ad civitatem Turaræ: cumq; existimarent. Sultani potentiam profligatam, & dissipatam fuisse; ecce, Mangodamor, qui nunquã discrimina viderat præliorum, timens, de quibusdam Sarracenis, qui Arabico idiomate Bedeni vocabantur, absq; rationabili causa retrocessit, campum victoriæ deserens, & Regem Armeniæ, atque alterum Ducem suum, qui inimicos persequuti fuerunt, derelinquens. Quando Sultanus, qui omnia amisisse crediderat, vidit Campum belli vacuum, & omnino derelictum, constitit super collem quendam cum multis militibus suis armatis, ibiq; seipsum munivit. Rex autem Armeniæ, rediens è conflictu, cum non invenisset in campo Mangodamor, valdè obstupuit; sed accepta viæ notitia, qua ille regressus erat, statim post eum abiit. Amalech verò, qui fugientes Sarracenos insequutus fuerat ulteriús, per biduum expectavit, existimans, dominum suum Mangodamor post ipsum, sicut debuit, equitasse, ut Provinciam, & inimicos, de quibus ipse victoriam retulerat, subjugaret: sed posteà cognita de recessu Mangodamor veritate, post ipsum ire festinavit, victoriam derelinquens: deniq; illum invenerunt ad ripam fluminis Euphratis ex-

Victoria potiti, fugat hostes.

Ignavia Tartarici Ducis victoriæ fructũ amittunt.

pectantem. Posthæc Tartari ad suas Provincias sunt reversi: Rex autem Armeniæ cum gente sua multos in eo bello labores, & incommoda passus est; nam propter itineris longitudinem, & penuriam pabulorum equi Christianorum fuerunt adeo fatigati, ut vix incedere possent: unde separatim Christiani per devia incedentes, à Sarracenis sæpiùs inveniebantur, & absq; misericordia crudeliter interficiebantur; quamobrem major pars exercitus Regis Armeniæ amissa fuit, & Proceres quasi omnes. Accidit autem Mangodamor hoc infortunium anno Domini 1282.]

Agmen Armenicum multa in reditu damna subit.

Porrò dum Abaga Tartarorum Rex, qui prædictæ victoriæ fructum ob fratris ignaviam jam amissum audierat, novos militum delectus ad Syriam subjiciendum instrueret, una cum eodem fratre suo Mangodomor, Sarracenorum dolo, veneno sublatus est; eiq; successit Tangodor, alius ejus frater, Christiano quidem baptismate initiatus in pueritia, ac Nicolaus vocatus; sed qui posteà à Christiana in Mahometicam fidem desciscens, Mahometes appellatus fuit, diramq; in Ecclesiam persecutionem exercuit. A scelestissimo tandem Apostata debitas pœnas ultio divina repetiit, dum ab Argone nepote, quem ipse occidi jusserat, & regno, & vita privatus est. Fuit autem Argon Christianorum studiosissimus, eorumq; religioni ampliandæ, & Mahometicæ sectæ destruendæ ex animo intentus; de quo hæc prosequitur idem Aytonus: Argon filius Abagæ fuit aspectu pulcherrimus, & in domino

Reges Tartarorum.

ib. c. 23

[...]nio suo viriliter, ac prudenter se gessit: Christianos dilexit, & plurimùm honoravit; Ecclesias quas Mahometes dirui fecerat, reparavit. Undè ad eum accesserunt Rex Armeniæ, & Rex Georgiæ, multiq; alii Christiani Orientales, illum deprecantes, ut Terram sanctam è Sarracenorum manibus liberaret; quorum petitionibus benignè respondit Argon, se libenter, quicquid posset, facturum ad honorem Dei, & fidei Christianæ. Quapropter quærebat fœdus pacis componere cum vicinis, ut securiùs ire posset ad acquirendam Terram sanctam.

Idem Tartarus Rex Honorium IV. Rom. Pont. & Francorum ac Siciliæ Reges litteris [a] est hortatus, & cum ipso ad Sarracenos debellandos vires conjungerent: Nicolao etiam IV. se egregiè erga Christianam religionem affectum exhibuit [b] per Oratores, qui Papæ significarunt, [c] Argonem in civitate Hierosolymitana, si eam è tyrannide Sarracenorum eripi contigisset, lavacro baptismali renasci meditatum.

[a] Extant in re gest. Honorii l. 1. pag. 128. n. 22.
[b] Nicol. l. 1. epist. 12
[c] ibid. epist. 17

Interim, defuncto Armeniæ Rege Leone II. Armeno Regno præficitur Hayton II. ejus filius, de quo plura in capite mox sequente.

Ex Armena Historia
CAPUT XXVI.

Dominus Jacobus Sisensis, annos 20. LXXI.

LXXII. Dominus Stephanus, annum unum Tempore istius magnum accidit infortunium: impius enim, ac infidelis Sultanus Ægypti Sedem divi Gregorii Armeniorum illuminatoris nostri Gregorii dexteram, & aliorum sanctorum Martyrum reliquias; & partem sacrosanctæ Crucis Domini nostri Jesu Christi secum illuc asportavit. Sed ingrediente illo cum sacris hisce reliquiis in regnum suum, punivit Dominus populum ejus pestilentiâ, quemadmodum accidit Philisthæis per Arcam Testamenti; adeò, ut innumeri penè forent, qui moriebantur; nec planè unquam ab eis indignatio Dei cessavit, quousq; sanctam, admirandamq; divi Gregorii dexteram restituentes, ad piissimum Regem nostrum Haytonem remiserunt.

ANNOTATIO.

Legatio Armeni Regis ad Roman. Pont. Vix dum Hayton Rex Armeniæ sceptrum paternum capessiverat, cum Fratrem Joañem de Montecorvino Ordinis Minorum ad Nicolaum IV. Sum̃. Pont. destinans, se Apostolicæ Sedis obsequiis addictissimum demonstravit, & in Ecclesiæ Romanæ comunionem admitti petivit; quem Nicolaus sinu excipiens amantissimo, eandem fidei formam, quæ

quæ olim à Clemente IV. * Michaëli Paleologo Græcorum Imperatori fuerat proposita, ad ipsum cum hac transmisit epistola. * Clem. IV. t. 2. ep. 333.

Chariss. in Christo Filio Haytoni, Regi Armeniæ illustri, Nicolaus PP. IV. Nicol. IV. l. 2. ep. 50.

GErentes in terris, licet insufficientibus meritis, vices Christi, grandi, nec immeritò, lætitiâ & exultatione perfundimur, cum ad nostrum pervenire contingat auditum, quod corda Regum, & Principum terrenorum summi Regis, per quem potentatus altitudine præeminent, beneplacitis se coaptant. Nuper etenim audivimus, & lætati sumus in Domino vehementer, dilecto filio Frare Joanne de Montecorvino de Ordine Minorum, latore præsentium, Nobis ex parte Regia referente, quòd erga Romanam Ecclesiam, cunctorum matrem fidelium & magistram ferventis devotionis geris affectum; quodq; ad habendam cum eadem Ecclesia tanquam Princeps catholicus unionem, in te voluntatis vigere dignoscitur promptitudo. Subjunxit quoq; Fratris memorati relatio, quòd claræ memoriæ * pater tuus veluti obedientiæ filius, & catholicus Christianus, mortem subiit temporalem. Re vera, fili chariss. sime, tam gratis, tamq; acceptis rumoribus intellectis, cor nostrum in Domino uberibus gaudiis exultavit, cum animarum salutem, quam in cunctis mortalibus ex debito pastoralis officii exquirimus, votis ferventibus cupiamus. * Leo II vita excesserat.

Rogamus itaq; Celsitudinem Regiam, & hortamur in Filio Dei Patris, quatenus mentis oculis erectis ad Dominum, tuæq; intentionis proposito directo salubriter ad exercitium laudabilium actionum, devotionem, & voluntatem prædictas, dignis præconiis attollendas, stabili mente continues, ac intra tui pectoris thalamum summoperè studeas conservare. Nos enim te, tanquam filium prædilectum, ad unionem lætanter recipimus Ecclesiæ memoratæ; penes magnitudinem regiam precibus insistentes uberibus, eamque paternis exhortationibus excitantes; ut ejusdem Romanæ Ecclesiæ, dictiq; Fratris, & sociorum suorum doctrinam, quæ salutis comoda subministrat, in omnibus promptus, & efficax exequaris; ad receptionem celerem, & efficacem executionem illius, Prælatos, & Populum Armenorum, regiæ ditioni subjectum, solicitis studiis inducendo: sic te in præmissis cura vigili habiturus, ut à Domino proinde præmium consequi valeas, pro minimis gaudia largiente; tui nominis fama incrementa suscipiat; & Sedis Apostolicæ gratiam, quam libenter ad filios devotos extendimus uberiùs merearis.

Nicola' IV. ad unionẽ Ecclesiæ Rom. recipit Regem Arm.

Cæterùm magnitudinem regiam plenis prosequimur actionibus gratiarum, quod sicut ejusdem Fratris patefecit assertio ipsum & socios supradictos benignè recipiens, eis multæ humanitatis affectum exhibuit eosque gratiosi favoris impendio extitit prosequuta; petentes instanter, ut eos clementer habeas

com-

commendatos; ut ad laudem divini nominis, & animarum salutem utiliùs, & efficaciùs opus prosequi valeant inchoatum. Ut autem in fide Christiana, quam tenet, & servat Rom. Ecclesia, pleniùs, & efficaciùs valeas informari; dictam fidem, & ejus formam præsentibus facimus annotari, quæ sunt hæ: *Romanæ fidei forma.*

Credimus S. Trinitatem, Patrem, & Filium & Spiritum S unum Deum omnipotentem, totamq; Deitatem coëssentialem, consubstantialem, coæternum, & coomnipotentem; uni⁹ voluntatis, potestatis, & majestatis; creatorem omniũ creaturarũ, à quo omnia, per quẽ omnia, & in quo omnia, quæ sunt in cœlo & in terra, visibilia & invisibilia, corporalia & spiritualia. Credim⁹ singulã quamq; in S. Trinitate personã unũ verũ Deum, plenũ, & perfectum. *De Trinitate, ac divina essentia.*

Credimus ipsum filium Dei, verbum Dei æternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentẽ, & æqualem per omnia Patri in divinitate; temporaliter natũ de Spiritu S. ex Maria semper virgine cum anima rationali, 2. habentẽ nativitates, unã ex patre æternã, alterã ex matre temporalẽ: Deũ verũ & hominẽ verũ, propriũ in utraq; natura, atq; perfectũ; nõ adoptivũ, atq; phantasmaticũ; sed unũ & unicũ filiũ Dei in duab⁹, & ex duab⁹, divina sc. & humana, naturis; sed in uni⁹ personæ singularitate, impassibilẽ, & imortalẽ divinitate; sed in humanitate pro nobis, & pro salute nostra passũ vera carnis passione, mortuũ & sepultũ; & descendisse ad Inferos, ac 3. die resurrexisse á mortuis vera carnis resurrectione: die 40. *De Christo, & duabus in illo naturis.* *De aliis illius mysteriis.*

post

post resurrectionem, cum carne, in qua resurrexit, & anima ascendisse in cœlum, & sedere ad dexteram Patris; inde venturum judicare vivos, & mortuos; & redditurum unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala.

De Spiritu Sancto. Credimus etiam Spiritum sanctum, plenum, & perfectum, verumq; Deum, ex Patre, & filio procedentem; coæqualem, & coëssentialem, & coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri, & Filio. Credimus hanc sanctam Trinitatem non tres Deos; sed unum

De unitate divinitatis Deum omnipotentem, æternum, invisibilem, & incommutabilem. Credimus sanctam Catholicam, & Apostolicam unam esse veram Ecclesiam, in qua unum datur baptisma, & vera omnium remissio peccatorum. Credimus etiam veram resurrectionem ejusdem carnis, quam nunc gestamus; & vitam æternam. Cre-

De Ecclesia Catholica. dimus etiam novi, & veteris Testamenti, legis, ac Prophetarum, & Apostolorum unum esse auctorem, Deum, ac Dominum omnipotentem.

Hæc est vera Fides catholica, & hanc super dictis articulis tenet, & prædicat sacrosancta Romana Ecclesia. Sed & propter diversos errores à quibusdam ex ignorantia, & ab

De baptismo non repetendo. aliis ex malitia introductos, dicit, & prædicat, eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos; sed per veram pœnitentiam suorum posse consequi veniam peccatorum. Quod si verè pœnitentes in charitate decesserint, antequàm dignæ pœniten-

tiæ

tiæ fructibus de commissis satis fecerint, & omissis eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari; & ad pœnas hujusmodi relevandas, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, Orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta: illorum igitur animas, qui post sacrum baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ post peccati contractam maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutæ, prout superiùs dictum est, sunt purgatæ in cœlum mox recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas, eadem sancta Rom: Ecclesia credit, & firmiter asseverat: & quod nihilominùs in die Judicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem.

De Purgatorio.

De beatitudine, atque pœnis Inferorum, statim post mortem conferendis.

De Judicio universali.

Tenet etiam & docet eadem R. Eccl. 7. esse Ecclesiastica Sacramenta, unum sc. Baptisma, de quo dictum est suprà; aliud est sacramentũ Confirmationis quod per manus impositionẽ Episcopi conferunt chrismando renatos; aliud est Pœnitentia, aliud est Eucharistia: aliud est Sacramentum Ordinis; aliud est Matrimonium: aliud extrema unctio, quæ, secundùm doctrinam beati Jacobi infirmantibus exhibetur. Sacramentum Eucharistiæ azimo conficit eadem Rom. Ecclesia; tenens, & do-

De septem Sacramentis Ecclesiæ.

& docens, quod in ipso Sacramento, panis verè transsubstantiatur in corpus, & vinum in sanguinem Domini nostri Jesu Christi. De Matrimonio tenet, quod nec unus vir simul plures uxores, nec una mulier simul habere permittitur plures viros. Soluta verò lege Matrimonii per mortem alterutrius conjugum, secundas, & tertias, & deinceps nuptias successivè licitas esse dicit, si impedimentum canonicum ex causa alia non obsistat.

De Principatu Ecclesiæ Romanæ.

Ipsa quoq; sacrosancta Romana Ecclesia summum, & plenum primatum, & principatum super universam Catholicam Ecclesiam obtinens, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum Principe, seu vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse, veraciter, & humiliter recognoscit; sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debet judicio definire: ad quam potest gravatus quilibet in negotiis, ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, appellare; sedet in omnibus causis, ad examen Ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius potest recurri judicium; & eidem omnes Ecclesiæ sunt subjectæ, ipsarumq; Prælati, & obedientiam, & reverentiam sibi debent: apud quam sic potestatis plenitudo consistit, quòd Ecclesias cæteras ad solicitudinis partem admittit; quarum multas, & Patriarchales præcipuè, diversis privilegiis eadem Rom. Ecclesia honoravit; sua tamen prærogativa, tam

in generalibus Conciliis, quam in quibuscunque aliis, semper salva.

Porrò præscriptam purissimam, certissimam, & solidissimam orthodoxæ fidei veritatem, Evangelicæ doctrinæ consonam, à sanctis Patribus traditam, & Romanorum Pontificum in suis Synodis definitione firmatam, sicut nec decet, sic nec volumus, novæ discussioni, ac definitioni subjacere, ipsam quasi per hoc quomodolibet contra fas, & licitum in dubium revocando. Datum Reate, Nonis Julii. Pontificatus nostri anno 2.] Hæc Nicolaus Haytoni.

Idem quoque Summus Pontifex Mariam Reginæ Armeniæ sororem hortatus est, ut in eadem Fide Catholica, quam semper ipsam professam audierat, constanter, ac immobiliter permaneret: Hortamur, inquit, Nobilitatem tuam, & excitamus in Domino Jesu Christo, quatenus mentis oculis erectis ad Deum & ad salutis, ac pietatis opera directo proposito, ad observantiam Fidei Christianæ, dictæq; prosecutionem continuam unionis efficaciter, & reverenter intendas; aliaq; studeas exercere solicitè, quæ divinæ sunt placita Majestati; ad observationem & prosecutionem ejusdem, juxta datam tibi à Domino gratiam, cæteros inducendo. &c. *Nicola' IV. l. 2. epist. 51*

Aliam ejusdem argumenti epistolam [b] ad Torosium Regis Armeniæ fratrem dedit. Scripsit prætereà ad plures Armeniorum proceres, atq; inter cæteros ad Leonem [c] Comitem stabuli Regni Armeniæ, & ad Magistrum castro-

[b] Reg. post eandem ep

[c] ib. epist. 52

[d] Reg. post eandem ep. castrorum [d] seu Marescalcum; ac deniq; ad universum populum: [e] quos omnes ad unionem cum Romana Ecclesia pellicere nixus est Nicolaus anno salutis 1289.

[e] ibid ep. 59.

Sub eadem quoq; tempora Stephanus, electus Armeniæ Patriarcha, Ecclesiæ illius gubernacula, quæ Jacobus posuerat in morte, suscepit, sed immoderatè quidem, contumaciterq; tractanda: quippe qui dispensandi super impedimento consanguinitatis in contractione matrimonii insolenter sibi arrogaverat potestatem; quam alioqui ad solum universalis Ecclesiæ Caput Romanum Pontificem spectare, professus deinde fuit ejusdem Armeniæ Patriarcha Gregorius, ipsius Stephani successor, de quo plura dicenda inferiùs. Quapropter Armeniorum Princeps Sembat, & Isabella, Guidonis Joppensis Comitis filia, qui tertio licet consanguinitatis gradu conjuncti, matrimonium tamen, irrita Stephani dispensatione, contraxerant, submonente posteà prædicto Gregorio Patriarcha, Bonifacium VIII. Papam suppliciter rogaverunt, ut ipse, auctoritate fultus Apostolica, facultatem sibi concederet in contracto perperam matrimonio licitè persistendi; quorum quidem petitionibus perhumaniter Bonifacius satisfecit subjecto diplomate, ubi potissimúm de præcipua sedis Apostolicæ potestate differitur:

Stephanus Arm. Patriarcha jus dispensandi super impedimento Matrimonii sibi arroganter assumit.

Bonif. lib. 4. ep. 268.

Dilecto filio, nobili viro, Sembath de Botha; & dilectæ in Christo filiæ, nobili mulieri, Isabellæ, natæ quondam Guidonis comitis Joppensis Mamistranæ Diœcesis, uxori ejus.

Sancta

Sancta Romana Ecclesia non solum venerandorum Conciliorum definitionibus, & beati Petri æternæ vitæ clavigeri meritis, Ecclesiis cæteris est prælata; sed Evangelica voce Domini, & Salvatoris nostri eidem Petro dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam in Orbe terrarum obtinuit principatum. Qui siquidem Petrus, quamvis, cum ei dixit Dominus: Pasce oves meas, cura; & Pontificium Christianorum omnium ipsi generaliter collata fuissent, propter quòd est, Cephas etiam appellatus; tamen huic Ecclesiæ peculiariter præfuit, dum postremò Romanis per Spiritum Sanctum specialiter datus Apostolus, eis Evangelium prædicavit; ipseque, ac sibi associatus beatissimus Paulus, vas electionis, uno die sub Nerone Cæsare in Urbe Romana martyrio coronati, eandem Ecclesiam, suo pretioso sanguine, Christo Domino consecrarunt. Qui igitur Romanæ, cui ex dispositione divina, licet immeriti præsidemus, Ecclesiæ præest, successor est Petri & ipsius præterea fungitur potestate: aliàs Deus & homo, Jesus Christus, ad dexteram Patris sedens, suam universalem, unam & militantem Ecclesiam Acephalam, id est, sine aliquo, qui super omnes vices ejus in terris gereret, vel habentem, quasi Monstrum, plura capita, reliquisset; quod non tam rationi contrarium etiam in natura, quàm hæreticum censeretur.

Auct oritas solvenda legis de grad. Consanguinit. ad Rom. Pontif. spectat.

Et hæc Romana Sedes, quæ mater est fidei, sola auctoritatem, ab ipsis exceptam, præstat

ſtat Conciliis jura ſtatuit, & omnibus legem ponit. Hinc ſive Patriarchatus cujuslibet apicem, ſive Metropoleon primatus, aut Epiſcopatuum cathedras, vel Eccleſiarum cujuscunq; ordinis dignitatem inſtituit: Unde diſpenſandi ſupra jus abſolutam obtinuit poteſtatem; ac verbo, quo cœlum, & terra conſtructa ſunt, terreni, & cœleſtis Imperii jura quæſivit. Quò fit, ut qui Romanæ Eccleſiæ privilegium hujusmodi ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum capite traditum, aufferre conatur, procul dubio labatur in hæreſin, & illi contumax reputetur. Hæc noviſſimè diebus iſtis Gregorius in Armenia, quæ olim eſt dicta Cilicia, unde originem ducitis, Catholicon gerens officium, eſt profeſſus; hoc etiam ſanctorum Patrum, & orthodoxorum Doctorum habet incommutabilis, & vera ſententia.

Idem profitetur Gregor. Arm. Patriarcha.

Sanè pro parte veſtra Nobis oblata petitio continebat, quòd vos, tertio ad invicem conſanguinitatis gradu conjuncti, matrimonium contraxiſtis vobiſcum in hujusmodi copula quondam Stephano, dictum in eadem Armeniæ gerente officium, diſpenſante; quodq; credentes hujusmodi diſpenſationem legitimam, diù inſimul in tali permanſiſtis matrimonio, filiosq; procreaſtis ex ipſo, quorum aliquos jam dicitis militare. Verùm quia veridica aſſertione memorati Gregorii, in hujusmodi geſtione officii ſucceſſoris diſpenſantis prædicti, pervenit ad veſtram notitiam, quòd dicta diſpenſatio nulla fuit, utpotè facta ab eo, qui poteſtatem hanc non habuit diſpen-

ſpenſandi; nobis humiliter ſupplicaſtis, ut, quòd in dicto matrimonio valeatis licitè remanere, prolem ſuſceptam, & ſuſcipiendam ex eo legitimam nuntiando, diſpenſare vobiscum miſericorditer dignaremur

Armeni ro diſpenſatione ſuper impedimento matrimonii adeunt Rom Pontificem.

Nos igitur attendentes, quòd ſolus Papa Romanus, qui vocatus eſt in plenitudinem poteſtatis, cæteris Prælatis in ſolicitudinis partes aſſumptis, ſecundum ſacros Canones in iis, & ſimilibus caſibus obtinet poteſtatem, nec immeritò; nam cum matrimonium ad ipſius efficacius vinculum, ampliorem ejus dignitatem, & in privilegium ſpeciale inſtituerit ipſe Deus; indignum fuiſſet, ut alii quam Romano Præſuli, Dei Vicario, prærogativa diſpenſationis hujuſmodi deberetur: intuentes etiam, quòd magnum exiſtat matrimonii ſacramentum, & idcirco ejus in diſpenſando cauſa, tanquam annumerata majoribus, ſit ad Petri Sedem ſolummodò referenda; ac conſiderantes, quod per inſtitũta canonica in matrimoniis contrahendis eſt memoratus gradus prohibitus; & ideò, cum canones ad ſui obſervantiam omnes aſtringant, ille ſolus, Summus videlicet Pontifex, qui eos condere poteſt, quiq; legibus eſt ſolutus, cujusq; auctoritas in ipſis ſæpius intelligatur excepta; vel etiam alius, cui per eosdem canones nominatim conceſſa ſit diſpenſandi facultas ſuper illos, ut per diſpenſationis lenitatem, rigorem eorum ex cauſa temperet; poteſtatem habebit: irrefragabili veritate ſuffulti dicimus, quòd dictus quondam Stephanus in hoc diſpenſa-

Stephani diſpenſatio irrita declaratur.

spensare non potuit; propter quod non dispensator extitit, sed deceptor, & quantùm in ipso fuit, vis, & potestatis canonum in hac parte temerarius dissipator, &c. Subdit ex benignitate Apostolica, ad Sembat, & Isabellæ gratiam, deprecatore Rege Armeniæ, se leges canonicas solvere, ut in suscepto conjugio perstare possint. Dat. Reate, V. Idus Octobris, anno IV.]

Sarraceni depopulantur minorem Armeniam.

Stephano itaq; Ecclesiam Armeniorum regente, Sarraceni omnibus, quas in Syria fideles obtinebant, urbibus, arcibusq; subactis, victorias suas in vicina cæterorum Christianorum regna protrahere satagentes, Minorem Armeniam, quæ hactenus Tartarorum, & Latinorum auxiliis munita, eorum fregerat conatus, invadunt, dirisq; cladibus, ac latrociniis depopulantur. Inter cæteros autem, captivum quoq; duxerunt ipsum Stephanum Patriarcham, qui debitas superbiæ suæ pœnas justitiæ divinæ persolvens, sub ærumnosæ servitutis angustiis miserrimè vitam profudit.

Armeni per Legatos implorăt Latinorũ auxilia

Hinc Hayton Rex Armeniæ, qui regni sui armis undiq; hostilibus circumfusi, inspiciebat calamitatem, prospiciebatq; ruinam, ut aliquot in tanto discrimine constitutis subsidium compararet Minoritas quosdam, & Gaufridum Comitissæ ad Romanum Pontificem Nicolaum, ac Principes Christianos allegat Oratores; quos Pontifex ad Philippum Galliarum Regem dimittens, Armeniorum suspiriis has adjunxit Apostolicas preces: * Regni Armeniæ statum miserabilem attendentes,

** Nico, la' IV. lib 4. ep. 85.*

dentes. Et infrà: Charissimi in Christo filii nostri, Regis Armeniæ illustris, nuncios tuæ magnificentiæ in Domino commendamus, rogantes, quatenus eosdem, ad celsitudinis tuæ præsentiam accedentes, pro divina, & Apostolicæ Sedis reverentia benignè suscipias: & in negotiis præfati Regis, quæ tibi exposuerint, prout regiam decet mansuetudinem, aurem pietatis adhibeas, & animum regiæ propitiationis impendas. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, X. Kal. Febr. anno IV.

Sed parum valentibus apud Philippum, cum aliis bellis implicitum, precibus hisce, Templariorum, & Hospitaliorum Equitum Magistris, ac Rogerio e Thodinis, classis Romanæ Ecclesiæ pro Syria tuenda Præfecto, idem præcepit [*b*] Pontifex, ut triremes egregiè instructas submitterent in Auxilium Regis Armeniæ: ac denique fideles omnes, ut Armeniam contra impetus Sarracenorum defenderent ad Crucis signa suscipienda litteris Apostolicis excitavit. [*c*]

[*b*] *ib. epist.* 86 & 87.

[*c*] *ib. ep.* 84.

Universis Christi fidelibus, ad quos litteræ istæ pervenerint.

Pia mater Ecclesia super filios, in manus impiorum datos, tenera dilectione deplorans, si quas invenit illorum reliquias non consumptas illas conservare conatur, & maternæ pietatis auxiliis confovere. Cum igitur regnum Armeniæ in medio perversarum nationum positum, & sicut oves inter lupos inimicos Crucis noscatur inclusum, & ad sui

tuitionem fidelium egeat subsidiis adjuvari: Nos, qui ipsius Matris Ecclesiæ gubernacula, Domino disponente, suscepimus, præfati regni notificatum nobis statum miserabilem attendentes, & paterno illi compatientes affectu, universis Christi fidelibus, qui, signo vivificæ Crucis assumpto, de cismarinis partibus ad defensionem præfati regni contra hostes Crucis accesserint, indulgentias, privilegia, & gratias concedimus, quæ transfretantibus in Terræ sanctæ subsidium sunt concessæ. Regi verò, & incolis dicti regni, ac aliis, de ultramarinis partibus ad ipsius regni defensionem convenientibus, qui in defensionem hujusmodi sub confessione Catholicæ fidei, quam Romana tenet, & docet Ecclesia, vitam finierint, indulgentias & gratias concedimus memoratas; concessionibus hujusmodi usq; ad futurum proximum in prædictum subsidium generale passagium valituris. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem X. Kal. Februarii, anno IV.

Gratiæ à Sede Apostol. concessæ fidelib⁹, Armeniam à Sarracenis defendentib⁹.

Quamobrem multi fideles, ut refert Sanutus, accepto Crucis signo sacram in Sarracenos militiam sunt professi, atq; in Orientem transfretarunt anno salutis 1292. ubi primùm in Syria inimicorum arcem Quandelor, ac posteà in Ægypto Alexandriam oppugnantes, Armena Sarracenia ex Armenia aliò deflectere potuerunt.

Sanut⁹ lib. 3. par. 13. cap. 1.



Ex Armena Historia

CAPUT XXVII.

DOminus Gregorius Sisensis, an- LXXIII.
nos 14. Hic fuit Deiloquus Doctor, qui multa in Armeno sacra cantica concinnavit, plures sanctorum Martyrum historias ex Romana, Græca, & Syriaca in nostram linguam transtulit, & Armeniorum Ecclesiam suis institutionibus illustravit. Illam deniq; ut cum magna Romanorum Ecclesia componeret. quod ab ipso petierat Romanus Pontifex, multum sæpè studii, operæq; navavit: quapropter & Concilium, ad id perficiendum, colligere satagebat.

Gregor. Arm. Patriarcha Catholicus.

ANNOTATIO.

EVecto nunc temporis * ad solium Armeni Patriarchatus Gregorio, sapientia, probitate, catholicæq; fidei zelo spectabili viro; cum Armeniæ, externis Sarracenorum armis in Latinos conversis, fruendæ paulisper tranquillitatis spes aliqua affulgebat: domestico in bello implicita, funestiorum tunc maxime obruta est perturbationum procellis. Siquidem, dum Hayton Rex, S. Francisci institutum, Joannis nomine accepto, sectatus, Mariam sororem, Michaeli, Andronici Imperatoris filio, desponsandam Constantinopolim maximo duceret apparatu; Sem-

** Anum Domini in circiter 1293.*

Bella civilia Armeniam perturbant.

Sembat frater ipsius Armeniæ sceptrum illi scelere surripuit. Describit autem hæc mala Sanutus: Christiani, inquiens, transmarini, licet impiorum cladibus lacerati, in Armenia maxima scandala concitant inter se. Cum enim Hayton, Rex Armeniæ, Constantinopolim pergeret; quia filius Andronici, ejus sororem desponsabat, ducens secum fratrem Thoros; Sembat alter frater, regni diadema sibi imposuit anno Domini 1294. ex eo motus, quòd Hayton nunquam coronari voluerit, sed magis Fratrum Minorum sumpsisset habitum, & Frater Joannes ex tunc communiter vocaretur. Cum igitur rediisset Hayton ab Armenis repellitur; cognita causa, in Cyprum primò, dein in Constantinopolim navigat, & inde pergit ad Tartaros, ut de fratre ponat querelam; sed hunc ille pervenit, & ad gratiam captandam, Tartaram duxit uxorem.

ib. c. 2.

Hayton Rex Armeniæ Fratrum Minorum Institutũ sectatur

Postquàm igitur Sembat, Armenorum, & Tartarorum favoribus, suffragiisq; præfultus, ad Armeni Regni dominium pervenisset, regnavissetq; per aliquot annos; ut illud è novis Sarracenorum insultibus defendere ac tueri valeret, missis ad Bonifacium VIII. Papam Oratoribus, quam pium erga Sedem Apostolicam gereret devotionis affectum, ipsi significavit; suppliciter rogans, ut Armeniæ, infidelium armis, ac periculis undiq; circumseptæ, quantocyùs ille posset, auxilio succurreret opportuno. Quare magnam de ope obtinenda spem eidem Regi fecerunt sequentes Bonifacii litteræ:

Legatio Armeni Regis ad Bonifaciũ VIII. Papam.

Charissimo

Charissimo in Christo filio Sembat, Regi Armeniæ illustri, Bonifacius P.P. VIII. *Lib. 4. ep.161.*

REgiæ serenitatis nuntiis, & litteris, paterna benignitate nuper receptis, tam ea, quæ ipsæ continebant litteræ, quam quæ dicti nuntii coram Nobis, & fratribus nostris ex parte tua voluerunt proponere, vidimus, & audivimus diligenter. Ex quibus comperimus, quod tu, tanquam devotionis filius, matrem tuam Romanam Ecclesiam revereris, & ad Christiani populi dilectionem, & honorem aspirans, ad Deum, & ipsam Ecclesiam fideliter te dirigis, & conformas. Intellectis itaq; per nuntios ipsos, tuis, ac regni tui vexationibus,& angustiis,intimo compatientes affectu, nostra studia præparamus, & ipsius vexati regni tui, & desolatæ Terræ sanctæ, funiculo quidem hæreditatis dominicæ, adjutorium impendere valeamus; rogantes Celsitudinem regiam, & hortantes attentè quatenus contra hostes fidei solita fortis magnanimitate persistens, & longanimi strenuitate victoriosus exurgens, fortiter patiaris adversa; saltem donec tibi tempus subventionis adveniat, quod Deo auctore erit propius, quàm credatur. Exurge fili, expecta Dominum, & custodias vias ejus, & exaltabit te: nam oculi ejus super timentes eum, & in eis, qui in misericordia ejus sperant. Ipse enim de cœlo prospiciens super filios hominum, ac videns, quod sis † intelligens, & requirens eum, sua tibi propitiatione subveniet; ac causam suam

Rex Sembat Apost. S. Sedi devotus

Idem ejusdem sedis opem implorat.

Idem ad hostium impetus fortiter sustinẽdos excitatur.

† sceleratʼ raptor p. 420.

suam agi conspiciens, tibi non solùm defensionis gratiam, sed triumphi gloriam per suam clementiã ministrabit. Et ecce pro majori, & præstantiori commodo tuo charissimos in Christo filios nostros, Philippum Franciæ, & Eduardum Angliæ Reges illustres, quos invicem hactenus, instigante inimico homine, diffidentes pacificasse Domino favente confidimus, ad tuum subsidium efficaciter per nostras litteras excitamus. Dat. Reate III. Nonas Octobris, anno IV.]

Pax inter Francos & Anglos conjecta.

Gregorium quoque Armeniorum Patriarcham, Apost. S. Sedi per suos Legatos obedientiam exhibentem, ac illius auxilia contra Sarracenos pariter implorantem, paternæ dilectionis affectu amplexatur Bonifacius, optatam pollicetur opem, & ut populum illę suum, ac Clerum ad Romanæ fidei professionem adducat, magno studio, precibusque contendit:

Gregorius Patriarcha Apostol. obedientiã exhibet.

Gregorio Patriarchæ Armeniorum Bonifacius PP. VIII.

Bonif. lib. 4. ep. 271.

Ex litterarum tuarum tenore, & relatu tui nuntii, qui nobis præsentavit easdem, Apostolatui nostro innotuit reverentia, & devotio, quam geris ad Nos, & ad Sanctam Romanam Ecclesiam, matrem Ecclesiarum omnium, & magistram. Innotuit enim vera & pura professio, qua nos caput universalis Ecclesiæ orthodoxæ, successorem Petri, Vicariũ Jesu Christi, & universalis dominici gregis pastorem humiliter recognoscis. Percepimus etiam

Commendatur illius observantiã erga eandem Apostolic.

etiam de vexatione quasi continua, qua manus hostium Crucis Christi Armeniæ Regnum impugnat, & solito plus affligit: circa quod tu ad nostra, & Latinorum subsidia merito gerens fiduciam, pacificationem Latinorum ipsorum Nobis providè suasisti. Super quibus præsentibus respondemus; quòd Nos de tua devotione gaudentes, prædicti Regni vexationes, angustias & ærumnas paternæ compassionis charitate patimur, & relevationem ipsarum eò ampliùs cupimus, quò magis necessariam, & promotioni negotii Terræ sanctæ plùs utilem existimamus. Et post alia, quibus iñuit, Jacobum Regem Arragoniæ, ad Apostolicæ Sedis obsequium jam revocatum, atq; asperè invicem diffidentes Francorum, & Angliæ Reges à se conciliatos fuisse, hæc alia subjicit: Rogamus itaq; tuæ devotionis constantiam, & hortamur attentè, quatenus inter tribulationum angustias viriliter agas, & cor tuum in Domino confortetur. Expecta eum, & custodias vias ejus, saltem donec tibi, Ecclesiis, & Regno Armeniæ tempus subventionis adveniat, quòd dante Domino erit promptius, quam credatur. Ipse namq; Dominus propè est iis, qui tribulato sunt corde, & oculi ejus super timentes eum, & in eis, qui in misericordia ejus sperant. Nos quidem in favoré negotii, & succursum ptidé præfatis Francorũ & Anglorum Regib⁹ apostolica scripta direxim⁹, & illud, quod Domino præstante poterimus, consiliũ & auxilium intendimus exhibere. Hortamur insuper, & rogamus attentè,

De vexationibus Armeniæ dolet.

Illum ad constantiam, & patientiam erigit.

Hortatur Pa-

triarcha ut Armenos in fide Orthodoxa erudiat. ut studeas Armenorum Clerum, & populum in fide, quam prædicta sancta Romana prædicat, docet, & tenet Ecclesia, per te, & alios informare; ut purgato omni vetustatis errore, in fide ipsa sint stabiles, & in opere efficaces, ad animarum suarum salutem, gloriam, & honorem Domini nostri Jesu Christi; qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit, & regnat in secula seculorum. Dat. Reate, VII. Kal. Novembris, anno IV.

Hucusq; Bonifacius; qui etiam Gallorum, & Anglorum Regibus nuncios, quos ad illos Armenus miserat, litteris suis* dirigens & commendans, eosdem Reges ad ferendam laboranti Armeniæ opem excitavit.

** ibid. epist. 262. & reg. post. eand. ep.*

Porrò Rex Hayton, & Thoros fratres, qui pulsi ex Armenia, post diuturnam peregrinationem à Tartaris pro Regno recuperando eblandiri auxilia nitebantur, eorundem Tartarorum dolo ac proditione à Sembat tertio fratre comprehensi fuere; qui dum, præfocato Thoroso, & Haytone oculis orbato, tyrannidem suam stabilivisse putabat, à Constante quarto fratre insidiis oppressus est; unde iterum Hayton, visu divinitus recepto, restituitur regno: quod Sanutus his verbis enarrat: Sembat in reditu è Tartaria fratres Haytonem, & Thoros capiens, & cunctis bonis expolians, in Armeniam duxit; Thoros cum chorda arcus stricto gutture suffocari fecit, & visum perstringi Haytoni; quem ille nutu Dei recuperavit. Quod attendens Constans quartus frater, indoluit vehementer, & aggressus

Sanut. lib. 3. par. 13. cap. 2.

Hayton Rex Arm. Regnum amissum recuperat.

gressus Regem Sembat personaliter cepit, & carceri mancipavit, & Haytonem libertati restituit. Ille, liber effectus, ambos fratres sub tuta custodia misit ad Constantinopolitanum Imperatorem, rogans, ne eos sineret evagari.

**Ibidem*

Subdit præterea * præfatus auctor, ab eodem religioso Rege Haytone, aliàs Fratre Joanne, post sceptri recuperationem, Cassanum, Tartarorum in Perside Regem ad Sarracenos, qui Armeniam infestabant, exscindendos solicitatum: Anno Domini 1299. Sarraceni Armeniam discurrerunt, castra & loca fortissima occupantes: Rex autem frater Joannes, se, suosq; in montibus salvans: in arcto positus, Tartarorum implorat auxilium, eosque contra Sarracenos instigat; ostendens plurimam habituros prædam, nec verendas eorum acies, auro, argentoque fulgentes, in quibus plus lucri quàm periculi invenirent.

Sarraceni infestant Armeniam, cujus Rex auxilia Tartarorum implorat.

Susceptum accuratissimè hoc eodem anno à Cassano Tartarorum Rege bellum in Mahometanæ sectæ cultores, atq; conjunctis sibi Armenis, Georgianisq; copiis, magnam de Sultano victoriam retulisse, diffusè refert Aytonus Armenus Historicus, qui eidem bello interfuit; Divus autem Antonius eadem breviter in hæc verba perstrinxit: Cassanus, Imperator Tartarorum, venit in Syriam contra Sultanum Babyloniæ secum copias ducens ducentorum millium Tartarorum inter equites, & pedites, ex conductu Regis Armeniæ, & Regis Georgiæ, qui erant inimici Sarracenorum, & ipsi Reges erant Christiani; ad recuperan-

Ayto. hist. Orient. par. 2. c. 25. apud Ramusium tom. 2.

S. Anton. par. 3. tit. 10. cap. 8. §. 8.

cuperandam terram ſanctam, & auferendam à Sarracenis. Hoc autem cum cognoviſſet Sultanus, ex Ægypto deſcendit in Syriam cum centum millibus equitum Sarracenorum, absque alia multitudine innumerabili de Syria, cum adjuvante: & ſibi invicem occurrentes, pugnam horribilem inieruntinter ſe: demum ceſſit victoria Caſſano Imperatori Tartarorum ex induſtria, & ſagacitate pugnandi. Namipſe cum non modica parte, & fortiori ſuorum equitum, deſcendentes de equis, in pedibus ſteterunt, quouſque Sarraceni, emittendo continuò ſagittas, evacuaverunt pharetras ſuas, &c.

Idem victoria potiuntur.

Nota Tartarorum aſtutias, qui ſtantes poſt equos ſuos, de eis ſibi murum fecere contra impetum inimicorum, donec hi pharetras ſuas omnes, incaſsùm tela jactando, exhaurirent: poſt quæ illi rurſus equos inſilientes, atque hoſtes viriliter invadentes, in fugam eos converterunt. Cujusmodi autem hujus fuerit victoriæ finis, explicat Aytonus: *Caſſanus*, inquit ille, *cum gente ſua perſequutus fuit usq; ad noctis caliginem inimicos, diverſimode occidendo: undè tanta fuit ibi Sarracenorum ſtrages, ut tota terra, corporibus equorum, & hominum mortuorum, ac ſauciatorum, plena videretur. Poſt conflictum, nocte illa requievit Caſſanus in quodam loco, qui vocatur Canetum, gaudens, & exultans ineffabiliter de triumpho, quem contra inimicos obtinuerat nutu Dei. Actum hoc anno Domini 1299. die Mercurii ante feſtum nativitatis Domini.*

Ayto. loc. cit. cap. 25. & 26.

His

His itaque sic peractis, Cassanus præcepit Regi Armeniæ, & cuidam Duci Tartarorum, qui vocabatur Molay, ut cum quadraginta millibus equitum Tartarorum persequerentur Sultanum usque ad desertum Ægypti, quod distabat à campo belli per duodecim dietas, & ultra; & apud Civitatem Gazaræ ipsum, aut ejus mandatum expectarent. Rex igitur Armeniæ, & Molay prædictus cum quadraginta millibus Tartarorum ante solis ortum discedentes, Sultanum fuerunt celeriter persequuti. Post triduum verò, Cassanus nuncios misit ad Regem Armeniæ, ut rediret; quia volebat obsidere civitatem Damasci; & præcepit, ut Molay ulteriùs procederet, sicut habuerat in mandatis, Sarracenos omnes, quos poterat, perimendo. &c.

Armeni & Tartari Sarracenos persequuntur.

Cassanus ad Summàm [quod latè prosequitur auctor *] dum junctus cum Rege Armeniæ, Aman & Damasco, cæterisque Syriæ Urbibus subjugatis, victoriæ triumphum ulteriùs felicissimè protrahebat, certior factus de Perside, à Baido consanguineo suo excursionibus invasa, illuc celeriter accurrere cum exercitu, victoriæque progressus prosperè succedentes omittere compulsus est: quam ob rem & Hayton Rex Armeniæ, desciscente iterum Syria è Tartaris ad Sarracenos, in regnum suum pariter se recepit: qui licet subindè cum novo rursus procinctu ex Armenia bis egressus esset anno salutis 1301. & 1303. ut ad Mahometanos debellandos, suas cum eodem Cassano vires conjungeret; semper tamen,

** cap. 27. 28. 29.*

Eorundem in Sarracenos bellum sæpius intermissum

aut

aut Cassano gravissimis morbis oppresso, aut tumultibus in Perside denuò suscitatis, ab incæpto desisti; atq; importunè retrocedi oportuit.

Plurima porrò ejusdem Regis exercitus in ultimo regressu passus est damna; quæ uti fuerint à Cassano reparata, his verbis memorat idem Aytonus: * Postquàm Rex Armeniæ flumen Euphratem pertransivit cum tanta suorum jactura; antequàm ad regnum suum reverteretur, decrevit ire ad Cassanum: undè perrexit ad Civitatem Ninive, in qua ille tunc residebat: & Cassanus Regem excepit benignè & honorificè; ac plurimùm condoluit propter amissiones, & damna, quæ ille passus fuerat; pro quorum compensatione, gratia speciali illi concessit, ut mille equites Tartarorum suis expensis assiduè manerent in custodia Regni Armeniæ: & prætereà jussit, è Regno Turciæ tantam pecuniam illi subministrari, quanta potuisset alios mille equites Armenos in sui custodia retinere. Rex itaq; his acceptis gratiis, in Regnum suum reversus est; & Cassan⁹ ei injunxit, ut accuratè circa custodiam regni Armeniæ vigilaret, quousq; ad Terram sanctam recuperandam iterum posset iri.

* *c. 29.*

Armenia præsidiis Tartarorum munitur.

Quod autem ad Cassanum spectat, suscepisse illum Christiana Baptismalia ex prodigio quodam, divinitús patrato precibus filiæ Regis Armeniæ uxoris ejusdem Cassani, refert S: Antonius: cujus verbis, quonam modo totum hoc se habuerit, ostendere, operæ pretium visum est.

S. Anton. par. 3. tit. 20 c. 8. § 9.

Cassanus

Cassanus Imperator Tartarorum, inquit, ut dictum est, fuit filius Argonis Chami; parvus quidem corpore, sed animo magnus; despicabilis vultu, sed mente venerandus; quia virtutibus exornatus, sapiens in bellis, & sagax in rebus, munificentissimus Christianorum. Hic demum Christianus effectus, baptisma suscepit, & ad hoc induxit multos ex suis. Causa autem suæ conversionis ad fidem, miraculum fuit, quod hic sequitur, ad consolationem fidelium ennarrandum. Quando iste Cassanus fuit creatus Imperator Tartarorum, fecit inquirere inter omnes mulieres, quæ esset omnium speciosior, ut illam sibi acciperet in uxorem, non attendens nec ad thesauros, nec ad alia hujusmodi: & cum destinasset plurimos per partes Orientales ad hoc perquirendum, tandem compertum est, & indicatum, quòd filia Regis Armeniæ esset pulchrior omnibus. Hac igitur postulata à Cassano, pater assensum præbuit, si puellæ hoc gratum foret, illa, ut prudens, pudica, & Jesu Christo devota, respondit, se paratam patri obedire in hoc, ita tamen, si sibi libertas daretur colendi Jesum Christum suo modo, quamvis Cassanus tunc esset paganus: & acceptavit conditionem Cassanus per oratores suos. Quamobrem Rex Armeniæ misit filiam suam ad Cassanum, associatam cum germano suo religioso viro, & cum aliis religiosis, & nobilibus viris, ac mulieribus, ut eam in uxorem haberet: quæ cum applicuisset, multum complacuit sibi in ea; ex qua citò filium

Virtutes Cassani.

Miraculum, quo Cassanus ad fidem convertitur.

Filia Regis Armeniæ, Imperatori Tartarorũ desponsatur.

filium suscepit, sed ita deformem, & turpem, ut vix in eo humanitas appareret.

Cassanus super hoc consilium sumens cum Satrapis, & sapientibus suis; collatione simul facta, ab eis responsum accepit, hoc ideo accidisse, quia ex adulterio conceperat; & ideò ipsam cremandam esse cum prole sua. Determinatione ea facta, quamvis hoc grave esset Cassano propter amorem ad illam conceptum, populus quoque civitatis condoleret; cum rogus ad hoc pararetur, sibique significata fuisset mors sua, postulavit illa, hanc sibi gratiam fieri; ut more Christianorum sibi liceret confessionem facere, & communionem sacram suscipere, & filium illum suum baptizari. Quibus peractis, & parvulo illo baptizato in debita forma, subitò puer mutatus est in alterum, & apparuit ita pulcher, & gratiosus, sicut quicunque alius in orbe reperire posset. Ex tam evidenti prodigio nimis lætificatus Cassanus, non solùm immunem esse voluit uxorem suam cum prole à morte; sed eam quoque Imperatricem decrevit, & cum magna solennitate ipse cum innumerabili populo Tartarorum credentes in Christum, baptismum susceperunt: & in Testimonium veritatis prædictorum, quidam Florentinus origine, nutritus in partibus illis à pueritia, destinatus fuit orator cum pluribus Tartaris ad referendum ista Domino Papæ Bonifacio, & Principibus fidelium.] Hactenus S. Antonius.

Tartari plexantur fidem Christi, opera filiæ Regis Armeniæ.

Cassano denique, anno à Virginis partu 1304. ab humanis erepto; post illius excessum

sum, quid acciderit Armeniæ; quid Haytoni Regi, ejusq; filio Leoni; quid tandem Aytono historico, Regis Armeniæ consanguineo; ab ipsomet Aytono accipiamus, cujus verba sunt hæc: *Ayton. hist. or. cap. 30. & 31.*

Propter Cassani obitum Rex Armeniæ fuit plurimùm conturbatus: ex eo enim ipsi⁹ inimici magnam in superbiam elevati fuerant. Cumq; Sultanus eundem Regem, ac ejus gentem odio nimis haberet, singulis annis, & ferè unoquoq; mense multos mittebat de civitate Baldach * ad totam Armeniæ Regionem depopulandum, & præcipuè omnes agrorum fructus; ut nunquàm alias regnum Armeniæ adeò ingentia damna subierit. Sed omnipotens & misericors Deus, qui non deserit sperantes in se, Christianorum calamitatum misertus fuit. Undè accidit, quod mense Julii septem millia Sarracenorum ex melioribus, quos haberet Sultanus, invaserunt regnum Armeniæ, ipsum totum vastando, ac destruendo usq; ad civitatem Tarsi, in qua natus erat Paulus Apostolus. Cum autem illius Provinciæ prædis onusti reverterentur, occurrit illis Rex cum suo exercitu prope civitatem Giazæ, & prælium cum eis inivit. Tandem voluntate, ac misericordia Dei, non industriâ, aut viribus hominum, ita Sarraceni superati fuerunt, ut ex tanto numero vix fugere potuerint trecenti, reliquis omnibus aut mancipatis, aut neci traditis: quamvis ob magnam ipsorum audaciam arbitrati prius fuissent, se unico haustu totum regnum Armeniæ, cum

** aliàs Babylonis.*

Sarraceni irrumpũt in Armeniã.

Iidem ab Armenis trucidantur.

Christianis in eo existentibus, fuisse deglutituros. Actum est hoc dominica die 18. Julii: post quam cladem non amplius ausi sunt Sarraceni in Regnum Armeniæ ingredi; immò Sultanus Ægypti nuncios misit ad Regem, & cum eo fœdera pacis composuit.

Fœdus pacis inter Armenos & Sarracenos.

Ego autem Aytonus fui præsens omnibus rebus prædictis: & quamvis multò anteà animum induxissem, ut habitum regularem susciperem; non potui tamen propter negotia, & vexationes regni Armeniæ, salva ratione mei decoris, consanguineos, & amicos meos in tot necessitatibus deserere. Postquam verò Deus, per suam misericordiam, gratiam mihi concessit; ut regnum illud, ejusque populum Christianum post multos meos labores in tranquillo, ac pacifico statu relinquerem; statim persolvere volui votum, quod jampridem nuncupaveram. Quare veniâ mihi à Rege, aliisq; meis consanguineis, & amicis præstita in eodem campo, in quo Deus triumphum, & victoriam Christianis de suis inimicis concesserat, inde discessi, venique in Cyprum in monasterium Episcopii, ubi sumpsi habitum regularem Ordinis Præmonstratensis anno Domini 1305. Ut qui in mea juventute militaveram seculo, abjectis deinde ejusdem seculi pompis, reliquum vitæ meæ in Dei servitio insumerem.

Ayton9 Armen' historic' fit Monachus Premõstratensis.

Deo itaq; gratias refero, quòd Armeniæ Regnum temporibus his in tranquillo, bono, & pacifico statu consistat, præsertim sub novi Regis, Domini Leonis, * filii Haytonis regimine

** Leo II. Rex Armen.*

mine; qui illustratus virtute, & indole gloriosa, speculum præ se fert gratiosum gentibus universis. Quare in spem certam adducimur, fore, ut, ope divina, Regis hujus adolescentis ætate, qui Majores suos probitate antecellit, regnum Armeniæ restituatur in pristinum.] Hoc totum Aytonus Armenus.

Ut autem ad Gregorium, Armeniæ Patriarcham, & orthodoxæ fidei propugnatorem acerrimum, à quo fueramus antè digressi, historiam iterum convertamus. Injunxerat huic per litteras, jam superiús à nobis allatas, quam accuratissimè poterat, Bonifacius Papa VIII. ut Armenum Clerum, ac Populum ad Catholicam fidem, & Ecclesiæ Romanæ gremium adducere, ex animo, totisq; viribus conaretur: nec illi quidem tanti Pontificis cohortatio inanis; quoniam ubi hoc tempore Gregorius, è bellorum curis, & vexationibus, liberos vidit Armenos Reges, Haytonem, inquam, & Leonem ejus filium, cui pater, ut regulare sanctioris vitæ institutum, à se olim susceptum, ex omni parte prosequeretur, regni gubernacula moderanda commiserat; occasionem illam tunc sibi prorsus urgendam adjudicavit, ne ea temporis opportunitas è manibus suis elaberetur. Cumq; sibi persuaderet, facilius Haytonem; utpote religiosum, & divinis rebus addictum; quam Leonem filium, suis & Romani Pontificis votis fuisse obsequuturum, ad ipsum Haytonem, quo cum anteà hac de re multa verba fecerat, pereruditam destinavit epistolam, in qua primùm

Armenos errores luculentiſſimè detegit, ac refellit; tum ut Concilium in Armenia generale ad eos deteſtandos, & cum Romana Eccleſia unionem coëundam indicat, efficaciſſimis precibus, & rationibus inſtat. Extat autem hæc epiſtola penes me in eodem Armeno Codice, in quo præſens Patriarcharum ſeries recenſetur; eaq; talis eſt:

Epiſtola Gregorii Siſenſis, Armeniorum Patriarchæ, ad Haytonem, patrem Leonis Regis Armeniæ, cœnobitam.

GRegorius, ſervus Jesu Chriſti Domini noſtri, & gratiâ Dei omnium Armeniorum Patriarcha, piiſſimo, ac principali noſtro & ſanctæ hujus Eccleſiæ filio ſpirituali, maximo totius Armeniæ Domino, noſtriq; Regis patri, Haytoni, quem Deus ſemper ſalvum, imperturbatum, & incolumem ſervet, ſalutem & benedictionem. Notum tibi ſit, religioſiſſime Princeps, ad Nos jam venerabiles litteras tuas, à Stephano Reverendiſſimo tuo Capellano delatas, perveniſſe: in quibus ea Nobis memoras, quæ circa præterito anno, in hac Siſenſi civitate, quò veniens Nos dignatus eras adire, te fuimus alloquuti; noſtra ſcilicet permagni quidem intereſſe, ut, donec inter vivos adhuc ſuperſtites ſumus, ab excommunicationibus liberemur, atq; in ſanctam Dei Eccleſiam admittamur. Eſt enim in hac Eccleſia penes nos, qui in aliis quoq; Orientis
S. Athanaſius. Eccleſiis, & Monaſteriis noſtris reperitur, Athanaſii liber, in Armenum idioma tranſlatus;

ubi

ubi agens de Missæ sacrificio ille ait: quod Christus calicem vini mistum accepit. Extantque, quas præsens tibi defert litterarum [a] fasciculus, Alexandri, & Julii, [a] Romanorum Pontificum litteræ; in quibus Missæ sacrificium sine aqua conficientes anathematizantur: & hoc ipsum referunt etiam Ambrosius [b] & Cyprianus.

Est insuper apud nos, qui priùs erat nostri Avunculi, radix fidei, liber Irenæi Apostolorum successoris, ubi [c] aquæ vino miscendæ fit mentio; in cujus margine, propria Avunculi nostri manu annotatum legitur: Vide, quòd etiam aqua in Missa requiritur. Extabat præterea quidam Canon à Nobis nuper transscriptus, in quo Cypriani & Carthaginensis [d] Concilii eadem de aquæ necessitudine verba legebantur: illudq; Concilium non novum, sed vetus est, & propè Nicænum. Nec non in sexto Concilio [e] idem reperitur Canon, excomunicatio, & anathematismus: adducuntq; illud Salomonis, [f] miscuit in cratera vinum suum; & Joannis Evangelistæ; [g] tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt; & tres sunt, qui testimonium dant in terra; spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt.

[a] Alexand. 1. ep. 1. & Julius 1. apud Gratianum de conseer. destin. 2.

[b] Ambros. lib. 4. de Sacrament. c. 4. & l. 5. cap. 1. Cyprian. lib. 2. ep. 3.

[c] S. Irenæus lib. 4. cap. 57. & lib. 5. cap. 1. Qui appellatur etiam à S. Epiphanio hær. 24. Apostolorum successor, eò quòd Apostolorum discipulus discipulorum fuit. *[d] Concil. Carthag. 3. can. 24. & Cyprian. lib. 2. ep. 3.* *[e] Concil. Trullan. can. 32.* *[f] Septua. Proverb. 9.* *[g] Epist. 1. cap. 5.*

Tum Chrysostomus [a] super illud Matthæi, non bibam de hoc germine vitis, &c. inquit Hoc dictum esse, ut perniciosissima aliquorum aliorum hæresis, qui aqua in mysteriis utuntur, radicitùs evellatur: nota, quod non dixit, qui in mysteriis aquam vino miscent; unde colligitur, neq; esse in illis adhibendum solum vinum: licet vinum, & panis materia sint hujus Sacramenti, quod Christi incarnationem, & mortem designat. Adverte, inquam, non dixisse Chrysostomum, qui miscent; hoc enim si dixisset, nostrum utiq; palàm probaret: sed ait, qui aqua utuntur; Ii [b] autem utuntur aqua, qui mysterium mortis Christi sola aqua conficiunt absq; vino.

Item Gregorius Nyssenus super Cantica Canticorum, Pande, inquit, os, & bibe aquam ex latere, de quo lancea tibi scaturiginem aperuit. Cujus tandem rei testes habemus non modo omnium Christianorum Ecclesias; verúm etiam ipsos Armenos libros, nostros insuper laudabiles Assyrios, quorum nullus sine aqua sacrificium peragit; & nostrorum cœnobiorum Monachos, qui hostias aqua semper intingunt, ac deinde vino calicis immergunt; unde nunquam vinum remanet sine aqua. Mitto quod scribit idem Nyssenus, vinum sc. aliud non esse, nisi aquam, qualitatibus quibusdam affectam, quæ colorem à planta desumpsit. Nostri prætereà sacrificii oblatio, quid aliud est, nisi Christi Corpus, & sanguis: in Corpore autem illo nonne erat aqua cum sanguine, ut habetur in Evangelio, [c] & continuò exivit sanguis & aqua.

Chrysostomus in c. 26. Matth cujus verba Armeni ad suum probandū subvertunt: ut constat ex Concilio Trullano, can. 32.

[b] *Isti sunt Ebionitæ, & Tatiani apud Epiphan. hæres. 46. qui Hydroparastæ & Aquarii diceb.*

[c] *Joh. 19.*

Testis est Deus, quòd præfatos Canones, Sanctorumq; testimonia, quæ in hac conscripsimus epistola, Nos ipsi præteritis annis perlegimus oculis. Vos quoq; testes estis, quod cum Latini à nobis hoc anteà requirebant, nos in opposito nihil fore detrimenti, pro certo existimantes, illis semper adversati fuimus: nec sciebamus, rem tantam fuisse à Conciliis, summisq; Pontificibus [a] sub gravissimis excommunicationum pœnis definitam, atq; præceptam: neq; inumeris magnisq; Sanctorum testimoniis, quæ in Armenis etiam voluminibus leguntur, confirmatam; imò & traditam, ut posteà reperi, ab ipsomet Episcopo nostro, Niersese Lampronensi, ab ipso quoq; Ghelajensi Patriarcha. Quapropter ex præterito jam anno deliberavimus, nunquam deinceps nos sacrum facturos, quin in calicem aquam infunderemus, saltem occultè, quousq; id foret apud nostros, peculiari Concilio stabilitum.

[a] Alexand. & Jul. in locis supra cit. & Clemes lib. 8. Constit. Apostol. cap. 13.

Porrò autem cum huc advenisset Capellanus tuus, nos ex Armenis codicibus, testimonia tibi scribenda colligere cœpimus, quæ id confirmarent, quibusq; parati essemus; ne convenientibus propter hoc viris ebriosis, tuoq; justo judicio à nobis omninò absente, ulla fortasse oriretur altercatio. Et quidem cum quibusdam nostris probatæ conscientiæ sociis præstolamur, donec simul cum omnibus aliis in unum locum congregati, quod fas est, librorum examinatione decernamus. Jamq; in præsentia rem significamus omnibus Ecclesia-

ſticis noſtris, nec non & veſtris; ne penitùs ultrò in excommunicationibus perſiſtamus, ſed quamprimùm in Miſſæ ſacrificio aqua vino ſemper miſcenda determinetur, eaq; multo paucior vino, frigida, non calida, & una ſolummodò vice infundenda.

Te igitur, Piiſſime Princeps, quam ſtudioſè poſſumus, per Deum ipſum rogamus, ut & tu quoq; ad rem hanc decernendam, diligentiam, curamq; adhibeas, Conciliumq; plenum indicas; utq; hujusmodi opere, ac labore à Conciliorum excommunicationibus liberemur, atq; in ſanctam Dei Eccleſiam admittamur. Quod profectò tunc perficietur omnino, cum ſeptem Generalia Concilia ſuſceperimus, & duas in Chriſto naturas, voluntates, & operationes; cum præſtitus fuerit aſſenſus ſubſcriptioni Patriarchæ Armeniorum, & Patriarchæ Albanenſium, omniumq; Orientalium, & Occidentalium, uti nos in futura Synodo declarabimus; cum feſtivitatem Nativitatis Dominicæ ſuo celebraverimus tempore; cum vigiliam Paſchatis obſervaverim⁹, & ſingulis quibuſq; ſextis feriis, quæ inter Paſcha, & Aſcenſionem incidunt, ab eſu carnium abſtinuerimus; cum ſicut illi, ita & nos jejunaverimus, feſtoſque dies egerimus; cum Triſagium, vel ſine additione illa, qui crucifixus es pro nobis, in ſanctam direxerimus Trinitatem; vel, ſi cum illa adjectione, in Chriſtum ſecundum humanitatem. Cum deniq; fuerimus illis * conformes in veſtibus ſacris, in orationibus, in Ordinum collatione, in ſacrarum

Armeni carnes comedunt in ſextis feriis à Paſchate uſq; ad Aſcenſionem Domini

* *Hoc eſt Latinis.*

crarum imaginum veneratione, & in usu aquæ prædictæ. Fac igitur, per Deum quæsumus, ut cum illis omnino concordes efficiamur. Curasti jampridem, ut benediceretur Civitas Aghtamarensis; cur non similiter, ut & nos omnes benedicamur, curæ tibi erit? Jam nos usq; adeò, donec numerosius cogatur Concilium, cum aliquibus nostris Episcopis utcunq; providentes, nostro mandato irritam declaramus excommunicationem, quam contra librorum divinorum, Ecclesiæq; Catholicæ doctrinam, per inscitiam, & iniquitatem erroneis canonibus pronunciaverat Conciliabulum illud * iniquum adversus eos, qui in Missæ sacrificio aquam vino miscerent: ac insuper cum benedictione mandamus, tam tuis, quam Regis filii tui, tuorumq; Fratrum, ac Procerum sacerdotibus; ut juxta Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, aquam dictam vino in Missa permisceant; atque id, quoadusque Generale congregetur Concilium; quando liberiùs quidem poterit exerceri nimis cautè fieri, jubeas omnes priùs instruendo, nostræque hujus epistolæ testificationes illis ostendendo, ne scandalizentur.

* *Conciliabulum Manaschiertense Armenum.*

Tu jam anteà divina adjutus gratia, magnam illam concordiam, & amorem conciliasti: quòd si hanc aliam perficere volueris, qua nos benedici, & cum sancta Dei Ecclesia uniri facias; existimare certè poteris, quòd ferè alter Christus, tuo nos sanguine ab Inferis iterum erueris; tibique tot anima, & corpore servos, intercessores, ac laudatores

perpe-

perpetuos redemeris: esses etenim nobis Apostolus, & illuminator; beataq; planè foret tota progenies tua; immò & pœnitentia tuis peccatis confessis debita, à nobis supra nosmetipsos esset libenter accepta. Quantùm deniq; super hujuscemodi negotium poteris laborare, tantundem Dei Ecclesiæ laborabis: & hæc non alterius, sed propriæ nostræ manus scriptura est.

Intereà noli, amabo te, nos criminari, si tibi fandi prolixitate fastidium afferemus; dedecet enim, immò crimen esset, ac stultitia, rem tanti ponderis, paucis, veluti parvam, pertransire; non secus, ac virum longum, breve dedecet vestimentum. Et quidem res, de qua nunc agitur, magna admodùm est, fidei nostræ opus, & res publica, quæ pervenire debet ad quemlibet, sive virum, sive mulierem; & omnes perturbare potest iisq; scandalum parere, qui an vera, an falsa sit, nesciunt. Quamobrem antequàm Concilium celebremus, inq. omnium mentibus firmam hujusce rei veritatem universali examine, & testimoniis tam hominum, quàm divinarum scripturarum novi, & veteris testamenti constabiliamus; lubet in præsentia, quoniam aquæ miscendæ jam onus injunximus, res omnes memorabiles, quæ istius fidem adstruant, tanquam veritatis pignora hîc præmittere.

Exordium autem sumimus ex iis, quæ aliquibus etiam Primariis nostris Armenis indicavimus: & primum Orbelo, Archiepiscopo Siuniensi, quippe qui tam spiritualis, quàm corpo-

corporalis est Princeps; atq; illius quoque sociis, quibus hoc anno rem demonstravimus, ac persuasimus: & anno præterito Domino Joanni, sanctorum Apostolorum Episcopo; tum alio præcedenti anno idem ostendimus Episcopo Peccenensi, nec non & Varachensibus, propterea quòd, ut modo rectè recolimus, tertius jam recurrit annus, ex quo res ista certa fuit apud nos, & indubitata; tametsi jam anteà illam etiam audivissemus ex antiquis, ac sanctis nostris Patribus, ex Domino Jacobo, ex David e Magistro, ex Domino Nierses e, ex quatuor Patriarchalibus Cathedris, ac demum ex Papa, aliisq; omnibus Christianis: jamdudum enim apud Nostros ea tradita reperitur.

Præterea Dominus * Nierses in quacunque pervia sibi Ecclesia, sive Latina, sive Græca, sive Syriaca, aut conficiebat Sacrum, aut sumebat communionem: num existimari poterit, in ejusmodi Ecclesiis peractum fuisse sacrificium sine aqua? Tum quando magnus Princeps Sgeman, & Hayton, majores tui, Antiochenum Patriarcham, qui Latinus erat, in Sisensem duxerunt Civitatem; tunc iste, & Dominus Constantinus, Patriarcha noster, in Ecclesia Sanctæ Sophiæ Missam celebrarunt; videturne tibi, quòd si Antiochiæ Patriarcha sine aqua id præstitisset, non abjecisset illum juxta Canonum decreta sanctus Papa? immò nec ille solus, sed & noster etiam Dominus Constantinus vino aqua diluto palam una cum ipso concelebravit, & communionem ab eo sumpsit

* *Nierses Ghelaiensis Armeniorum Patriarcha.*

sumpsit: idque in libro nostri Avunculi, qui apud Stephanum Diaconum reperitur, per temetipsum videre poteris.

Denique interroga Cœnobitas istos, quid nam referant libri; quos & ipsi in futuro Concilio ostendemus: aut quid narrat Albanensis* Historicus: id planè, quod universo notum est Orienti; decem nimirùm Episcopos in Tevinensi Conciliabulo permutasse totam penè legem, quæ à divo usq; Gregorio in nobis inviolata perstiterat: unam quippè naturam in Christo constituerunt; & Trisagium illud, sanctus Deus, &c. Quod sacrum Concilium* erga sanctissimam Trinitatem decantandum decreverat superaddentes, qui crucifixus es pro nobis, erga filium direxerunt. Postea verò Heraclius Imperator, cum ob sanctam Crucem profectus esset in Orientem, omnes Armenos Patres convocavit; qui post menstruum examen, concordiam, & unionem denuò componentes, susceperunt usum aquæ in sacrificio, celebrationem Dominicæ Nativitatis die 25. Decembris, aliaq; omnia atque post Dominum Jeserem, tunc temporis Patriarcham, quinq; alii Patriarchæ successores in eadem permanserunt fide, ex quibus unus fuit sanctus Isaac; ille, qui dum Mahometem *pro Armenis adiret, diem suum obivit in Mesopotamia, descenditq; super eum lux de cœlo, in cujus morte multa miracula perpetrata sunt. Quarè superveniens Mahometes, epistolamque increpatoriam, ab eo sibi relictam, legens, aperuit illius sepulchrum; repertoque cada-

** Albanenses, Armeni Populi juxta Iberiam, sub peculiari Patriarcha.*

** Decantatum reperitur Trisagium in fine primæ actionis Concilii Chalcedonensis.*

** Sarracenorum militiæ Ducem.*

cadavere incorrupto, dexteram illius osculat[9] est, dicens; quicquid mihi jussisti, exequar: moxq; inde discedens, Armenos Monachos è captivitate liberavit; eamq; dexteram nos ipsi in Ghelaiensi vidimus Civitate adhuc incorruptam, quæ deinde argento exornata fuit.

Hæc quidem omnia consideranda sunt: nec non ea: quæ in aliis etiam nostris epistolis memoravimus; tum de Damasceni (a) verbis circa duas Christi naturas; tum de Conciliorum Canonibus, qui aquam vino miscendam injungunt, & Armenis nominatim præcipiunt, ne sine aqua dicta sacrificent; quod innuit etiam Chrysostomus, (b) damnando eos qui sola aqua utuntur: quibus adhuc concordant, quæ scripsit Papa; (c) inquiens, quòd cum de latere Christi egressa sint sanguis & aqua, non decet, aqua sola, aut solo vino Sacrum conficere, & idem Chrysostomus, (d) in sua liturgia, unus militum, ait, lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis: hæc dicens, infundat vinum; & subdens, & aqua; infundat aquam. Tum quæ narrat (e) Damascen[9] de Trisagio; & quæ Dn. Nierses, & Dn. Gregori[9] de duab[9] indivisis, & inconfusis,

in

(a) *Damasc. in tract. de natura composita contra Acephalos, & in lib. de divina incarnat.* (b) *Chrysost in cap. 26. Matthai.* (c) *Alexander I. epist. 1. & Julius I apud Gratian. de consecr. distin. & Clemens lib. 8. Constit Apostol cap. 13.* (d) *Chrysost. in Liturgia.* (e) *Damasc lib. 3. cap. 10. de Ter-sancto hymno, & in epist. de Trisagio.*

in una Christi Persona unitis, naturis, voluntatibus, & operationibus. Tum quæ Chrysostomus de festo Nativitatis Domini, sicut ipse nosti; & quæ noster Abraham de festo Annuntiationis, suo tempore celebrando. Tum deniqúe, quæ refert Albanensis Historicus, [a] fuisse nimirum in Tevinensi Conciliabulo, jussu Regis Persarum coacto, Constitutiones nostri sancti Pâtris Gregorii à decem Episcopis immutatas, & unam naturam in Christo, & additionem, qui crucifixus es, in Trisagio, noviter definitas. Id quod advertit etiam Jesaias, totiùs Orientis Doctor, ac Magister, qui in duobus Orientis locis Albanensis Historici volumen, & intra illud nostra suprà relata verba invénit, [nam res de Nativitate, & aqua expressiùs in ipsorummet [b] codicibus memoratur] quibus jam aliarum nostrarum epistolarum rationes, & Canones, qui in eorum non reperiebantur libris, transscribens apponit; nobisq; hoc anno rescripsit, dicens; noli quæso me incusare, si rem dilationibus prorogo; nondum enim expleta est. Hæc igitur omnia idcirco referuntur, ut notum fiat, nihil nos falsi, aut occulti fuisse loquutos; sed illud sanè, quod omnibus Armenis manifestum est, aliorum etiam testimoniis patefacimus sapientibus tantùm viris; ab inscientibus autem occultamus, quousq; Concilium celebrandum sit. Quin hoc item anno in expositoribus Divi Marci complura de aquæ mistione verba deprehendimus, videlicet in sancto [c] Hieronymo, & Beda [d] Presbytero, atq; in aliis etiam

[a] *Celebris Armeniorum Historicus.*

[b] *Hoc est Armenorũ Albanensium.*

[c] *Hieron. in Marci cap. 14. super illa verba, accepit Jesus panem &c*

[d] *Beda in Marci cap. 14. super illa verba, hic est sanguis meus.*

etiam Latinis sanctis Patribus, quos in futuram Synodum afferemus.

Te autem enixè obsecramus, ne nos, tuimet causa, hunc protendere sermonem, existimes; sed propter cæteros juniores, & imbecilles. Enimverò, ut inquit Paulus, debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere. Sine, obloquantur nonnulli, quòd Christiani omnes, aut Sancti, aut etiam Evangelium ipsum, usum vini puri commendent, & aquæ mistionem prohibeant. Haud enim debemus nos hujuscemodi nugis aurem præbere; Si namq; dixisset Evangelium; accepto guttulo, aut œnophoro, aut utre; vel accepto vino ex cupa, aut è cella vinaria, aut ex alio vase, in quo merum servari solet; vel si dixisset: petiit, & accepit vas vinarium, & similia; pro ipsis fortè res esset. Porrò cum dicat, quod recumbentibus illis in mensa, accepit Jesus calicem; profectò perspicuum est, quod de mensa, in qua erat juxta consuetudinem appositus, ipsum calicem sumpsit. Præterea si mos illius fuisset Regionis, quemadmodum nos in Oriente solemus, vinum in mensa purum apponere; & dictum esset: accepta phiala, aut alio vinario vase utiq; merum intelligeretur; & similiter etiam, si apertè dixisset, illud fuisse vinum purum.

Deinde, neq; potionem illam fuisse puram aquam, ostendit, ut inquiunt Sancti: sicut id, quod de latere fluxit, non fuit aqua sola. Ait enim, [a] non bibam de hoc germine vitis; unde constat, vinum intus fuisse: sed non pu- [a] *Matth.* 26.

rum,

[b] *Athanasi⁹* rum, ut inquit Salomon, miscuit in craterâ vinum suum: & Divus Athanasius, [b] accepit [c] *Basilius in sua liturgia.* calicem vini mistum; & sanctus Basilius, [c] similiter & calicem de germine vitis accipiens, miscens, gratias agens, benedicens, dedit &c. & S. Gregorius, [a] bibe aquam, quæ de [a] *Nyssen⁹ in cant. homil. 12.* latere petræ scaturivit; & ipse Dominus; hic [b] est calix, novum testamentum. Calix autem vini poculum significat, aut scyphum, aut cyathum: quem etiam David pro poculo vinario usurpat; licet, quando purum vinum [b] *Luca 22.* indicare vult, manifestò id explicet, dicens: [c] Calix in manu Domini vini meri. Calix [c] *Ps. 74.* itaq; quomodocunq; in scripturis nominatur, non pro ipso vino, sed semper pro poculo sumitur; sic etiam in Hieremia, [d] Calix aure- [d] *Hieremiæ cap. 51.* us Babylon in manu Domini; vide, quòd jam non vinum, sed poculum designat: quomodò namq; posset vinum, aureum appellari? sic & vasa Templi, in quibus immolatorum sanguis recipiebatur, aurei calices vocabantur. In eo- [e] *Ps. 115.* dem similiter sensu ait David, [e] Calicem salutaris accipiam, hoc est, poculum salutis. Et [f] *Matth. 26.* Dominus item, [f] transeat à me calix iste, transeat nimirùm istud poculum. Manifestum est igitur, quod Christus non aliud, nisi poculum è mensa desumpsit, in quo vinum erat aqua dilutum: maximè cum addiderit [g] [g] *Luc. 22* hoc facite in meam commemorationem; sed in quarumnam rerum tuarum memoriam faciendum est? num resurrectionis Lazari aliorumve, quæ operatus fuisti, miraculorum? verùm ipsimet cum antea sui sanguinis mentio-

nem

nem fecerit, signa responsionis insinuavit; quam discipulus ejus Paulus optimè sciens, nobis exposuit, dicens; [b] Mortem Domini annunciabitis, donec veniat: itaq; sacrificium peragere, est dominicæ mortis commemorationem facere: in morte verò eius nonne sanguis & aqua de latere profluxerunt? planè ad innuendum, quod aqua exiit tanquam ex mortuo: quatenus enim homo erat, mortuus est: sanguis autem tanquam ex vivente, quia quatenus erat verus Deus, vivus permansit adhuc post mortem corporis.

[b] 1. Cor. 11.

At recole, quæso, illam Magistri Minasi sententiam, qui dicere sæpè solebat; Culpa foret in Oriente, si in hac Minori Armenia homo, in mensa recumbens, poculum vini puri suo etiam inimico non propinaret. Verùm, cum Sacrum esse mero conficiendum, traditum nobis non sit á Divo Gregorio, [a] ecce liber ipsius: neq; à sancto Isaac: [b] ecce illius Canones: unde igitur nobis hoc unquam defluere potuit? nisi, ut verum fatear, ex eo, quia, cum Orientales innata quadam consuetudine vinum non bibant, nisi purum, vel Sacrum ipsum in mero perficere maluerunt; tum quoque, ut à Græcis, in quorum pravitate offenderât, discreparêt. Quòd si purû requireretur vinû in Missa, eò quod sic, ut quidâ ex nostris loquuntur, incorruptibile sit: ecce jam Dn. Nierses, [c] qui docet, incorporea solùm esse incorruptibilia; materialia verò corruptibilia omnia. Tam itaq; vinû aqua dilutû, quàm purû, corruptioni quidem obnoxium est. Et sanè

[a] S. Gregor. primus Armeniæ Patriarch.

[b] Isaac, Armeniæ X. Patriarcha.

[c] Nierses Ghelaiensis Arm. Patriarcha.

Græci, licet nobis, & antequàm nos, sapientiores, quia tamen non vinum firmum, sed loram bibere solent, lorâ quoq; in altare utuntur; quamobrem cœperunt à nobis in sacramentis differre. Quid ergò mirandum, si nos Orientales, qui merum bibimus, in mero quoque sacrificemus? quando nulla alia Christianorum Natio reperitur, quæ vinum dilutum potans, sacra in mero faciat.

Deniq; ne nobis culpam ascribas, Charissime Princeps, quòd tibi rem equidem magnam comittimus: quanquam etenim in hac nostra Provincia unà cum Deo dominaris; dum tamen mundi gloriam aspernatus, religiosus evadere maluisti, procul dubio partem sortitus es nostram. At verò quodnam facinus aggrediaris oportet præclarius eo, in quo Dei Filius te constituit Regionis & Ecclesiæ nostræ Conciliatorem? tum pacificatorem existere, quid aliud, nisi Dei Filio æquiparari est, ac beatum vocari? Quapropter precibus tecum agimus, quàm possumus, diligentissimis; ut, si tua quoq; hoc feret voluntas, justumque arbitratus fueris, nonnullos anteà convoces Episcopos, Cœnobiorumq; sapientiores Patres, ac Magistros; quibus hanc nostram lubeat epistolam perpendere, atq; aliis suorum Monasteriorum probatis, & ingenio perspicacibus viris ostendere. Siquidem, qui illam approbent, fuerint; suscipiant: reprobantes verò ad futurum accedant Concilium; in quo gratius nobis erit. & perjucundius, si quicquid in contrarium sciant, nobiscum conferant;

quàm

quàm quòd ab aliis posteà certiores facti, in nos obtrectationibus invehantur, perinde ac si nos mendaces fuerimus, aut ex industria rem aliquam sophistica opinione confictam, vel dolo è sacris scripturis abstractam, in medium protulerimus. Congruens autem omnino erit, ut res omni priùs modestia tractari incipiat, antequã in Concilio reciproca omnium ratiocinatione, & communi consensu ad exitum ière, & canonicè perducatur.

[a] *Prov.* 22.
[b] *Eccl. fi.ꝗ. cap* 10.

Cæterum præ aliis diligentiùs expendas velim id, quod dicit scriptura: [a] ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui, & iterum, [b] qui dissipat sepem hæreditatis paternæ, mordebit eum Coluber. Si res igitur ita se habet; Sanctorumne culpa fuit, quod sepem Idololatriæ suorum Patrũ à principio destruxerunt? minimè quidem gentium: haud enim Patres Idololatræ, eorum veri patres censendi sunt: quoniam illorum filii, qui corpus erant Adam, veterem hominem in baptismo mortuum exuerunt, & Christum induti sunt; quibus posteà dictum est,* Patrem nolite vocare vobis super terram; unus est enim Pater vester, qui in cœlis est. Nostri itaq; patres non alii certò, nisi Sancti, Dei simulacra: & sepes, ac termini, eorum lex, & canones sunt. Quare quisquis epistolæ hujus documenta servat, pacemq; conciliat, non dissipat Ecclesiam, nec perturbationibus, aut excommunicationibus implicat; neq; nos, hæc scribendo, paternam sepem demolimur; sed potiùs divinorum librorum traditiones,

Complures Armeni resp̃uũt Ecclesiæ suæ correctionẽ nescio quo jure dicentes: Nolumus transgredi terminos antiquos, quos posuerunt Patres nostri.

* *Matth.* 23.

sanctorumq; Patrum statuta perficimus, & confirmamus. Quapropter quicquid apud nos antiquum, & à principio traditum, conservare accuratè debemus; ne quando rei nostræ contingat id, quod sæpenumerò vineæ evenire solet, in qua aditus antea angustus, ex incuria tamen omissus, paulatim deinde à transeuntibus aperitur, ac undique dilatatur. Propterea nos excommunicationem, quæ in miscentes aquam lata iniq; fuerat, penitus abrogamus, abolemusq; ne forte quispiam è Populo nostro Armeno, qui suum azimum inveterata consuetudine servat, incidat ultrò in fermentatum, aut etiam in loram: * quamvis, & si fermentatum non sit à Canonibus stabilitum, eo tamen utentes improbandi non sint, juxta præceptum Domini Niersesis; dum etiam Apostoli illo interdum usi sunt.

* *Hic Græcos carpit.*

Armeni se cruce signant à læva ad dexteram, ad exēplum Latinorum: non à dextera ad lævā uti reliqui Orientales.

Quocirca nos á Sancta Romana Ecclesia aquæ commixtionem modo recipimus, sicut ab eadem acceptum habemus azimum, mitram Episcopalem, & modum signandi crucem; * tametsi non item pisces, & oleum in Quadragesima comedimus, excepto Annunciationis festo; neq; Sacerdos in Ecclesia nostra, sicut in illa, cœlibem agit vitam; neque si in errorem gravem incidat, ad Sacrum denuò faciendum admittitur; sed remanet irregularis, sicut apud illam irregularis remanet homicida. Veruntamen * omnes ejusdem Romanæ Ecclesiæ Christianos recipimus & approbamus; sunt namque, sicut & primæ Sedi ita & Deo propinqui, à quo immediatè, non secus ac nostri sancti Patres cunctam hau-

* *Erubescat Doctor Arme-*

riunt sapientiam, & patrocinium. Quatuor etiam Patriarchas veneramur, cœterosq; Fideles, qui sacro Christi nomine insigniti, nuncupantur Catholici. Verùm heu, heu, nequaquam obtrectationibus inficere volumus, sed neq; laudamus eos, qui Jacobitæ nominantur, uno digito sese cruce signant, & vespere sextæ feriæ carnem comedunt. Nec non rejicimus illos, qui circunciduntur, incestum per illicitam conjugii copulam admittunt, Diaconosq; matrimonio jugant. Cibos autem immundos, præcipuè qui ad pauperum manus obiter veniunt, omnes, ut inquit Paulus, in nomine Dei purificatos haberi, jubemus: quos & orationibus benedici, docet Dominus Nierses. Anathematizamus deniq; Nestorianos, qui benedictissimam Virginem Mariam, Deigenetricem non appellant; unaque cum illis omnes detestamur Hæreticos, quos Catholica & Apostolica anathematizat Ecclesia: ac populum nostrum, ut ab istis omnibus, & ab hæresi se cautè custodiat, præmonemus in Christo JESU Domino nostro, qui cum Patre, & Spiritu sancto est benedictus in secula, tecumq; sit semper, Amen.] Hactenus ad Haytonem Regem epistola Gregorii Patriarchæ; quo quidem Gregorio haud multò post vita functo idem Rex Hayton, ejusq; filius Leo, demortui Patriarchæ litteris hisce vehementer per moti, ut concordia Armenioum cum Cath. R. Eccl. universali Armenorũ Patrũ consẽsu, decerneretur, Cõciliũ in Armenia generale indixerũt. Qualiter verò hujusmodi res se habuerit

unus Datievesis qui horrenda in Latinos sua effutivit injurioso libello

Armeni in cibis immundis judaizãt.

latè prosequitur Historicus noster Armenus; ut in capite sequenti perspicietur.

Ex Armena Historia
CAPUT XXVIII.

CUm autem interea beatus Patriarcha Gregorius, epistolæ hujus præscriptiones, sua adhuc suprema voluntate firmatas relinquens, excessisset vitâ, Leo Armeniorum Rex, ejusq; Pater Hayton, una cum reliquis Armeniæ Proceribus, undique ad generalem Synodum * convocarunt Episcopos, Magistros, & Abbates Cœnobiorum: ut & novum Armeniæ Patriarcham, divino afflante Numine, totoq; Concilio conspirante, eligerent, initiarentq; & accuraté Gregorianam examinarent epistolam, executionemque illius, si quidem justa visa fuisset, decernendo injungerent. Et sanè primum epistolam exquisita diligentia perpendentes, illam deprehenderunt traditionibus sanctorum Patrum concordem, sacrarumq; scripturarum refertam oraculis. Quapropter decretum divinæ placitum Trinitati, scripserunt, subscripseruntq; nemine discrepante;

* *Synodus Sisensis Armena, quæ cum Latinis Armenos conciliavit.*

pante; quatenus Armenii, recta cœterorum Christianorum sequentes vestigia, res à beato Patriarcha Gregorio in sua epistola traditas perfectissimè exequantur. Deinde communi omnium consensu, duceq; Spiritu sancto anno Armeniorum 756 * feria quinta majoris hebdomadæ, constitutus fuit in sede Patriarchali.

* *Est annus Redemptionis* 1307.

Dominus Constantinus, Episcopus Cæsariensis, qui sedit annos 36. vir admirabili quidem mansuetudine, & humilitate decorus. Quibus peractis, Leo Rex, ejusq; Pater Hayton, cum reliquo Armenorum Principum cœtu, commiserunt Patriarchæ, ut per easdem semitas, ipsius Sisensis Concilii sanctione præscriptas, populum Armenum deduceret. LXXIV.

ANNOTATIO.

ARmeniorum Sisense Concilium, in Cilicia solenniter celebratum, certè os obstruit omnino iis Armeniæ Præsulibus, qui passim à Latinis, ac præsertim à me ipso sæpenumero interrogati, cur ad Ecclesiæ suæ unionem, cum Rom. Ecclesia procurandam nequaquam incumberent? illud unum nobis objectare soliti sunt: se, huic si rei animum adjicere voluissent, temerè quidem, ac frustrà ite-

rùm aggressuros fuisse incœptum, quod à suis Majoribus pluries licet inchoatum, ad exitum tamen perduci nunquam potuit. Quoniam ex Actibus eisdem Sisensis Concilii nimis perspicue constat, ac Sole ipso fit notius, non modò ibi unionem illam incoatam, verum etiam perfectum ad finem prosperè, & communi omnium Patrum suffragio fuisse perductam, quin insuper in subsequente Synodo Adanensi, á nobis inferius referenda, confirmatam.

Armeni Patres ac Principes, qui Concilio Sisensi interfuerunt.

Nec planè valebunt, certissimam ejusdem Concilii vim cavillatione ulla eludere. Fuit enim illud apud ipsos Synodus generalis, immò & aliarum omnium, quæ aliàs in Armenia coactæ sunt, longe plenissima; quo Armeni Patres numero circiter 56. hoc est, Episcopi, Magistri, & Abbates, undique simul convenere; nec ibi ullus aut Latinus, aut Græcus aut alius alienigena, qui Armenios ad unionem illam inducere potuisset, interfuit. Indictum fuit præterea ab ipsorũ Patriarcha, atq; ab utroque Armeno Rege, Haytone patre ac Leone filio; qui unà cum omnibus suis principibus, ac Magnatibus Synodo præsentes fuerunt. Quid ergo ibi defuit, cujus in desiderio esse unquam hujus temporis Armenii possint?

De Armeniorum Magistris.

Obiter autem advertas hic velim, latine lector, Magisterium adeo supremæ apud Armenios esse dignitatis, ac reverentiæ, ut ipsi quoque præferatur Episcopatui; nec aliis, nisi paucissimis è sapientioribus monachis, ac

tanto

tanto cœremoniarum, divinarumque precum ritu confertur, ut ab incauto populo verè sacramentalis ordo, quin aliorum omnium supremus credatur; utpote qui, ut ipsi dicunt, Christi Domini personam, qui Rabbi, hoc est, Magister appellabatur, præ se fert.

Magistris istis duntaxat, qui Armenicè nuncupantur Vartabiet, licet (quod alioqui esse deberet Episcoporum) fidei dogmata approbare, concionari in Ecclesiis, in populi causis judicium exercere, lites dirimere, & similia. Quare suos Episcopos, qui sunt ut plurimùm indoctissimi, non penè, nisi ad solos sacros ordines conferendos, adhibent; novum in Ecclesia: cum Paulus ad Titum scribens, dicat: Oportet enim Episcopum sine crimine esse, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem; ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Et rursus ad Timotheum, Ephesi Episcopum: Prædica verbum, insta opportunè, importunè; argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt; sed ad sua desideria coadservabunt sibi MAGISTROS, prurientes auribus: & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Tu verò vigila, labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple. Hinc porrò nolim arbitreris, me flagitii vim ullam dilectis fratribus meis Armenis Ma- *Tit. 1.* *2. Timoth. 4.*

Armenis Magistris, improperare: absit. Supplent enim ipsi Episcoporum defectus, Christianitatem, quæcunq; illa sit, in populo suo sub durissimo Paganorum jugo fatiscente, confoventes. Illud autem innuere contendo, facilè Armenios huic posse abusui prospicere, si, uti Catholica solet Ecclesia, solos Magistros seu Doctores, ad Episcopalem dignitatem proveherent.

At verò integro Sisensis hujus Concilii acta ex Armeno exemplari, quod olim in Cilicia in Patriarchali Armeniorum Ecclesia servabatur, extracta anno Domini 1366 extant penes me in eodem vetustissimo codice, ubi & proposita Patriarcharum historia descripta reperitur. Ea deniq; accuratissimè ad verbum hic exarata, & fidelissimè quoque in latinum interpretata sunt hujusmodi:

Acta Concilii Sisensis Armeni jussu Gregorii † Patriarchæ, & Leonis Armeniæ Regis, ad uniendam Armenam Ecclesiam cum Romana, generaliter coacti, anno Domini 1307. & Armeniorum 756.

† Hic obiit antequam Concilium cogeretur.

STudiosissimè quàm ex animo poterat, Leo, pientissimus, & invictissimus Armeniorum Rex, ex sacrosancto Armeniæ Patriarcha Gregorio jam contenderat rem quidem cœlestem, ac divinam; ut totus nimirùm in Christianæ Reipublicæ unionem, & concordiam procurandam eousq; incumbere, nihil prætereà deberet; quo Armenam Ecclesiam cum

cum magna Romanorum, aliorumq; Catholicorum Ecclesiis, in festis celebrandis, aliisq; constitutionibus & traditionibus suscipiendis ad unionem & communionem perduceret: ne quid fortasse Ecclesiæ sanctæ deficeret, quo minùs unum esset corpus indivisum, sub uno vero capite, Christo Domino, & Deo nostro constitutum. Quod sanè ubi accepit Beatissimus Pater noster Gregorius, cognito, quòd ejusmodi postulatio fuerat in animo, & corde piissimi Regis, à sancto Spiritu insita, nimium inde voluptatis, ac lætitiæ hausit. Quapropter sumã ipsius voluntate & libentissimè facinus hoc divinum aggrediens, rem totam diligētissimè ratione, atq; animo lustrare cœpit. At quia præcipuè compererat, aquæ commixtionem fore sacrificio apprimè necessariam, in Ecclesiam quoq; nostram nobis introducendam esse, adjudicavit; quemadmodum eâ nunc pariter utitur sancta, ac magna Romanorum Ecclesia, aliæque cæterorum Catholicorum: idq; testimoniis sacrorum librorum, sanctorumq; Patrum doctrinis nobis probatum reliquit; immò & firmé statuerat, opportuno tempore in Armenis Ecclesiis pleno etiam Concilio stabilire.

Prætereà quoq; tradidit, esse nobis recipiendas omnes septem Synodos Generales, & quicquid in illis à Sanctis Patrib⁹ decretum fuit, præsertim circa duas naturas, voluntates & operationes, quæ in uno Domino nostro Jesu Christo, secundum divinitatem, & humanitatem perfecto, verificantur; eisq; veluti san-

ti ſanctis, ac divinis Conciliis, ita nos Armenos cunctam exhibere reverentiam, & honorem, ſicuti omnes aliæ ſolent Eccleſiæ, videlicet ſancta, ac magna Eccleſia Romana, Conſtantinopolitana, Alexandrina, Antiochena & Hieroſolymitana. Tum etiam demandavit, ut feſtivitates dominicas uniformiter cum præfatis Eccleſiis Catholicis ſolemni ritu celebraremus; nempe feſtum Annunciationis, 25. Martii, quacunq; die contigerit; ſimiliter feſtum Nativitatis Domini, 25. Decembr. ac feſtum Purificationis, 2. Februarii; cæteras autem Sanctorum feſtivitates eo pacto, quo & alii Chriſtiani, ſuis certis diebus, in quibus incidunt, ageremus: porrò illæ, quas peculiari noſtra traditione Armena celebrare ſolet Eccleſia, eodem prorſus modo in poſterum, ſicuti nunc obſervarentur. Item Triſagium, ſanct⁹ Deus, ſanctus fortis, ſanctus & im̃ortalis [cui additum hoc loco fuerat, qui crucifixus es pro nobis,] miſerere noſtri, operæ pretium duxit, directum ſic in filium eſſe deinceps decantandum: Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus & immortalis, Chriſte, qui crucifixus es pro nobis, miſerere noſtri. Denique in vigiliis dominicæ Nativitatis, Baptiſmi, ſeu Epiphaniæ & Reſurrectionis, præcepit nobis, ut à cibis Paſchalibus abſtinentes, piſcibus tantum & oleo, ſicut Romana ſolet Eccleſia inter alia quadrageſimalia obſonia, uti poſſemus.

Hæc itaq; omnia in ſua epiſtola recollecta, & ſacrarum Scripturarum oraculis, ſanctorumq; Patrum traditionibus confirmata, miſit ad

ad Piissimum Regem * Leonem; ut illa tempore congruenti, ad tollendos Ecclesiæ Armenæ defectus, atq; ad omnem æmulationis, & odii fomitem, qui in eam occasione mali obrepserat, restinguendum, pleno indicto Cōcilio, stabiliret. At verò cum ipsemet egregi⁹ Pater noster Gregorius nequivisset, ad hoc præclarum facinus, uti animo deliberaverat, Concilii ope complendum, tantumq; Ecclesiæ suæ beneficium conferendum, pervenire: quippe interitu præoccupatus, ex hac mortali vita ad Dominum, cui devotus maximoperè vixerat, demigravit; propterea Leo, magnus ac pius Rex, sanctissimi Patriarchæ mandatis obtemperare desiderans, Concilium quam citò convocandum, existimavit; in quo ad præfatas traditiones decernendas interfuissent omnes Episcopi, Magistri, & Patres Armeni: idq; mox præstitit accuratissimè Generalem hanc Synodum congregans in Metropolitana Civitate Sisensi, in magna Ecclesia S. Sophiæ; ubi plenissimo Cœtu adfuimus infrascripti Episcopi, Magistri, & Patres Cœnobiorum, astantibus plurimis ex Armeno Populo Optimatibus, inter quos erat & ipse Leo, pientissimus Armeniorum Rex; Hayton Pater.

* *Seu potius ad Haytonem, Leonis Patrem ut unà cum Rege filio eam caperet provinciam.*

Episcopi autem fuerunt:

Constantinus, Magn⁹ Archiepiscop⁹ Cesareæ.
Joannes, Archiepiscopus Tarsi.
Stephanus, Archiepiscopus Sebastes.
Constātin⁹, Archiepisc. Sisis, civitatis Metrop.
Stephanus, Episcopus à Deo conservatæ civitatis Tarsoni,
Nierses, Episcopus Tyani.

Joannes,

Joannes, Episcopus Anazarbi.
Joannes, Episcopus Ajasi.
Stephanus, Episcopus Parzerperti.
Basilius, Episcopus Provinciæ Ghabnensis.
Gregorius, Episcopus Marsciæ.
Tharasius, Episcopus Maschievori.
Jacobus, Nepos Domini Gregorii Patriarchæ, Episcopus N.
Hesychius, Episcopus Stimbolæ.
Vartanus, Episcopus Dochii.
Andreas Episcopus Harcani.
Simeon, Episcopus Ghubitarri.
Leo, Episcopus Zamentavi.
Joannes, Episcopus Marantuniæ.
Stephanus, Episcopus Palatii Patriarchalis.
Georgius, Episcopus N.
Hairabiet, Episcopus Rorani.
Nicolaus, Episcopus Cypri.
Præcursor, Episcopus Miezghierti.
Vartanus, Episcopus Ani.
Philippus, Episcopus Khuorzeni.

Magistri & Patres Cænobiorum fuerunt.

Joannes, Scriba Miezchieri.
Marcus, Magister Schieverri.
Cyriacus Magister Eremita.
Gregorius, Magister N.
Vartanus, Magister Anarzabi.
Martyr, Magister Palatii Patriarchalis.
Gregorius, Magister Chiermasperi.
Gregorius, Magister Miezchierensis.
Tharasius, Magister Gherachensis.
Vartanus, Magister Aghnieri.

Sergius,

Sergius, Pater Monasterii Aghnierensis.
Gregorius, Pater Monasterii Thiurchtensis.
Basilius, Pater Monasterii Khorinensis.
Tharasius, Pater Monasterii Miezcherensis.
Præcursor, Pater Monasterii Mousisnensis.
Joseph, Pater Monasterii Miezcherensis,
Tharasius Philosophus, & Pater Monasterii Zorensis.

Principes, qui unà cum ipso Rege Leone & Haytone Patre Regis Synodo adfuerunt.

Fratres * Regis Armeniæ, Oscinus, Dominus Ghabni; & Alinahh Dominus Lamproni, & Tarsi.

** Oscinus, & Alinah, Haytonis Fratres.*

Oscinus, Armeniorum Dux Generalis, & Dominus Ghanciæ.
Sembat Maracciacht, Dominus Asghurri.
Raymundus Senescial, Dominus Micchalchui.
Vasah, Dominus Piertghani.
Sembat, Dominus Sembataghelæ.
Oscinus, Dominus Ghubitarri.
Lichus, Dominus Ghisterrami.
Tharasius, regiæ domus Præfectus.
Tharasius Prachsimus, Dominus Giofelchæ.
Lichus Chierrascenens; aliiq; Principes, Proceresq; Armeniæ.
Adfuit etiam Constantinus, Capellanus Regius, cum magno Sacerdotum, tum secularium, tum regularium numero.

Coram omnibus igitur nobis Rex epistolam Patriarchalem examinandam proposuit; quam cum diligenter legissemus, veracem omnino comperimus, non secus ac si Aposto-

lica Lex, & constitutio fuisset. In ea namque Beatissimus Pater noster Gregorius demandabat nobis, ut duas naturas, voluntates, & operationes in unam Filii Dei hypostasim referremus: ut in celebratione Dominicarum festivitatum, hoc est: Añunciationis, Nativitatis, Baptismi, seu Epiphaniæ, & Purificationis, inveniremur cœteris Christianis conformes: ut juxta Mænologii dispositionem, festos sanctorum Martyrum dies ageremus, & Assumtionis sanctissimæ Deiparæ 15. Augusti, & Exaltationis sanctæ crucis 14. Septembr. ut in Ecclesia propriis juxta uniuscujusq; Ordinis diversitatem sacris vestibus uteremur, atq; inter alia Altaris operimenta non defuissent Corporalia; ut jejunium Nativitatis Domini 19. Decembris inchoaretur; & in Vigiliis * piscibus duntaxat, & oleo ex aliis cibis Paschalibus vesci, contenti essemus: utq; demum in augustissimo Eucharistiæ Sacramento conficiendo, aquam vino misceremus, quod pluribus quidem sacræ Scripturæ testimoniis comprobans, nobis summoperè necessarium esse, ostendit.

** In jejuniis a piscibus etiam, & oleo abstinēt Armeni sed in vigiliis non jejunant.*

Et primò ex illo Joannis; [a] Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt, & tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis; & hi tres unum sunt. Tum Apostolus Paulus, scribens ad Corinthios, [b] ait: Quotiescunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis; sicut & ipse Dominus, accepto

[a] Joan. ep. 1 cap. 5.

[b] 1. ad Cor. 12.

cepto calice dixit, [a] hoc facite in meam commemorationem. Præterea calix non significat vinum purum, sed potiùs poculum, in quo aqua vino miscetur; ut divinus etiam Salomon [b] testatur, dicens: Miscuit in cratera vinum suum; & iterum bibite vinum, quod miscui vobis: his patefaciens, calicem, seu crateram esse poculum, in quo vinum, & aqua miscentur. Tum quoq; illud, [c] Calix aureus Babylon in manu Domini, non denotat merum, sed poculum aureum.

a] Luc. 22.

b] Proverb. 9. ex Septua.

[c] Hier. 51.

Cæterùm, quòd talis in Calice mixtio necessaria sit, ostendit itidem ex sanctorum Patrum traditionibus, hoc pacto: Magn⁹ Chrysostomus in sua liturgia ait: [d] Accedens unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis; hæc dicens, infundat vinum: & subdens, & aqua, infundat aquam: sic manifestò declarans, aquæ mixtionem in sacris esse Mysteriis necessariam. Idem indicat Divus Basilius in sua quoque liturgia: [e] Accipiens, inquit, calicem, miscens, benedicens, &c. Similiter & S. Athanasius in tractatu de Baptismo, circa finem ait: vides hanc mensam, in medio Altaris appositam, & ad Ecclesiæ decorem afferendum institutam? & post alia subdit: Hæc est Cœnaculum, in quo cum Redemptore recumbis; ubi comedentibus illis, accipiens Jesus panem, fregit, deditq; discipulis, dicens: accipite, & comedite, hoc est corpus meum; & accipiens Calicem vini mixtum, gratias egit, & dedit eis, dicens: accipite, & bibite ex eo, hic est san-

[d] Chrys. in liturgia.

[e] Basilius in liturgia

S. Athanasius.

guis meus; & biberunt. Et iterum post alia sequitur; proponimus enim panem, & vinum super hanc divinam mensam, in qua Sapientia mactavit victimas suas, & miscuit in cratèra vinum suum. Et Gregorius [a] Nyssenus in Cantica Canticorum, Pande os, ait, & bibe aquam ex latere, de quo lancea tibi scaturiginem aperuit. Tum Chrysostomus [b] in explanatione Evangelii expendens verba illa, Non bibam à modò de hoc germine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in Regno Patris mei, inquit, hoc dictum esse, ut perniciosissima eorum hæresis, qui aqua in mysteriis utuntur, radicitus extirpetur. Verùm illi in mysteriis aqua dicuntur uti, qui mysterium mortis Christi aqua sola conficiunt absque vino. Hoc idem præterea injunxere sancti Patres, qui in sexta synodo [c] convenerunt, tempore Justiniani [d] Imperatoris, ubi multa nobis de aquæ hujus necessitudine tradiderunt. Et hoc itidem ipsum decretum fuit à sanctis Patribus in magna Synodo [e] Carthaginensi, tempore piissimi Imperatoris Honorii celebrata: quæ si quis videre desiderat, legat sextum Concilium, can. 32. & Concilium Carthaginense, canone [f] 37.

Prætereà quoque Sanctus Alexander, septimus post Petrum Apostolum in Cathedra Romana Pontifex de hoc sacro mysterio scribens,

[a] *Nyssen. in Cant. & clarius in Catechetico, cap. 37.*

[b] *Chrys. in Matthei c. 26.*

[c] *Synodus Trullana, can. 32.*

[d] *Justinian9 II. sub quo canones sextæ Synodi editi fue ere, nam ipsa sexta Synodus celebrata fuit sub Constantino.*

[e] *Synodus Carthag. 3. can. 24.* [f] *Canone 37. apud Armenos sed re vera, Canone 24.*

bens, admonuit, id nobis à quocunq; Pontifice postulandum, ut nimirùm sacramentalia Ecclesiæ ministeria alios rectè edoceat, præsertim Baptismi, Matrimonii, & Sacrificii, quod in memoriam dominicæ passionis peragitur. Nam sicut ipse Dominus fuit in cruce immolatus secundum Carnem; & sanguis, & aqua ex ejus latere profluxerunt; ita nos pariter debemus in ejusdem mysterii commemorationem corpus ejus, & sanguinem una cum aqua offerre super altare. Hæc quidem tradidit magnus & gloriosus martyr Alexander, qui omnes Ecclesiæ constitutiones,& Canones plene ab ipso hauserat Petro; præcepitq;, [a] ut nec vinum solum, nec aqua sola, sed utrumque permixtum, offeratur; quod etiam didicimus ex Evangelio: cum enim Domini latus aperuerunt non aqua sola effluxit,nec solus sanguis, sed utrumq; simul. Et Julius Papa [b] hæc similiter de tali mysterio fassus est, dicens: Non potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi misceatur utrumque, hoc est, vinum & aqua. Ac demum conclusit, quod si quis sacrificium altero solo sine altero perfecerit, tamdiù cessare debeat à sacrificando, quamdiù legitima pœnitentiæ satisfactione juxta sacros Ecclesiæ Canones correctus sit. Cyprianus [c] item, martyr eximius, & Episcopus Carthaginensis in Occidente, de calice Domini nostri Jesu Christi sic habet: Per Salomonem Spiritus Sanctus typum dominici sacrificii ante præmonstrat, immolatæ hostiæ, & panis & vini, sed & altaris,& Apostolorum

[a] *Alexand. I. in ep. 1.*

[b] *Julius I. apud Gratianum de consecr. distinct. 2.*

[c] *Cyprianus l. 2. ep. 3.*

[d] *Prov. 9. ex sept.* faciens mentionem: [d] Sapientia, inquit, ædificavit sibi domum, & subdidit columnas septem, mactavit suas hostias, miscuit in cratera vinum suum, & paravit mensam suam; & misit servos suos, convocans cum excelsa prædicatione ad crateram, dicens: qui est insipiens; declinet à me; & egentibus sensu dixit; venite, edite de meis panibus, & bibite vinum quod miscui. Vinum mistum declarat, id est, Calicem Domini, aqua & vino mistum, prophetica voce prænunciat; ut appareat in passione Dominica id esse gestum, quod fuerat antepraedictum. * His igitur docet Beatissimus Cyprianus, haudquaquam licere, aqua sola, aut puro vino in mysteriis uti, sed utroq; simul.

Præterea magnus Episcopus Mediolanensis, Sanctus Ambrosius, in suis scriptis commendatum reliquit, debere quemlibet Sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ præstare obedientiam; quippe, quæ ab Apostolo Petro in orthodoxa fide firmata fuit. Nam sicuti corporis est obedire capiti; ita debet similiter universalis Ecclesia, quæ corpus est Christi, ei obtemperare, qui totius Ecclesiæ caput à Christo Domino fuit constitutus. Tum etiam idem Ambrosius, [a] aquæ commistionem Sacrificio necessariam esse, ostendit: eo, quod actione illa mistionem Verbi Dei, quæ nobis cum facta est, significamus; cum vere, & proprie illa divinitatis & humanitatis effecta sit compositio, secundùm quam vera membra veri ca-

** Hoc idem paulò superius tradiderat iterum ipsemet Cypriã⁹ dicens: Admonitos nos scias, ut in calice offerendo dominica traditio servetur; neq; aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis prior fecit; ut calix, qui in commemorationem ej⁹ offertur, mixt⁹ vino offeratur.*

ri capitis nostri Christi vocati sumus. Idcircò enim, dum esset ille in cruce, sanguinem e misit, & aquam, quod perfecte in sacrificio Missæ completur, ut nostra cum Deo ostendatur communicatio.

Eodem quoq; intellectu Sanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione de Paschate, mentionem faciens sanguinis, & aquæ, quæ de Domini nostri Jesu Christi latere profluxerunt, cum supra crucem pro redemptione mundi immolabatur, affirmat, egressum esse sanguinem, ut indicaretur, quod Dominus noster vivus secundùm divinitatem remanserat; & pariter aquam, quia secundum humanitatem, quam de nostro assumpserat, vere pro nobis mortuus erat Quibus profectò videtur innuere, in sancto reconciliationis Sacrificio, quod est exemplum dominicæ Passionis, aquæ, viniq; mistionem necessariam esse: quandoquidem si, quod imolatum fuit, & in altari immolatur, est Christus, idemq; perfectus Deus, & perfectus homo, opus est consequenter, in hoc semper Sacrificio, in signum divinitatis, & humanitatis ejus aquam vino miscere. Quamobrem quicunq; hujus rei significationem in altari plenè consumant, Jesum Christum Dominum nostrum, perfectè Deum, & hominem confitentur: quicunque verò aut solum vinum, aut solam aquam apponunt, ii procul dubio in confessione humanitatis, aut divinitatis ejus deficientes inveniũtur; imò ipsorũ quoq; sacrificiũ nullũ fortassis erit, propter imperfectionẽ; quare taliter Nazian-zenus.

offerétes, pœnis, à sanctis, ac magnis Conciliis præscriptis, meritò subjacebunt. Præfata autem sanctorum Patrum, & Martyrum JESU Christi, in idem coincidentia testimonia, videlicet sanctorum Alexandri, & Julii, Romanorum Pontificum; atq; sanctorum Cypriani, & Ambrosii Episcoporum, in suis ipsorum Operibus indubitanter inveniens; quod si in promptu, & ad manum ea velis, reperies in epistola, quam Eugenius [a] Romæ Papa misit ad Dominum Gregorium Patriarcham, [b] magni Niersesis Ghelaiensis, perillustris, ac celeberrimi Doctoris fratrem.

[a] Eugenius III.

[b] Gregorius Armeniorum Patriarcha LXII.

Hanc etiam aquæ in sacris mysteriis permiscendæ necessitatem commendat ultro Apostolorum successor Irenæus [c] in lib. 4. suarum lucubrationum adversus hæreses; ubi Calicis memorat mixtionem, quem Dominus cum suis discipulis in Regno se bibiturum, promisit. Hoc ipsum deniq; Beda, [d] venerabilis Presbyter, aliiq; Patres [e] tradiderunt; quorum multi referuntur in memorata admirabilis Patris nostri Gregorii epistola; quæ quidem cumulata admodum erat sacræ Scriptu-

[c] Irenæus. l. 4. c 37. & lib. 5 c. 1.

[d] Beda in Marci c. 14.

[e] *Alii Patres, qui hoc ipsum docent, sunt S. Jacobus Apost. in sua liturgia, cujus meminit Concil. Trullan. Can. 32. S. Clemens. lib. 8. Constit. Apost. c. 17. Theodoretus dialog. 1. Eusebius. Emiss. ser. 5. de Paschate. Justinus Martyr. in 1. Apolog. prope finem. Hieron. in Marci c. 14. Augustin. in tract. 120. in Jo. Proclus Episc. Constant. in tract. de traditione divina liturgia. Theophilactus, in cap. 19. Joh. ubi reprehendit Armenos. Damascenus lib. 4. de fide. cap. 14.*

Scripturæ testimoniis, sanctorumq; Patrum, ac Doctorum sententiis mirificè exornata; nec non consentanea Canonibus & Decretis sanctorum Conciliorum, nimirum sextæ in magna urbe Constantinopoli coactæ Synodi, & Concilii Carthaginensis, atque conformis consuetudini, rituiq; sanctarum, & orthodoxarum Christi Ecclesiarum, Romanæ, Constantinopolitanæ, & aliarum, quæ hactenus à sanctis usq; Apostolis eandem jugiter servaverunt, atq; servant consuetudinem, & traditionem.

Quapropter nos omnes, hic pleno Concilio congregati, Episcopi, Magistri, & Patres Cœnobiorum, adstantibus piissimo Rege nostro Leone, ac religiosissimo Dominorum Domino, magno Haytone, patre Regis, cum fratribus suis, cæterisq; Armeniæ principibus, atque primatibus, & sacro-sancto populo, unà simul consentientes, reverenter suscipimus ejusdem nostri sancti patris mandata; epistolamq; illius, tanquam veracem & Apostolicum Canonem, atque legitimam constitutionem, ab omnibus Armeniorum Ecclesiis recipi, & observari, jubemus. [a] Et quamvis hæ sacræ traditiones & dispositiones dominicarum festivitatum, quæ priscis antea temporibus, à sancto usque illuminatore nostro Gregorio in Ecclesiis Armenis extiterant, earumque observatio cumplures perduraverat años, in nobis postea exoleverint ex culpa; eas nihilominus in præsentia, misericordia & gratia Dei, atq; opera Patriarchæ Gregorii, piissimiq;

[a] *Decretum Concilii Sisensis Armeni quo approbatur epistola Gregorii Patriarchæ ad Haytonem Regem, & Ecclesia Armena conciliatur cum Romana.*

simiq; Domini nostri Leonis, denuo recipim', & in pristinum restituimus: sumusque modo, cùm in festorum celebratione, tum in omnib' aliis rectis constitutionibus, omnino cum sancta, & Catholica Ecclesia magna Romana, aliisque profitentibus & orthodoxis Ecclesiis Jesu Christi concordes.

Præsenti autem hujus Sanctæ synodi decreto, atque mandato nemo audeat in posterum adversari, aut contrarius apparere, ne divinam indignationem incurrat, partemque cum hæreticis sortiatur, iis maximè, qui pro frumentaceo pane, quo ad Christi Corpus conficiendum sancta utitur Ecclesia, panem hordeaceum: aut pro vino ad conficiendum sanguinem Christi, aquam solam in mysteriis sacris usurpant. Utque magnum sacræ hujus sanctionis Decretum, firmum semper, atque immutabile perseveret, fuit à cunctis, qui in hac sancta synodo convenimus. Episcopis, Magistris, & Patribus propria manu subscriptam, præsertim à magno Rege nostro Leone, atque à Domino Dominorum Haytone, & Fratribus suis, cœterisque Armeniæ Magnatibus. Editum verò fuit anno Armeniorum 756. [a] die 19. mensis Martii, in Civitate Sisis [b] Metropolitana, in magna Ecclesia Sanctæ Sophiæ.

Constantinus, [c] Episcopus Cæsareæ, consentiens subscripsi.

Constantinus Episcopus Sisis, Urbis Metropolitanæ.

Joannes

[a] Ao. Domini 1307.

[b] Urbs hæc in Cilicia, vocatur à Latinis ipsomet ejusdem Provinciæ nomine, Cilicia: fiunt ab Armenis Sis, eadem urbs, & Provinciam nuncupantur.

[c] Hic Episcopus ab hac eadem Synodo creatus fuit Armeniorum Patriarcha.

Joannes, Episcopus Tarsi.
Stephanus, Episcopus Sebastes.
Stephanus, Episcopus Parzerperti.
Serigius, Episcopus Jesenchi.
Joannes, Episcopus Anarzabi.
Stephanus, Episcopus Adani.
Nierses, Episcopus Tyani.
Basilius, Episcopus Ghabni.
Nierses, Episcopus Neocæsariæ.
Vartanus, Episcopus Amasiæ, & Dochii.
Gregorius, Episcopus Marsciæ.
Georgius, Episcopus N.
Stephanus Episcopus Palatii Patriarchalis.
Joannes, Episcopus Beri.
Andreas, Episcopus Harcani.
Tharasius, Episcopus Mascievori.
Jacobus, Episcopus N. nepos Domini Gregorii Patriarchæ.
Isaac, Episcopus Paperti.
Deodatus, Episcopus Paseni.
Nierses, Episcopus Provinciæ Ghamkhi.
Nuncius, Episcopus Nepergherti.
Vartanus, Episcopus Sasni.
Serpse, Episcopus Giabegheeri.
Philippus, Episcopus Ghieghi.
Præcursor, Episcopus Miezghierti.
Gregorius, Episcopus Vahanascieni.
Hesychius, Episcopus Stimbolæ Armeniæ.
Isaias, Episcopus Thessalonicæ.
Hairabiet, Episcopus Cemesca Zacuz.
Cyriacus, Episcopus Miezchierti Tasct, [asis.]
Vartanus, Episcopus Masciarti.
Simeon, Episcopus Ghubitarri.

Martyr, Episcopus Urteli.
Simeon, Episcopus Ozubi, Provinciæ Sciahabunensis.
Joannes, Scriba Miezchieri.
Marcus, Magister Schieuerrensis.
Cyriacus, Magister Eremita.
Gregorius, Magister N.
Vartanus, Magister Ecclesiæ Anarzabensis.
Martyr, Magister Domus patriarchalis.
Gregorius, Magister Chiermasperi.
Gregorius, Magister Miezchierensis.
Tharasius, Magister Ghierachensis.
Vartanus, Magister Aghnieri.
Sergius, Pater Monasterii Aghnierensis.
Gregorius, Pater Monasterii Thiurchtensis.
Basilius, Pater Monasterii Khorinensis.
Tharasius, Pater Monasterii Miezchierensis.
Præcursor, Pater Monasterii Mousisnensis.
Joseph, Pater Monasterii Chielegachensis.
Tharasius, Philosophus & Pater Monasterii Zorensis.]

Hucusq; Synodi Sisensis acta. Quid autem post illa subsequutum sit in Armenia, mox infra exploratum habebitur.

De Concilio Adanensi Armeno, *CAPUT XXIX.*

STatim ac Armeniorum Sisense Concilium, quod, ut in præcedenti Capite vidimus, Armenam jam Ecclesiam cum Romana conciliaverat, absolutum fuit;

fuit: Leo Rex Armeniæ, ejusque religiosus ac longævus Pater Hayton, a nefario quodam Tartaro, dolo pacis: (nescio qua sane de causa) improvisò noctu invasi sunt, & occisi. Conturbatis tanta clade Armeniis, quod præsertim Rex ipsorum é vivis, nulla relictá prole, sublatus esset; Oscinus, Haytonis germanus, ac reliquos inter fratres natu minimus, sceptrum, regnumque nepotis moderandum suscepit; cujus quidem mandato Ecclesia, populusque Armenicus ab Episcopis suis in professione fidei orthodoxæ, & sub obedientia Romani Pontificis, juxta prædicti Concilii decretum regebatur.

Cum autem, hæreticis nonnullis, haud multos post annos in Catholicos insurgentibus, magnosque ob id tumultus in populo concitantibus, nova unionis initæ dissolutio, ac pristinum schisma in Armenia timeretur; Rex Oscinus, & Constantinus Patriarcha, ut eadem Armeniorum cum Latinis concordia, in Sisensi peracta Synodo, firmaretur, aliud iterum Armenorum Patrum Concilium, in Urbe Adano celebrandum, indixerunt. Coacta verò

rò fuit hæc alia Synodus. (ut constat ex epistola Magistri Joannis Chernacensis Armeni ad Fratres unitos, á nobis suo loco inferius inserenda.) Tempore Joannis Papæ XXII. hoc est, post annum Christianum, 1316. qui primus fuit Pontificatus ejusdem Joannis. Ut interim, quæ modo dicta sunt, clarius elucescant, & quales Adanense Concilium successus habuerit, perspiciatur, ejusdem Concilii tum historia, tum acta referenda sunt; quæ quidem ex eodem vetusto codicè Armeno, in quo immediatè post acta Sisensis Concilii sequebantur, à nobis hic exscripta, & Latino etiam donata idiomati, sic se habent.

Historia Concilii Adanensis Armeni.

POstquam divinum hoc cœptum fuerat feliciter absolutum, unde maxima nobis in Domino lætitia exorta erat: ipse bonorum adversarius, omniumq; causa malorum provocans incitavit virum Ethnicum quendam nationis iniquæ Tartarorum, Bularsu nuncupatum, qui ad nos propter nostræ tutelam Religionis advenerat. Hic exurgens ex templo nocte quadam, & in Regem Leonem irruens inopinatò, interfecit eum, unaq; cum illo patrem Regis Haytonē, Proceresq; nonullos. In excogitatis ruinis his, animo repente prostrati fuim9 omnes, & profūdis tristitiæ te-

Hayton & Leo, Reges Armeniæ, interficiuntur.

nebris oppressi, nulla propemodum alebamur amplius spe ad optatæ trãquillitatis lucẽ perveniendi. Porro dum tristissimis hisce curis dejecti, jaceremus in mœrore, omnemq; ab humanis viribus opem desperantes, solius duntaxat Dei, Beatæq; Deigenetricis auxilio niteremur; non usq; in finem Dominum iratum agnovimus, qui tandem, ne Sodomæ & Ghomorræ similes efficeremur, dedit nobis in Regem, fructum benedictionis, & progeniem electam, Oscinum, fratrem Haytonis. Is quippe, licet fratribus suis natu minor, benedictionem tamen hæreditatis cum Jacob, Joseph, Seph, & Ephraim misteriosè obtinens, in nocte mœroris nostri nobis velut radius solis illuxit, & tanquam ver decorum in rigoribus hyemis, undè quò anteà illætabilius conficiebamur in calamitatis acerbitate, eo lætiorem deinde voluptatem percepimus in abscessu ipsius. Quapropter unximus ipsum in Regem unctione Spiritus S. año Armeniorũ 757. atq; juxta superius memoratũ Concilii Decretũ procedẽtes, Armenum Populum nostrum regebamus.

Oscinus Armeno Regno præficitur.

Anno Domini 1308.

Hac verò de causa insurgentes deinde nonnulli, divino illi Decreto adversari cœperunt, & simul cum aliis conjurati, multas turbas concitaverunt: adeò, ut tumultuosa contra id altercatio exorta fuerit. Verùm quibus hic verbis enũciare valebimus unquã præclara regis nostri facinora in Deũ ardentissimã charitatẽ? ægregiè namq; se præbuit; ut magnus Josias, Zelotem, ut Ezechias, piissimum; ut Salomon, amplificatorem Domus Domini; ut David, mansuetũ; omninò deniq; consimilẽ religiosis Im-

Armeniorum heretici initam jam unionem oppugnant.

Rex Oscinus, Zelator Cathol. fidei.

peratoribus, & Regibus, Constantino, Tiridati, & Theodosio: quoniam sicut illi per sanctos Patres fidem orthodoxam firmaverunt, sic pariter iste, ejusdem fidei adversariis ab invicem ubiq; dispersis, Dominum Constantinum Patriarcham, aliosq; cumplures Episcopos, Magistros, & Patres ad idem decretum, diligentissimè perpendendum. Concilio iterum indicto, convocavit, in quo illi manifestis sacrarum Scripturarum, sanctorumque Patrum suffragiis illud comprobantes, communi omnium consensu, & subscriptione, ad Dei gloriam confirmarunt; ut constabit ex infra sequentibus.

Concilium indicit, ut eandem fidem tueatur.

Acta Concilii Adanensis Armeni, jussu Constantini Patriarchæ, & Oscini Regis Armeniæ celebrati, propter unionem Ecclesiæ Armenæ cum Romana.

ECclesiæ Sanctæ Caput simul, & Pax, Dominus noster Jesus Christus, qui, ut Patrem cum suis creaturis conciliaret, pacem attulit per crucem in sanguine suo: quare Discipulis ait; Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: quique, sicut charitatis mandatum dedit nobis, ut diligamus invicem, sic & signum, quo sui agnosceremur discipuli, indicavit, dicens: In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Idem igitur ipse jam auferre volens ab Ecclesia sua Sancta, quem Diabolus

Joann. 14.

Joann. cap. 13.

lus interposuerat, lapidem contradictionis, atque in unum Corpus sua ubique dispersa, ac separata membra iterum reunire, ut omnes, charitatis vinculo colligati, sub ipsomet uno eodemque Capite, Christo Domino, & Deo nostro consociaremur; in corda sacrosancti Patriarchæ Domini Gregorii, atque piissimi, & potentissimi Regis nostri Leonis hæc itidem omnia immisit: animamque, jam Christum indutam fuerat, religiosissimi Joannis,* patris nostri Regis, & Armeniorum (quantum ad honorem attinet Principatus.) Domini, ad unionem, & concordiam Ecclesiæ suæ sanctæ procurandum, dissensionesque ab ea aufferendas, excitavit.

** Hayton Rex dictus Joañes, postquã S.Fran. cisci institutũ profess9 est.*

Quamobrem, ubi primùm res in istorum mentem pervenit, ejusdem unionis amore, & desiderio intimè sauciati, illicò, tanquam strenui operarii, ad laborem, & divini præcepti obtemperationem parati, se ipsos in hujusce opus ministerii, & cœlestis nutus executionem animo lubentissimo comiserunt; prospicere satagentes nostræ, quæ à magna Romanorum, aliisq; Christi Ecclesiis erat, differentiæ, tum in Dominici Calicis gratiarum actione, in quo nos aquæ mistionem contra illos respuebamus; tum in celebratione festorum, præsertim Nativitatis, & Epiphaniæ Domini, in qua ab aliis Christianis dissentiebamus, tum deniq; in confessione duarum naturarum, voluntatum, & operationum, quas in una Domini nostri Jesu Christi persona indivisè, & inconfusè unitas Ecclesia sancta rectè,

&

& catholicæ recognoſcit; & nos aliter ſentiendo, duas denegantes, unam afferebamus Chriſti naturam, ex ineffabili unione illa reſultantem. Huic igitur noſtræ ab universali Eccleſia diſcrepantiæ, illi conſulere feſtinarunt, in unum Chriſti corpus & unam ſanctam Eccleſiam Catholicam nos iterum inferendo.

Verùm enim verò perditiſſimi quidam, in malum à Diabolo concitati, ut perturbationes, contentionesque, maximè vero ſchiſmata, in ſancta Chriſti Eccleſia molirentur, alios in iniquis Conciliabulis ſuis Canones ſanciverunt; docentes, non eſſe nobis in tribus hiſce cum reliquis Chriſtianis communicandum: hoc eſt, in miſtione Calicis gratiarum actionis; in celebratione dominicæ Nativitatis, & Epiphaniæ, atque in duabus naturis, quas in una Chriſti perſona propter inconfuſam, ac indiviſam unionem Eccleſia ſancta confitetur. Dicebant enim, nefas eſſe, in Calicem aquam iniicere, quod aqua corruptibilis ſit; in Chriſto autem nulla fuerit corruptio, quibus plane videntur innuere, vinum corruptibile eſſe. Preterea in illo gratiarum Calice, quem Dominus in myſtica menſa Cœnaculi biberat, vinum ſolum modò fuiſſe, & non aquam. Similiter etiam, quando Dominus ad veram ſui corporis reſurrectionem ſuadendam, cum ſuis iterum diſcipulis concedit, ac bibit: in ea quoque menſa parum fuiſſe vinum appoſitum, nugabantur; eo quod ab ipſo Domino antea dictum fuerat: [a] Non bibam à modò

[a] *Matth.* 26.

à modò de hoc germine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in Regno Patris mei: pro se divam attestantes Chrysostomum, qui verba illa expendens, ait: [b] Cur autem non aquam bibit, sed vinum? quod profectò vellet, perniciosissimam quandam hæresin radicitus revellere, quia sunt quidam, qui aquâ in mysteriis utuntur: propterea quando mysteria tradidit, & quando resurrexit, nudâ absq; mysteriis mensam apponens, usus est vino idq; declaravit, dicens, ex hoc fructu vitis; vitis enim vinum, non aquam profert. Quibus sanè verbis, Chrysostomum eos, qui mistum offerebant calicem, hæreticos appellasse, opinantur.

[b] *Chrysostomi verba in Matth. cap. 26. ab Armenis quibusdam perperà interpretata.*

Cum insuper de latere Christi sanguis, & aqua profluxerunt; solum, ajunt, sanguinem in potum, aquam vero in purgationem duntaxat refluxisse: quamobrem minime licere, inferunt, vino aquam misceri in sacris mysteriis. Hæc itaque vestis Dominicæ Partitores, & sacrarum Ecclesiæ Christi constitutionum, ac traditionum Adversarii, impudenter jactabant: ignorantes quidem, non modo aquam, verùm & vinum quoque, quod ipsi incorruptibile autumant, esse ultro corruptioni obnoxium; neque hæc diù solummodò, sed omnia fere sensibilia quæ sub visus, tactusque sensibus cadunt, esse corruptibilia, & caduca: cum sola incorporea naturam corruptibilitatis expertem habere, noscantur. Et si, verum illud esse, fateri debemus; quod licet duo ista in se corruptibilia sint, in dominicæ tamen di-

pensationis Sacramento mysticè sumpta, purissima, & ab omni sunt corruptelæ contagio remotissima, eandemque cum Spiritu Sancto purificantem vim, & operationem sibi vendicant. Quocirca magnus Apostolus ille Joannes in quadam ex Catholicis suis [a] Epistolis ait: Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt. Vide, ut tria hæc unam, eandemque vim retinent, nam licet diversa secundum se; virtute tamen, & operatione, unum quid sunt divinum, & purificans: Baptismum enim præ se ferunt; aqua quidem, juxta illud, [b] Ego baptizo vos aqua: sanguis vero, secundum id. [c] Calicem, quem ego bibo, bibetis; & baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini; sanguinem hic intelligens: spiritus denique, juxta illud, [d] ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni. Ac ad invicem simul sumta perficiunt, & sanctificant; nam aqua cum sanguine, & spiritu, quod sanctum est perficit, & sanctificat: similiter & sanguis cum Spiritu sancto, & aqua purificat, & salvat: ac demum Spiritus sanctus per aquam & sanguinem sanctos facit, regenerat, & omnes in filiationem Patris cœlestis adoptat.

[a] *Joann. Ep. 1. c. 5.*
[b] *Matt. 3*
[c] *Marc. 10.*
[d] *Matt. 3*

In eo autem, quod subdunt, nempe Calicem Domini, non fuisse salutifera mistum aqua, immensum sanè decipiuntur; cum mendacii arguant prophetica illa magna Salomonis verba. [a] Sapientia ædificavit sibi domum,

[a] *Prover. 9. ex Septua.*

mum, & subdidit columnas septem, mactavit hostias suas, miscuit in cratera vinum suum. Et paulo post iterum ait: Venite, edite de meis panibus,& bibite vinum,quod miscui vobis. Magnus item Irenæus, Apostolorum successor,in scriptis adversus Marcionitas [b] hæc profert: Quomodo autem justè Dominus, si alterius Patris existit, hujus conditionis, quæ est secundum nos,accipiens panem,suum corpus esse confitebatur, & temperamentum Calicis, suum sanguinem confirmavit? Et quare se filium hominis confitebatur, si &c. Et rursus in sua adversus alias hæreses doctrina [c] inquit: Vani autem omnino, qui universam dispositionem Dei contemnunt, & carnis salutem negant, & regenerationem ejus spernunt. Et post pauca subdit: Eum Calicem, qui est creatura, suum sanguinem, qui effusus est,ex quo auget nostrum sanguinē,& eum panem, qui est creatura, suum corpus confirmavit, ex quo nostra auget corpora: quando ergo & mistus Calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis, & Corporis Christi, ex quibus augetur, & consistit carnis nostræ substantia.

[b] *Irenaus l. 4.c.57.*

[c] *Id. l.5.c.2.*

S. Athanasi9

Hujus quoque testimonium perhibet sanctus Athanasius, qui in exhortatione de Baptismo ad illuminatos sic habet: Vides hanc mensam in medio Altaris appositam? Et inferius: Hæc est cœnaculum, in quo cum Redemptore recumbis; ubi,cœnantibus illis, accipiens Jesus panem, fregit, deditq; discipulis, dicens: accipite, & comedite, hoc est cor-

pus meum; & accipiens Calicem vini mistum, gratias egit, deditq; eis, dicens: accipite, & bibite ex eo, hic est sanguis meus; & biberunt. Et S. Basilius [a] in sua liturgia; accipiens, inquit, calicem, miscens, benedicens, &c. Similiter & lumen illud Orbis, Joannes Chrysostomus [b] in sua quoq; liturgia, unus militum, ait, lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis; hæc dicens, infundat vinum: & subdens, & aqua, infundat aquam. Magnus etiam Gregorius Nazianzenus [c] in secunda, contra Julianum invectiva, oratione, flagitiosa illius sacrilegia, in Ecclesias olim perpetrata, deplorans, sic fatur: Quis pro dignitate narrare, atq; exaggerare possit, quæcunq; vel ob flagitia circa sacras ædes admissa, vel ob sacras mensas contumeliis affectas, vel ob mysticos mistarios [d] furiosè contaminatos, ipsis acciderint? Hic mistarium appellat Sanctus dominicum Calicem, in quo vinum aqua miscetur.

Quòd etiam nostræ cum Deo verbo unionis mysterium in purgationem, & redemptionem permistio denotet illa, ostendit B. Hieronymus; [a] qui in Evangelium Marci super illa verba, accepit JESUS panem &c. Formavit, inquit, Dominus noster sanguinem suum in calicem, vino & aqua mistum; ut alio purgemur à culpis, alio redimamur à pœnis, sanguine namq; agni servantur domus à percussione Angeli, & aqua maris rubri extinguuntur inimici; quæ sunt mysteria Ecclesiæ Christi. Idem consimiliter asserit Venerabilis Beda Presbyter

[a] *S. Basil. in liturgia*

[b] *Chrysostomus in liturgia.*

[c] *Nazianzenus orat. 2. in Julian. invectiva.*

[d] *Mistarios, hic legunt Armeni sed pocula, habetur in latin.*

[a] *Hieron. in Marci cap. 14.*

ter [b] his verbis: Quia panis corpus confirmat, vinum verò sanguinem operatur in carne: hic ad corpus Christi mysticè, illud refertur ad sanguinem. Verùm quia & nos in Christo, & in nobis Christum manere oportet, vino dominici calicis aqua miscetur; attestante enim Joanne, aquæ populi sunt. Et neq; aquam solam, neq; solum vinum, sicut nec granum frumenti solum sine aquæ admistione, & confectione in panem, cuipiam licet offerre; ne talis videlicet oblatio quasi caput à membris secernendum esse significet; & vel Christum sine nostræ redemptionis amore pati potuisse, vel nos sine illius passione salvari, ac Patri offerri posse, confingat.

[b] Beda in Marci cap. 14.

Prætereà Sanctus Alexander Papa, (c) septimus á Divo Petro Pontifex Romanus, hæc in sua epistola scripta reliquit: In Sacramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solennia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est; ut ejus, cujus corpus, & sanguis conficitur, passio celebretur; ita ut repulsis opinionib⁹ superstitionum, panis tantùm & vinum aqua permistum in sacrificio offerantur. Non debet enim (ut à Patrib⁹ accepim⁹, & ipsa ratio docet) in calice Dni. aut vinum solũ, aut aqua sola offerri; sed utrũq; permistũ; quia utrumq; ex latere ej⁹ in passione sua profluxisse legitur. Hæc quidẽ M. ac gloriosus Christi Martyr, S. Alexander præcepit; qui omnes Ecclesiæ constitutiones, & canones perfectè ab ipso B. Petro acceperat. Et hoc ipsum affirmat S. Julius Papa; * Non potest, inquit, Ca-

(c) Alexand. I. in ep. I.

(a) Julius I. apud Gratianum de consecr. distinct.

lix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi misceatur utrumque. Tum quoq; injunxit, ut, si quis altero solo sine altero sacrificium perfecerit, tandiu cessare debeat à sacrificando, quandiu legitima pœnitentiæ satisfactione juxta sacros Ecclesiæ Canones correctus sit.

[b] S. Cyprianus l. 2. epist. 3.

Magnus itidem Christi Martyr Cyprianus [b] Episcopus Carthaginensis in Occidente, hæc de dominico Calice tradidit: Per Salomonem Spiritus sanctus typum dominici sacrificii ante præmonstrat, immolatæ hostiæ, & panis, & vini, sed & altaris, & Apostolorum faciens mentionem: sapientia, inquit, ædificavit sibi domum, & subdidit columnas septem, mactavit suas hostias, miscuit in cratera vinum suum, & paravit mensam suam, & misit servos suos, convocans cum excelsa prædicatione ad crateram, dicens; qui est insipiens, declinet ad me; & egentibus sensu dixit, venite, edite de meis panibus, & bibite vinum, quod miscui vobis. Vinum mistum declarat, id est calicem Domini, aqua & vino mistum, prophetica voce prænunciat, ut appareat in passione Dominica id esse gestum, quod fuerat ante prædictum. Hoc idem [a] superiús etiam memoraverat, his verbis: Admonitos nos scias, ut in Calice offerendo dominica traditio servetur; neq; aliud fiat á nobis, quam quod pro nobis prior fecit; ut Calix, qui in commemorationem ejus offertur, mistus vino offeratur. Et sanctus Ambrosius, [b] Episcopus

[a] ibidem paulo superius

[b] S. Ambrosius l. 4. in Sacram. cap. 4. & lib. 5. c. 1. vinum & aquam in calice miscenda esse, affirmat aliis verbis.

pus Mediolanensis similiter in Occidente; Calicis permistio, ait, unionem Dei verbi, quæ nobiscum est; significat. Hoc enim fecit & conjunctio facta est Divinitatis nobiscum, qui Christi sumus membra; ipse verò nobis est caput. Et iterum; per mystionem, quæ fit in sacro altari, mysterium crucis perfectum accipimus nos Fideles, & cum Christo conjungimur. Quin & noster sacrosanctus Patriarcha Niersses, [c] in Cantico 72. super Proverb. sic fatur: Misit servos suos, sanctos nimirùm Apostolos, ut vocarent ad potum lætitiæ misti Calicis, & ad aquam & sanguinem, quæ de latere Christi, in signũ duarum ejus naturarum, egressa sunt: quorum mistura ineffabilem Verbi cum carne unionem designat.

[c] *Niersses Ghielaiensis, Armenus Patriarcha, in cant. 72 super Prover.*

Hanc deniq; calicis gratiarum commistionem ipsa quoq; sancti Evangelii verba significant. Non enim dictum fuit; Accepit de cupa, vel de cellaria, guttulum, aut ejusmodi aliud vas, in quo merum asservari solet: sed [d] comedentibus illis, accepit Jesus calicem, unde manifestum est, quòd de mensa, in qua erat juxta morem appositus, calicem ipsum desumpsit, hoc est craterem, aut quòd simile vas, in quo poculenta miscentur. Neq; dictum est: hoc purum vinum, aut hæc phiala, in qua illud, purum de more servatur; sed, [a] hic est calix. Calicem ergo nominans, in quo potus misceri solet, ipsius utiq; potus ad mistionem patefecit. Tum additur: hoc facite in meam commemorationem; in passionis videlicet, & mortis meæ memoriam, ut Apostolus exposuit,

[d] *Marc. 14.*

[a] *Luc. 22*

fuit, dicens (*b*) quotiescunq; manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini añunciabitis. Cum igitur aqua mortem Domini nostri secundùm carnem significet; quemadmodùm & vinum vitam ejusdem denotat secundum Divinitatem; cumq; in morte ejus exierit sanguis, & aqua: òptimo quidem jure calix, & aqua, & vino mistus, in sacris mysteriis offerre debet.

In eo deinde, quod ulteriùs prædicant, Christum scilicet in nuda mensa post resurrectionem puro vinò usum fuisse: hoc colligentes ex illis verbis (*c*): Non bibam à modò de hoc germine vitis, usque in diem ullum &c. atq; ex testimonio Chrysostomi, (*d*) dicentis: de fructu vitis, ait, vitis autem vinum, non aquam profert: ut profectò perniciosissimam quandam hæresim radicitùs extirparet; quia sunt quidam, qui aqua in mysteriis utuntur: sciant, sacrum illum Doctorem propter eos, [*e*] qui solam offerunt aquam, id fuisse loquutum. Non enim ait: sunt quidam, qui vino aquam miscent; sed, qui aqua in mysteriis utuntur: in mysteriis, dicens, non panem, neque vinum indigitavit; hæc namq; non mysterii signa vocantur, hoc est, incarnationis, & mortis Christi. Quòd si, sunt quidam, dixisset, qui miscent aquam: justum forsitan esset, quod opinantur. Sed ait: qui aqua utuntur; id est, qui incarnationis, & mortis Christi mysterium aqua sola conficiunt, in morte autem Christi non modò aqua, sed sanguis etiam ex latere emanavit; sic & incarnatio non solùm hominē, quē significat aqua; verū & Deū quoq;

(b) I. ad Corinth. 11. (c) Matth. 22. (d) Chrys. in Mat. cap. 26. [e] Aqua sola in mysteriis utebantur Ebionitæ & Tatiani apud Epiph. hæres. 46. qui Hydroparastæ & Aquarii dicti sunt; Lege August. lib. de hæres. cap. 94.

continebat, quem sanguis figurat. Quamobrem, quia Ebionitæ Christum, hominem solũ existimabant, sola idcirco aqua in sacris utebantur mysteriis: quos B. Irenæus irridens, ait: nolunt cœlestis vini permistionẽ, sed sola illũ recolunt aqua; hoc est, unionem Divinitatis cum humanitate non fatentur in Christo, sed purũ hominem, illum asserunt; ea propter vinum, quod rei cœlestis, nempè Divinitatis, indicium est, nolunt aqua miscere, ne illam videantur unionem admittere; sed solam offerentes aquam, terrestrem tantũ hominem, ipsum confitentur. Hanc præterea veritatẽ confirmavit magna Synod⁹ [a] Carthag. tempore Honorii, & Archadii, Theodosii senioris filiorũ, coacta: necnõ VI. Synod⁹ (b) Constant. in Trullo Imperialis Palatii celebrata, in qua, præfata Chrys. verba propter eos, qui solam aquam offerebant, dicta fuisse, declaratum est.

Irenaus

[a] *Concil. Carthag. 3. can. 24.*

(b) *Concil. Trullã. can. 32.*

Quod insuper de sanguine loquũtur, & aqua, quæ de Christi latere sunt egressa: sãguinẽ scilicet in potũ solumodo profluxisse, aquã verò duntaxat in purgationem; falsum adhuc esse, liquet. Nam sanguinem nedum potum significare, verùm etiam purgationem, clare ostendit Evangelista Joannes [a] in epistolis suis catholicis, dicens: Sanguis Jesu Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato. Et David Propheta aquam in potum, & educationẽ quoq; fuisse, comemorat, dum ait: [b] In loco pascuæ ibi me collocavit, super aquam refectionis educavit me. Deinde utrũq; hoc, in potum simul, & purgationẽ esse, sancti Ecclesiæ Docto-

[a] *Joann. ep. 1. c. 1.*

[b] *Ps. 23.*

Doctores affirmant Ephrem, Gregorius Nyssenus, & alii; Divus enim Ephrem in expositione epistolæ ad Corinth. super illa verba: [c] Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari; & omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt; bibebant autem de spiritali, consequente eos petra; petra autem erat Christus: mare in exemplum affert baptismi & nubem, quæ, super capita Hebræorum extensa, illos protegebat in exemplum manus sacerdotalis: Et quemadmodùm, ait, homo per baptismum ad Christi corpus, & sanguinem ducitur; ita & populus ille, in mari prius baptizatus est, manna deinde spiritale comèdit, & potum spiritalem bibit, aquam, quæ de petra recèns scaturivit. Petra autem Christus appellatus est; quia Domini nostri latus, ad Petræ similitudinem apertum, in omnium gentium expiationem, & potum, aquam protulit, & sanguinem. Et Origenes in Cantica Canticorum, expendens illa verba, [a] Botrus Cypri, fratruelis me9 mihi in vineis Engaddi, sic habet: Elevatus est Dominus noster supra crucem in loco, qui dicitur Golgatha, & acuta cuspide vulneratus, multisq; pressus tormentis, suæ donatus est Sponsæ: sicut enim percussa petra aquam Hebræis effudit murmurantibus; sic & de latere Christi sanguis, & aqua in potum gentibus, effluxit gratantibus. Idem similiter confirmat Sanctus

[c] 1. ad Corinth 10.

[a] Origenes Cant. cap. 1. Septua.

Nyssen9

Sa-

Sanctus Gregorius Nyssenus in expositione ejusdem libri: Pande os, inquit, & bibe aquam ex latere, de quo lancea tibi scaturiginẽ aperuit. Si quælibet ergo communis aqua emundat, educat, ac omnibus potum ministrat; quantò etiam magis aqua vivifica de nostri latere Redemptoris egressa, hoc in Ecclesia plenè, perfecteq; operabitur?

Circa vero Dominicæ Nativitatis, & Baptismi festivitates, quas uno simul die, nempe 6. Januarii præter aliorum Christianorum consuetudinem, celebrandas, contendebant: asserentes Jacobum Fratrem Domini qui unam ex septem catholicis epistolis scripsit, constituisse, [b] ut utraq; festivitas hæc 6. Januarii perageretur: quod cum olim aliquot jugiter annos ita observatum sit, ea propter & nunc eodem modo se observare profitebantur: ad hoc quoque respondendum est, satis compertum haberi, sanctam Romanam Ecclesiam ab antiquis temporibus, per traditionem, à Divo usq; Petro Apostolorum Principe exortam festum Nativitatis 25. Decemb. & Epiphaniæ, seu Baptismi 6. Januarii semper fuisse solitam celebrare. Et quamvis nonnullæ Asiaticæ Regionis Ecclesiæ, præsertim Hierosolymitana, utramque festivitatem uno, eodemq; 6. Januarii die antea peregissent: postea tamen, re meliùs à Sanctis Patribus considerata, ab illo se errore retrahentes, eas divisim

[b] *Nullus Apostolorum id instituit, imo Apostolica constitutio opposítum præcipit his verbis: Natalis Domini celebratur 25. die noni Mensis: post quem celebretur Epiphania dies 6. die decimi Mensis: hoc est 25. Decembris; & 6. Januarii. Vide S. Clementem Papam. Lib. 5. constit. Apost.*

sim juxta morem Ecclesiæ Romanæ celebrare cœperunt, videlicet Nativitatis festum 25. [c] Decembris, & Baptismi, seu Epiphaniæ 6. Januarii. Quemadmodùm & Paschatis festum, quamvis antea in Asiatica parte feria quinta veteris Hebræorum Paschatis ageretur, & hoc usq; ad Constantini magni, Sanctorumq; Patrum Nicenæ Synodi tempora: ex iisdem tamen sanctis Patribus posteà permutatum, in primum Sabbati diem translatum fuit, in quo Dominicam resurrectionem, ut Romana semper Ecclesia solita fuerat, cunctis Christianis celebrandam, decreverunt. Sicut igitur in Paschatis festo contigit; ita similiter & in festo Nativitatis, quod divisum ante Baptismum, seu Epiphaniam 25. Decembris peragere statuerunt: ipsam verò Epiphaniam, seu Baptismum die 6. Januarii, juxta Sacro-sanctæ Ecclesiæ Romanæ consuetudinem.

Ratio autem, cur in hujuscemodi festivitatibus celebrandis tanta priùs diversitas præterfluxisset, ea est: quia nimirùm Apostoli, ministerio verbi, ac prædicationis evangelicæ pro virib⁹ instantes, intenti erant potissimùm ut homines ab erroribus Simulacrorum ad unius veri Dei cultum converterentur; cumq; in hanc rem omnem curam, ac laborem adhiberent, festorum ordinem, amussitatumq; uniuscujusq; traditionis examen haud sanè multùm curavere; eo præsertim tempore, quo Apostolicæ prædicationi, perniciosæ Scribarum, ac Pharisæorum, aliorumq; Judæorum

hæreses

hæreſes ut cum maximè adverſabantur; cum inſurgebant falſæ Simonitarum, & Marcionitarum doctrinæ, acriter vexantes Eccleſiam; exundabantq; tempeſtuoſæ ex Gentilium vi, ac furore perſecutionum procellæ, quæ ſapientiæ domum arietabant. Quamobrem Eccleſiæ tunc ordines firmam ubiq; methodum retinere nequibant. Adde quòd Apoſtoli in primævo illo ſurgentis Eccleſiæ ſtatu ad infirmam hominum fidem deſcendentes, facilè permiſerunt, ut eas feſtivitates quævis Eccleſia juxta placitum ſibi ordinem celebraſſet: ſicuti eandem ob rem, ut Gentes ab Idolorum cultu facilius retraherentur, ipſa adhuc Evangelica præcepta, atq; doctrinas permiſſione interdum, & licentià, prout opus erat, attemperabant. Non enim omnibus, & ſingulis ſimul rebus poterant perfectè proſpicere. Quare ex quatuor illis duntaxat tunc abſtinendum, præceperunt, ab immolatis Simulacrorum, à fornicatione, ſanguine, & ſuffocato; & hoc quidem, usquequò Eccleſia firmiorem ſumeret in vera fide ſtabilitatem.

Poſteris verò temporibus ab Apoſtolorum ſucceſſoribus omnia ſigillatim accommodatiùs, perfectiorique ordine diſpoſita, atque præcepta ſunt; quemadmooum & contigit, ut dictum eſt, in illa feſtivitatum Nativitatis, & Baptiſmi disjunctione, quæ ab iisdem ſanctis patribus poſtea in Eccleſia inſtituta fuit. Cujus

rei

rei necessitatem, & causam ostendit Beatus Cyrillus Hierosolymorum Patriarcha in Epistola ad magnum Julium Romæ Papam: (hic autẽ Cyrill⁹ nõ est ille, qui Epistolã ad Constãtium Imperatorem, M. Constantini filium, destinavit; sed quidam alius, * illi⁹ Cyrilli in eãdem Hierosolymitana Sede successor.) Is ig. hæc ad Julium scripsit: Multus quidem labor à ministris insumitur, & adhuc defectus occurrit in celebratione gloriosarum festivitatum Nativitatis, & Baptismatis Domini nostri, dum utraque uno simul die peragitur. Omnes enim preces, lectiones, & cantica, quæ in honorem tantarum soleñitatum debentur, defectu temporis absolvi minimè possunt. Quomodo namq; valeat, quis festivitates illas cum suis mysteriis una die perficere, in urbe Bethlehem Nativitatem, ac deinde in Jordanem perveniens, ibi Baptismum, ut fas est, celebrare? Nam cum Bethlehem in australi plaga Hierosolymæ constituta sit, & ab illa tribus distans milliariis; quinam fieri potest, ut celebrans eodem die, tantam viæ longitudinem pertransire, earumq; festivitatum mysteria valeat explere? Ipse porrò ex Hebræorum libris de festo Nunciationis prolis Zachariæ, ab illis die expiationum celebrato, accepi; quod inde sex mensibus enumeratis usq; ad annunciationem Beatæ Virginis, atq; hinc rursus novem aliis usq; ad Christi Nativitatem ejusdem Nativitatis festum non incidat ipsa die, qua nos illud unà cum Baptismate concelebramus. Quapropter vestram deprecor

Juli⁹ I.

* *Vide Baron. añ. 351 de pluribus Cyrilli Episcopis Hierosolymorum.*

Sancti-

Sanctitatem, quatenus diligenter illum Hæbræorum codicem istic inquirat, atq; in eo rei suprascriptæ veritatem exploret; si qua fortè festivitatum harum ab invicem separatio librorum quoque testimoniis effici possit: ut videlicet unamquamque seorsim proprio suo die honore debito peragamus.

Hæc itaq; cum audisset Beatus Julius, accuratissimam rei istius inquisitionem faciens, omnes Hebræorum libros, qui jussu Titi, & Vespasiani Romanorum Imperatorum Hierosolymis Romam delati fuerant, congregavit: atq; in Añalibus Josephi offendit, quod mense septimo in festo expiationum hora ministerii apparuerat Angelus Domini Zachariæ in Templo, eique nuncium prolis retulerat; qui tamen cum Archangeli verbis fuisset incredulus, mutus in pœnam evaserat usque ad partum Elisabeth in sua sterilis senectute. Hoc autem adinuento, reliqua omnia ex eodem ordinatè deducens Beatus Julius, veritatem antedictam comprobavit. Nam primus Hebræorum mensis est Nisan, dictus à Romanis Aprilis; (*a*) septimus verò, à Nisan enumeratus, est Thisrin, quo mense in festo Expiationum, quod eo anno contigerat secundùm Romanos 24. Septembris facta est Angeli annunciatio Zachariæ. Hinc sex aliis mensibus enumeratis, devenitur ad Annunciationem Deiparæ virginis, juxta illud Archangeli ad eandem, (*b*) Et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis: quod planè accidit die 4. Nisan, & 25. Martii. Ex hoc rursus die novem

(a) Nisan interdum in Aprilem, interdum in Martium incidit.

(b) Luc. 1.

elapsæ

elapsis mensibus, occurrebat Christi Nativitas 9. Tebet, & 25. Decembris.

Sic igitur Julius Papa, comparatis Hebræorum mensibus cum mensibus Romanorum, manifesté ostendit, Christi Nativitatem verè ipso die 25. Decembris contigisse; tum 6. Januarii Baptismum. Et quamvis sacro-sancta Romanorum Ecclesia ita similiter anteà, à Divo usq; Petro veteri traditione edocta, celebrasset; dein tamen sacrorum librorum testimoniis magis confirmata, cœpit in posterum utramq; festivitatem illam prædictis diebus unà cum aliis, ipsam imitantibus, Ecclesiis solenniùs celebrare. *S. Basilius.* Hinc Sanctus Basilius, Archiepiscopus Cæsariensis, in suis quoq; scriptis posuit Christi Nativitatem die 25. Decembr. monuitq; Gregorium Nazianzenum, ut illam Byzantii eodem die perageret. Quin Nazianzenus ipse in Orat. de Christi Nativitate priùs illam, ac posteà Baptismum se celebrasse significat his verbis: [b] Ac quidem paulo post & Jesum purgatione mea in Jordane purgari videbis, vel potius aquas purgatione sua purificare. Post hæc verò ait: Nunc autem partum accipe, ac præsulta. Et iterum: Nunc autem Theophania, sive natalitia, præsens celebritas. Tum quoq; in Oratione sequenti de Baptismo ait: [a] Rursum Jesus meus, & rursum mysterium. Ac tandem inferiùs: Etenim sanctus luminum dies, ad quem pervenimus, quemq; hodiè divino beneficio celebravimus, Baptismum habet. His quidem patefaciens, uno die Nativitatis, alio verò Baptismi festum esse peragendum.

[b] Nazianzē. in orat. de Christi Nativit.

[a] Idē in Orat. de Baptismo Christi.

Porrò

Porrò autem quamvis ritus hic, ex Julii Papæ temporibus exorsus, ab aliquibus observaretur Ecclesiis, ab aliquibus verò rejiceretur & hoc usq; ad magni Chrysostomi, piorumq; Imperatorum Honorii, & Archadii, Theodosii senioris filiorum, tempora; tunc tamen in universam Ecclesiam magis dilatatus, & canone firmatus fuit, hoc modo: Veniens enim Honorius Imperator Româ Byzantium, matri ac fratri retulit, quanta Canticorum, precum & lectionum solennitate à Romanis Domini nostri Nativitas suo proprio die celebraretur, similiter & ejusdem Baptismus alio statuto die æquali celebritate, ac splendore. Quod cum istis magnoperè arrisisset, accersentes magnum Joannem Chrysostomum, Constantinopolis tunc Patriarcham, rem ei totam communicaverunt, de qua & ipse plurimum hausit jucunditatis, ac lætitiæ. Jampridem enim exoptabat Beatus, (quemadmodùm ipsemet in homilia de Christi Nativitate non obscurè, insinuat) idem Nativitatis festum ita solenniter lectionum, hymnorumq; cantionibus juxta mysterii congruentiam celebrare, uti jam illi ex instituto solebant. Hac itaque de causa indixit multorum Episcoporum Concilium, ad quod præsertim magnus Epiphanius Cyprius, utpote qui Hebræus genere, maximeq; in Judæorum libris versatus, accessit; ubi Patres post exquisitum explorandæ studio veritatis examen, incipientes ex nuncio prolis Za-

chariæ, ad exitum tandem dominicæ Nativitatis negotium perduxere.

Primùm quippe ex divo noverunt Paulo, quòd semel tantùm in anno Pontifex in Sancta Sanctorum ingrediebatur: quandoquidem idem Apostolus ad Hebræos scribens, ait [a] In priori quidem tabernaculo semper introibant Sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem semel in anno solus Pontifex, non sine sanguine, quem offert pro sua, & populi ignorantia. Porrò mensis, ac dies quandò Pontifex ingrederetur, ab ipso Moyse præscripti fuerant, his verbis: [b] Mense septimo, decima die mensis affligetis animas vestras, &c. Usque ad id, quod subditur: Eritq; vobis hoc legitimum sempiternum, ut oretis pro filiis Israel, & pro cunctis peccatis eorum semel in anno. Hinc cognitum habuerunt, quòd mense Thisrin, qui erat Hebræorum septimus, à Nisan primo enumeratus die decimo ejusdem mensis, in jejunio Scenopegiæ, [c] quando Pontifex propitiationem pro populo celebrabat, ingressus fuerat Zacharias in Sancta Sanctorum, eique Angelus apparuerat, & futuram prolis nativitatem nunciaverat: hoc autem accidit die 24. Septembris: Inde sex insuper enumeratis mensibus, deprehenderunt, annunciationem, ab Archangelo factam Beatæ Virgini, die 4. Nisan, & 25. Martii contigisse; quo quidem die, exactis à conceptione Elisabeth sex mensibus illis, sanctissima Virgo Maria concepit. Hinc tandem ulteriùs subducentibus, hoc est,

[a] ad Hebr. 9.

[b] Levit. 16.

[c] Levit. 23.

ex 4. Nisan, & 25. Martii, Nativitas Domini nostri Jesu Christi 9. Tebet, & 25. Decembris illis comperta fuit.

Postquam autem dominicæ tempus Nativitatis cunctis isto examine innotuerat, directum fuit hac de re universale mandatum ex alma Urbe Roma in Ecclesiam Constantinopolitanam, & ad Joannem Patriarcham Hierosolymorum, & ad Flavianum Antiochiæ Patriarcham: omnesque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ adhærentes, unanimiter decreverunt, ut ejusdem Nativitatis festivitas 25. Decembris solenniter in universa celebraretur Ecclesia, festumque Baptismatis 6. Januarii eratque tunc temporis Ecclesiæ Romanorum Patriarcha Anastasius. Scripserunt autem ex Urbe Byzantia, sicut ad alias Ecclesias, sic & ad magnum Jsaac* epistolam, ut vel ipse cum tota Ecclesia conveniret. Hic interim, cum noluisset in perniciem Armeni Regis Ardasciræ unà cum Armeniorum Primatibus conspirare, eumque apud Regem Persarum falsis impetere calumniis, fuerat ab iisdem Magnatibus, ac præsertim ab ambitioso quodam calumniatore, falsoque sacerdote Suormach nuncupato, apud ipsum Persarum Regem de falso hoc crimine accusatus: Rex noster Ardasciras, inquiunt, & Jsaac Patriarcha, cum Græcorum Imperatore fœderati, rebellionem à tuo cœptare dominio machinantur. Quibus fidem adhibens Persa, & Regem, & Patriarcham ex eorum Throno dejecerat: ipsumque Suormach, tanquam in mercedem pro-

** Jsaac decim⁹ Armeniæ Patriarcha.*

ditionis, patriarchali remuneraverat dignitate. Ea propter, dum in adventu generalis illius mandati Rex Ardasciras, & Isaac Patriarcha in Ardavasensi Provincia exularent, nullum ex eodem Beato Isaac responsum ad Archadium Imperatorem, ac Divum Ioannem Chrysostomum Constantinopolis Patriarchã redire potuit; unde & illa consequenter Ecclesiæ Armenicæ cum magna Romanorum, aliorumq; Christianorum Ecclesiis conformatio in festis dominicis celebrandis ad exitum tunc perduci nequivit. Quocirca sciendum insuper est, non modò omnes orthodoxorum Ecclesias, verùm etiam & Hæreticorum, quæ à recta fide, aliisquæ sacris ordinibus Ecclesiæ posteà declinarunt in horum tamen celebratione festorum cum eadem Romanorum Ecclesia concordasse, cujusmodi sunt Nestoriani, Eutichiani, aliiq; complures. qui licet in fidei professione, aliisq; traditionibus ab Ecclesia sancta dissentiant, in hac tamen re omnes ei concordes inveniuntur.

Præterea, quòd dies Nativitatis præscriptus, verus sit, ipsa quoq; solstitia nobis indicant; nam tempore, quo Christi Nativitas incidit, Sol incipit retrocedere, dies crescere, nox verò decrescere. In Nativitate autem Joannis, quæ Christi Nativitatem sex mensium spatio præcedit, dies decrescere, nox verò incipit crescere; quemadmodùm Joannes ipse populo prædicabat, dicens: illum oportet crescere, me autem minui. Quod & Chrysostomus, verba faciens de conceptione Elisabeth,

sabeth, matris Joannis, his innuit verbis: * inventum est, ait, ipso die, octavo calendarum Octobris esse æquinoctium, in quo est inchoatio noctis major, quàm lucis; illum enim oportet crescere, inquit, me autem minui. Tot igitur, ac talibus rationibus nos inducti, firmè credimus, diem 25. Decembris verè illum esse, cui Dominicæ festum Nativitatis occurrit: quod & definivimus; ut ex vigesimo die ejusdem mensis Armeni jejunium dictæ Nativitatis observent quinq; diebus, post quos festivitatem illam solenniter celebrabunt.

Chrysostom. in serm. de Nativ. Joan. Baptist.

Hanc autem de festis celebrandis, aliisque suscipiendis traditionibus veram Ecclesiæ Catholicæ definitionem nonnulli, aberrantes à veritate rejiciebant; deque nobis obloquebantur, dicentes, idcircò unam festivitatem in duas separant, ut unum quoque Christum in duas personas, & duos filios divisum confiteantur: quod absit omnino; sed ipsi potiùs, negantes duas illas naturas, quas in una Christi persona inconfusè unitas Ecclesia sancta confitetur; atq; credentes, quòd post ineffabilem unionem ablata sit differentia naturarum, unam in eodem Christi naturam statuebant. Testem verò sui sceleris Beatum faciebant Cyrillum; eo quòd ad ineffabilem unionem illam confirmandam, quandoq; dixerat: una est natura Verbi divini incarnati: profectò ignorantes, quòd sicut ibi ad unitatem Verbi declarandam dixerat Beatus

Cyrillus Alexandrin⁹

unam Verbi divini incarnatam naturam; ita & alibi sæpiùs ad comprobandum duas naturas, in una Christi persona inconfusè unitas, cùm ipse Cyrillus, tum Athanasius, Chrysostomus, aliiq; sancti Patres disertè, & clarè locuti fuerant: quos inter & magnus Nazianzenus in Epistola ad Cledonium, dicens: Naturæ duæ, nam Deus & homo. Et iterum in Orationibus de Theologia ait: Contra quam in Trinitate res se habet; illic enim in tribus personis una natura; hic autem in duabus naturis una cernitur persona. Rejiciebant illi prætereà, ut supra dicebamus, Calicis admistionem; neque duas operationes in Christo, divinam scilicet, & humanam, ut Ecclesia Catholica credit, confitebantur; sed & in suo errore pertinaciter obfirmati, à magnæ Ecclesiæ Romanæ traditionibus, & decretis, quibus reliquæ omnes obtemperabant, nostram Armenam Ecclesiam jam averterant.

Nazianzenus in epist. I. ad Cledonium, & in orat. de Theologia.

Quamobrem egregius Patriarcha noster Gregorius, ut nos in unum Ecclesiæ sanctæ corpus, sub uno capite Christo constitutum, iterum revocaret; utq; hanc* radicem amaritudinis, sursum germinantem, per quam multi inquinabantur, penitùs extirparet; omnes divinos codices, sanctorum Patrum doctrinas, ac definitiones, eas præcipuè, quæ è sacrarũ Scripturarum oraculis ab iisdem erutæ fuerant, accuratissimè perscrutatus, competit, prædictas Ecclesiæ Romanæ traditiones, quas illa tum de S. Calicis comistione, tum de dom.

** Ad Hebr. 12.*

Nati-

Nativitatis, & Baptiſmi feſtivitatibus, tum de duabus in una Chriſti perſona unitis naturis, ab initio ſervaverat, rectas omnino, ac veraces fuiſſe. Quapropter ipſemet manu propria Canones Eccleſiæ noſtræ præſcribens, mandavit nobis, ut aquam in calice, juxta aliorum Chriſtianorum conſuetudinem, miſceremus, ut feſtum Annunciationis celebrarem⁹ die 25. Martii, & Nativitatis 25. Decembris, & Baptiſmatis 6. Januarii, & Purificationis, Deiparæ Virginis 2. Februarii, & ejusdem Aſſumptionis 15. Auguſti, & Exaltationis ſanctæ Crucis 14. Septembris, reliquas verò Sanctorum feſtivitates juxta Mænologii diſpoſitionem ageremus; illæque, quas ſua peculiari traditione Armeniorum Eccleſia anteà celebrabat, eodem modo in poſterum obſervarentur.

Decrevit inſuper, ut quemadmodùm Orthodoxorum Eccleſia credit, duas naturas in una Chriſti perſona, propter inconfuſam unionem confiteremur; ut Miſſæ ſacrificium ſupra Corporale conficeremus; ut in Eccleſia eſſent Clerici, juxta uniuscujusq; ordinis gradum initiati; ut in vigiliis Paſchatis, Nativitatis, & Baptiſmatis, ab aliis cibis paſchalibus abſtinentes, piſcibus [a] tantùm, & oleo, ſecundùm magnæ Eccleſiæ Romanæ ritum, contenti eſſemus; ac deniqùe, ut Triſagii adjectionem illam, qui crucifixus es pro nobis, in humanitatem Chriſti referremus. Abſtulit etiam à nobis excommunicationem, quam Conciliabulum [b] illud iniquũ imiſcentes aquam

[a] *Armenii piſces & oleum, cibos paſchales exiſtimant.*

[b] *Concilio abulum Manaſchiertenſe Arm-*

& festa modo superiùs tradito celebrantes, injustè pronunciaverat. Tum deinde pontificium epistolæ [c] illius diploma, in quo relati Canones scripti fuerant, proprio sigillo consignans, misit ad piissimum Regem nostrum Leonem, ut eos magna Episcoporum, Magistrorum, & Patrum cœnobiorum Synodo in Armena Ecclesia confirmandos curaret.

[c] Hæc epistola directa reperitur ad Haytonem Cœnobitã Patrem Leonis Regis.

Porrò, cum interim remunerator animarum, vitæq; largitor, Pastor noster, & Dominus, Jesus Christus, eundem servum suum, & Antistitem nostrum Gregorium è molestis laboribus, in suo Grege regendo strenuè exantlatis, ad æternam requiem transtulisset; quare ad opus istud perficiendum pervenire nequivit: piissimus Rex noster Leo, & Dominus noster Leo, & Dominus noster religiosissimus Hayton, ne hoc charitatis, concordiæq; inceptum optato fine frustraretu,rper universam suæ ditionis Regionem edictum promulgarunt, ut nimirùm omnes Episcopi, Magistri, & Patres [d] Cœnobiorum in unum undiq; locum pro concordia, & unione cum sancta Romana Ecclesia ineunda, congregarentur. Quamobrem illi statim in regiam Civitatem Sisim, in Templum Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, aliàs sanctæ Sophiæ nuncupatum, plenissimo cœtu simul omnes convenerunt: ubi quoq; præerant Rex ipse Leo, Regisq; Pater Dominus Hayton, nec non Dominus noster Oscinus, nunc Dei gratia Rex Armeniorum, & Dominus Alinahh frater Regis; astantibus Oscino Armeniorum Duce Generali,

[d] Superiores Cœnobiorũ

rali Domino Sembat, Domino Raymundo, aliisq; Armenis Principibus, & Optimatibus.

Quod ubi factum est, evestigiò memoratam Gregorii Patriarchæ nostri epistolam, atque ab eodem de festis celebrandis, aliisq; traditionibus suscipiendis definitos Canones coram universo Concilio produxerunt. Tunc pientissimus Leo Rex Patribus cunctis injunxit, ut Canones illos singulatim diligentissimo examine perpenderent; ac si quidem veraces fuissent, reciperent, & in Armeniorum Ecclesia confirmarent; sin aliter, rejicerent uti futiles & commentitios. Et quidem post longam, accuratamque scrutationem compertum illis fuit, decreta Patris nostri Gregorii sanctorum Apostolorum Canonibus, sacrisque scripturis consentanea omnino esse: quarè visum est omnibus, ibi congregatis Episcopis, Magistris & Patribus, illa tanquam veraces, & Apostolicas constitutiones, reverenter amplecti; quin & in membranis transcripta, in Ærario Ecclesiæ inter pretiosos Domini Thesauros asservare. Deinde juxta decretorum illorum statuta communi omnium consensu sancitum fuit, ut dominicæ festum Nativitatis die 25. Decembris in posterum ageretur; ut Calix Domini vino & aqua mistus offerretur; ut duas naturas in una Christi persona, propter inconfusam unionem, confiterentur; utque demum septem Generalia Concilia, & quicquid in eis à Patribus definitum fuerat, susciperent. Hanc autem Constitutionem, ut perpetuò firma

persisteret, singuli propriis nominibus subscripsere, suoq; munierunt sigillo, ad gloriam Christi Domini, & spei nostræ.

Verùm enim verò Diabolus, qui veritatis, & pacis adversarius est, ac perpetuus inimicus, unionemq; corporis Ecclesiæ Christi odio habet, sicuti olim tempestuosis Gentilium agitationibus, & incursibus Sapientiæ Domum evertere satagebat, crebrisq; hæresum procellis Ecclesiam perturbare; ita nunc similiter viros quosdam insipientes, ac veritatis oppugnatores, iterùm pullulare fecit: quibus profectò maximæ curæ fuit, Constitutionis hujus veritatem subvertere, atq; nostram, quæ cum aliis Orthodoxorum Ecclesiis erat, concordiam dissolvere, & demoliri; immò quicquid à S. Patribus de dominicis festivitatibus, aliisque traditionibus decretum fuerat, vanum reddere, rejiculumque. Quapropter huc illuc discurrentes, veros illos Canones, qui in Metropolitana Civitate Sisensi, in Templo S. Sophiæ, Ecclesiæ nostræ traditi, & confirmati fuerant, abolere conati sunt; asserentes, eos constitutionibus Apostolicis, & sancti Illuminatoris nostri Gregorii traditionibus esse contrarios. His autem nugatoriis, & adversantibus verbis complures ex incauto populo decipientes, á veritate hujus Constitutionis averterant; quibus etiam, in Conciliabula convocatis, aliam contra traditiones Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ sectam tuendam proposuerant.

Quæ quidem omnia cum ad Oscini pientissimi

tissimi Regis nostri aures pervenissent: Rex incunctanter, missis ad sacro-sanctum Patriarcham Constantinum nunciis, per quos hæc eadem illi significavit, iterum Generale Concilium per omnē suæ Ditionis locum indixit: mandans cunctis Episcopis, Magistris, & Patribus cœnobiorum, ut in unum simul convenientes, rem totam accuratiùs pertractarent, veritatem patefacerent, atq; malum de medio tollerent, sicut inquit Apostolus; [a] Auferte malum ex vobis ipsis: nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Et alibi: (b) Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi. Quamobrem in celebrem civitatem Adanum, in Templum D. Minasi, quod Regio Palatio adjunctum est, in magna Transfigurationis Domini nostri Jesu Christi solennitate, unà simul nos infrascripti convenimus.

[a] I. ad Corinth. 5.
[b] ad Hebr. 12.

Constantinus, Armeniorum omnium Patriarcha.
Joannes, Archiepiscopus Tarsi.
Constantinus, Archiepiscopus Sisis.
Joannes, Archiepiscopus Daroni.
Stephanus, Episcopus Adani.
Joannes, Episcopus Anarzabi.
Joannes, Episcopus Mamuiesti.
Nierses, Episcopus Molievoni.
Stephanus, Episcopus Parzerperti.
Jacobus, Episcopus Ghabni.
Gregorius, Episcopus Marsciæ.
Nuntius, Episcopus Nepergherti.

Constan-

Constantinus, Episcopus Anghuriæ.
Marcus, Episcopus Gharuz.
Stephanus, Episcopus Ghoghuonii.
Jacobus, Episcopus Salamastæ.
Constantinus, Episcopus Marantuniæ.
Stephanus, Episcopus Palatii Patriarchalis.
Joannes, Magister N.
Cyriacus, Magister Eremita.
Gregorius, Magister Chiermaghperi.
Gregorius, Magister N.
Martyr, Magister N.
Antistes, Pater Monasterii Thiurchtensis.
Basilius, Pater Monasterii Khorinensis.
Oscinus, piissimus Rex Armeniorum.
Alinahh, Frater Regis, ac Dominus Tarsi, & Lamproni.
Sembat, Dominus Asghurri.
Hayton, Armeniorum Dux Generalis.
Raymundus, Dominus Micchalechui.
Oscinus, Dominus Ghorricusi.
Sembat, Dominus Sembataghelæ.
Oscinus, Dominus Ghubitarri.
Lichus, Dominus Khenzoroutæ.
Tarasius, Dominus Chiofreghelain.
Aliiq; Principes, ac Nobiles Armeni.
Aderat etiam Capellanus Regis Tarasius unà cum multis Sacerdotibus, & religiosis viris.

Nos igitur omnes, Sacræ Scripturæ testimoniis, traditionibus Sanctorum Patrum, atq; Orthodoxorum Conciliorum definitionibus, diutiùs adversus homines illos discrepantes, perspicuè demonstravimus, falsam,

vanam

vanam, commentitiamque eorum esse doctrinam: memoratam vero sanctorum Conciliorum, & Patriarchæ nostri Gregorii Constitutionem omnino justam, veram, rectamq; comperimus; neque ut ipsi inaniter effutiebant, sed potius Illuminatoris nostri Sancti Gregorii semitibus consonam, & Canonibus Apostolicis valde consentaneam eam fuisse perspeximus. Quapropter, in confirmationem antedicti Decreti magni Concilii Sisensis, & nos hîc unà congregati Episcopi, Magistri, & Patres definiendo præcipimus, ut ejusdem præcedentis Concilii mandata, atque Decreta ab omnibus summo in honore, & reverentia, non secus ac Evangelicæ, & Apostolicæ constitutiones, habeantur; omnisq; in eo præscripta traditio, atque ordo festivitatum celebrandarum, indefectibiliter in Armeniorum Ecclesiis observentur. Eos autem, qui vel huic nostro, vel præcedentis Concilii decreto quomodolibet adversentur, sive Regulares illi sint, sive Seculares, per divinum Spiritus Sancti mandatum à Catholica & Apostolica Romana Ecclesia separamus, atque rejicimus; quin & à nostro sancto Grege repellimus, quousque ad pœnitentiam revertantur. Quare nemo in posterum audeat, hujusce nostræ definitionis veritati contrarius apparere; ne Domini, & Dei nostri Jesu Christi damnationem, ac punitionem in hoc, & futuro seculo incurrat. Porrò autem ut hoc nostrum Decretum, firmum semper ac stabile per-

Excommunicatio, ab Adanensi Armeniorum Concilio lata; cui tota ferè ipsorummet natio hactenus subjicitur.

permaneat, Nos omnes hic congregati Patres, tradito supra signum sanctæ crucis, & sacra Evangelia juramento nomina nostra in fine illius propria manu subscripsimus; idemq; proprio uniuscujusque sigillo consignavimus.

Constantinus Armeniorum omnium Patriarcha, consentiens subscripsi.
Joannes, Archiepiscopus Tarsi.
Et reliqui omnes, ut suprà.

Similiter quoque fecere piissimus, ac in Christo fortissimus Armeniorum Rex, Dominus noster Oscinus; & sapientissimus, ac religiosissimus Dominus Alinahh, frater Regis: & magnus Dux Generalis, Dominus Hayton; aliique Principes, & Optimates Armeniæ ad gloriam Christi Dei, & spei nostræ; qui cum Patre, & Spiritu sancto est benedictus in secula seculorum. Amen]

Finis Adanēsis Concilii Hic finis imponitur Actis Concilii Adanensis Armeni, ac etiam, seriei Armenorum Patriarcharum quam Orientalis Historicus usque ad prædictum Constantinum Cæsariensem, Patriarcham, contemporaneum suum, protenderat.

Hujus autem Adanensis Consilii, initæq; in eo Armeniorum cum sancta Romana Ecclesia concordiæ, mentionem facit Magister Joannes Chernacensis Armenus in epistola ad Fratres Unitos, quæ apud Patres Dominicanos Armenos Nascivanensis Provinciæ inter alia ejusdem Joannis opuscula adhuc extat, & à nobis

à nobis paul ò inferiùs adducetur. Cum autem in eadem epistola referantur fructus uberrimi, quos Catholicæ seminatione fidei sub hæc ipsa tempora in Armenia perceperant Fratres Ordinis Prædicatorum; lubet in sequenti capite prolixam eorum narrationem, prout in libris Armenis eorundem Patrum accuratè describitur, summatim saltem exponere; ac modum aperire, *quo fulgentissimus hic orbis Christiani lychnus*, sacra, inquam, Dominicanorum Religio, quæ reliquas mundi plagas à Paganism, hæresumque tenebris mirificè illustravit, non modò rutilantes sanæ doctrinæ radios in Armeniam quoque invexerit; sed & sedem ibi fixerit, & hactenus in iis Oppidanis Romanæ fidei lumen alat, ac foveat.

DE PROGRESSIBUS Fratrum Prædicatorum in reducendis ad Catholicam fidem Armenis.

CAPUT XXX. Et ultimum.

UT principium ab origine repetamus: Florebat tempore Joannis Papæ XXII. in Religione Fratrum Prædicatorum cùm vitæ sanctimoniâ, tum divinarum, humanarumque scientiarum peritia, ob quam ad magisterii gradum jam evehi promeruerat, Beatus Bartholomæus Bononiensis; cujus virtutum famâ permotus idem Summus Pontifex, consecravit eum Episcopum, non Armeniæ quidem, ut communiter dicitur, sed Provinciæ

Beatus Bartholomæus ordinis Prædicatorũ, mititur Episcopus ad Armenios.

ciæ Maragacenſis, ſic à primaria ejus Urbe Maraga nuncupatæ, quæ inter Armenorum, Parthorumq; confinia ſita eſt. In[illegible]at autem tunc temporis non ſolùm Armeniam, ſed multas etiam Perſidis Urbes ingens Chriſtianorum ſchismaticorum multitudo, quos bonus Paſtor, uti aberrantes in viam veritatis adduceret, vel cum vitæ diſpendio, ſi neceſſarium foret, diu noctuq; animo revolvebat. Cum tandem linguam Perſicam didiciſſet, ac plurimos, Deo dante, ad Catholicam perduxiſſet fidem; videns inter Zizania ſegetem jam albam ad meſſem, extruxit unà cum aliquibus ſociis in monte quodam monaſterium eremiticum; ubi cellulas nonnullas ſupra montem æſtivas ædificavit; alias verò hybernas, ad radices ejusdem montis vivo ſaxo exciſas, aptavit, quæ usq; adhuc videntur. Talem deniq; in reducendis, paſcendisq; Chriſti ovibus ſe exhibuit; ut virtutis, doctrinæque ejus auditio jam in multas dimanare cœperat Regiones.

Interim anno poſt Chriſtum natum 1328. clarus inter Armenos monachos, ac totam per Armeniam celeberrimus erat magiſter quidam inſignis nomine Iſaias; qui in ſuo, ubi præerat, Cœnobio, non longè à Civitate Erauàn, trecentos ſeptuaginta ex diſcipulis ſuis Magiſterii dignitate (quod Armeni per libri, baculiq; traditionem facere ſolent) condecoraverat; atq; unus fuerat ex iſtis prænotatis magiſter Joannes Chernacenſis, qui & ipſe in Provincia Erinciach, nunc vulgò dicta Alincià

cia, præerat monasterio prope Oppidum Chernà, cujus Princeps erat Dominus Georgius ipsius Joannis avunculus. Audiens igitur Magister Jsaias prædicationis, ac vitæ famam Beati Bartholomæi, hortatus est per nuncios discipulum Joañem, ut iret ad illum, ac videret, quænam ejus esset doctrina: erant quippe omnes, non tam per contumaciam, quam per ignorantiam schismatici.

Magist. Joañes Chernàensis Arm. amplectitur fidem Orthodoxam.

Excellebat quidem magister Joannes ingenii, indolisque præstantia planè admirabili; ardentique desiderio veræ salutis, ut sibi, ita monastico cœtui, totique populo suo acquirendæ tenebatur. Jtaque e vestigio ad Conventum B. Bartholomæi profectus, quò pervènit post quatuor dies itineris, talia vidit, audivitque ut statim ad Ecclesiæ Romanæ obedientiam se reducere, in animo proposuerit. Mansit autem apud illum per sesquiannum; quo tempore didicit inter alia etiam Latinam linguam, docuitque B. Bartholomæum, ac socios ejus Armenicam: ex iis insuper, quæ ibi toto illo temporis decursu audiverat, ac didicerat, multà in unum congessit sermonum & casuum conscientiæ librum; Armeno compositum idiomate; in cujus præfatione præsentem narrat historiam, quæ in aliis etiam Armenis codicibus, ex quibus traducta est, latiùs continetur.

Idem Ioannes & B. Barthòlomæus convo-

Adveniente autem anno 1330. Idem Magister Joannes eruditissimas misit epistolas, à Beato quidem Bartholomæo armenicè compositas, sed ab ipso elegantiori stylo concinnatas,

cat Magistros Armenos ad Concilium. natas, ad multos Magistros, condiscipulos suos, in variis tunc degentes Provinciis: quibus inter alia eos hortabatur, ut ad aliquod convenientes Concilium, de unione cum Catholica Ecclesia, atque obedientia, Romano Pontifici exhibenda, deliberarent, firmiorique, quàm anteà stabilitate cœptum illud, in præteritis olim Conciliis Armeniæ toties absolutum, ac iterum posteà dissolutum, ad finem perducerent. Harum ergo epistolarum cohortationibus annuentes præ aliis duodecim Magistri, congregati sunt in Oppido Cherni memoratæ Provinciæ Erinciach; quo etiam convenere ipse magister Joannes, ac B. Bartholomæus cum socio quodam Fratre Petro Tarraconensi laico; eorumque omnium sumptus necessarios, per mensem integrum, quo disputationes de cunctis Armeniorum erroribus inter ipsos habitæ sunt, sustinuit antedictus Princeps Georgius.

Eosdem ad Catholicã fidem amplexandã inducũt Itaque diremptis intra id temporis de fidei controversiis, atque improbatis, rejectisq; erroribus universis, omnes unanimi consensu orthodoxam fidem professi sunt; Romanoque Pontifici, tanquam vero, ac legitimo totius Ecclesiæ capiti, obedientiam promisere: quorum quidem exemplo alii quamplures Armeni in Ecclesiæ Catholicæ gremium sese posteà receperunt. Stabilita jam fidei veritate, tantum inde gaudii percepit Dominus Georgius, ut intra sexaginta dies magnificam in ipso Conventu de Chernà Ecclesiam à fundamentis erexerit. Nepos vero ejus, Magister

Joannes,

Joannes animadvertens institutum monachorum S. Basilii per Patriarcham Niersensem Ghelaiensem in Armeniam olim introductũ, tunc penitus ad relaxationem, ac pene demolitionem pervenisse, conceperat animo, ad pristinam illud observantiam restituere: sed re posteà diligentiùs considerata, illi meliùs videbatur, si novum institueret Ordinem, quo catholica jam ab Armenis recepta, fides conservaretur, ac magis, magisque dilataretur. Quamobrem, divino innixus auxilio, hoc aggressus fuit incœptum; fundavitque Ordinem quendam, dictum Unitorum S. Gregorii illuminatoris ad Ecclesiam Catholicam, sub Regula S. Augustini, & Constitutionibus Fratrum Prædicatorum, mutato Armenorum monachorum habitu in habitum S. Dominici, cum scapulari tamen, & capucio nigro: qui quidem Ordo, confirmatus deinde à Joanne XXII. per Orientem, ac Septentrionem longè latèque propagatus fuerat.

Magist. Joannes instituit in Armenia Ordinẽ Unitorum sub constitutionibus Fratrũ Prædicatorũ.

Intereà B. Bartholomæus, & Frater Joannes Anglus, unà cum Armenis Magistris, Joanne, & Jacobo, ad translationem sacrorum librorum ex Latino in Armenum idioma sese totos dedere; quibus etiam Frater Petrus laicus in iisdem exscribendis libris maximo adjumento fuit. Et quidem tantum in hoc laboris, ac studii contulerunt; ut mirabile dictu sit, quot, quantaque traduxerint volumina spatio trium annorum, quibus post dictam unionem vixit B. Bartholomæus: qui tandem, virtutibus, ac meritis opimus, migravit ad

Obitus B. Bartholomæi in Armenia.

Dominum anno salutis 1333. Ejus sepulchrum, innumeris hactenus clarum miraculis, in Armenia ab ipsis etiam Infidelibus magna colitur veneratione.

In simili quoque librorum traductione multum operæ, diligentiæque consumsit quidam Frater Pontius Ordinis Minorum, qui in Parthorum confinibus apud Zachariam Arnenum Ecclesiæ sepulchri S. Thaddæi Apostoli Episcopum, in Apostolica prædicatione magno cum Animarum lucro desudabat. Ex codicibus autem, tum ab hoc, tum ab illis Fratribus in Armenum conversis, multi adhuc extant apud Patres Dominicanos Armeniæ Nascivanensis Provinciæ: atque in uno translata etiam reperitur Regula S. Augustini, & Constitutiones Fratrum Prædicatorum, cum prooemiali quadam epistola prædicti Magistri Joannis ad Fratres Unitos; in qua cum mentio habeatur Armeniorum Adanensis Concilii, sub Constantino Patriarcha, & Oscino Rege Armeniæ celebrati, cujus integra nos acta in capite præcedente retulimus, ac insuper omnes Armeniorum ejus temporis recenseantur errores, atque multa ex supradictis majori testimonio confirmentur; operæ pretium duximus, huic eam loco inserere.

Epistola Magistri Joannis Chernacensis Armeni ad Fratres Armenos Unitos.

FRater Joannes à Cherna, indignus Sacerdos, ac servus Jesu Christi Salvatoris nostri, omnibus, qui consimili gloria sortiti sunt fidem,

fidem, & religionem in justitia Salvatoris nostri Jesu Christi Dei, atque in unione sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Gratia vobis, & pax, & continuum religionis augmentum multiplicetur. Memor sit Fraternitas vestra verbi Domini, dicentis: væ Mundo à scandalis. Necesse est enim, ut veniant scandala; verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit. Quare autem necesse sit, ut veniant scandala, ostendit Apostolus, dicens: ut Electi probentur. Quoniam sicut ignis necessarius est ad probandum aurum; ita similiter tribulationes, & persecutiones, ad electos Dei probandos. Verum enimverò quicquid ipsis electis ad probationem confert, & electionem: id ipsum reprobis, qui hunc diligunt mundum, ad scandalum, ac perditionem facit, juxta idem verbum: væ Mundo, nempe mundanis, propter scandala. Hæc siquidem semitæ veritatis, ingressuique ad gloriam cœlestem impedimento sunt. *Matth. 18.*

Quocirca tres Ecclesia passa est terribiles persecutionum procellas: primam à Judæis, secundã à Gentilib9, tertiam ab Hæreticis: jam quartã, ab Antichristo futurã expectat ultro, ac timet. Quamvis porrò quælibet earũ scandalũ multis & ruinã attulerit, præ cæteris tamẽ tertia multò plurib9 causa fuit perditionis. Quapropter, multiplicatis hæreticis, videlicet Ario, Sabellio, Appollinari, Macedonio, ac Nestorio; Dioscorus & Eutiches, qui eorũ, non secus ac belluæ belluarũ, alumni extitere, Armeniorũ nationẽ veneno suo coinquinarũt, ac veluti

 fera

6. Detestantur sanctum Leonem Papam, & Concilium Chalcedonense.

7. Non celebrant Dominicas festivitates juxta ordinem, ab Ecclesia Romana servatum; præsertim Nativitatem Domini.

8. Non servant jejunia secundùm Ecclesiasticos Canones.

9. Non habent omnia septem Ecclesiæ Sacramenta; Confirmationem, & Extremam Unctionem omittentes: aliorumque sacramentorum essentiam ignorantes.

10. Non infundunt aquam in Calicem, dum divinum illud Missæ sacrificium peragunt.

11. Asserunt, Eucharistiam populo impertiendam non esse, nisi sub utraq; specie: undè Christi Corpus, sacro ipsius sanguine prius intinctum in Calice, distribuunt.

12. Celebrant in Calicibus, ex ligno, aut luto confectis.

13. Quilibet Sacerdos pœnitentes absolvit à quolibet peccatò sine ulla reservatione, etiam extra casum necessitatis.

14. Subduntur duobus Patriarchis, quorum quilibet totius Armeniæ sibi Patriarchatum ascribit.

15. Parochi, & Episcopi fiunt hæreditario jure per consanguineorum violentiam.

16. Pretio emunt, ac vendunt Ecclesiæ Sacramenta.

17. Faciunt inter virum, & uxorem divortium sine causa propter pecuniam, contra Evangelii præceptum, & sacros Canones.

18. Non conficiunt oleum Chrismatis, neque infirmorum.

19. Tribuunt sacram Communionem parvulis ante rationis usum.

His itaq; aliisq; multis erroribus, Natio Armeniorũ à via veritatis longo jam aberraverat tempore, sine ulla resipiscentia in tenebris residens ignorantiæ; cum novissimè placuit Domino nostro Jesu Christo, juxta id, quod & ipse dixerat Petro: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos; immittere in cor Sanctissimi Pontificis Romani, ut destinaret ad omnes Schismaticorum nationes prædicationis ministros, qui eas ad veram Christi fidem, Beato Petro, ac Successoribus ejus commendatã, adducerent. Ex istis autem Prædicatoribus missi fuere aliquot à sacrosancto Pontifice Joanne XXII. cum litteris pontificiis ad Dominum Constantinum Cæsariensem, Armeniæ Patriarcham; nec non ad Regem Oscinum; qui quidem Patriarcha, convocans quotquot potuerat, suæ Diœcesis Episcopos, ac Præsules, unà cum ipso Rege Oscino, ac Principibus Regni, Concilium celebravit; in quo Armeni, peracta jam cum sancta Romana Ecclesia unione, obedientiam Romano Pontifici promisere. Inter Episcopos autem, qui ad Concilium convenere, adfuit etiam Archiepiscopus Zacharias, qui præerat Ecclesiæ S. Thaddæi Apostoli, ubi est ejus sepulchrum, versus Orientem trans fluvium Araxem, in confinibus Regionis Parthorum, haud procul à celebri monte Ararat, in quo, secundum

Luc. 22

Sepulchrũ S. Thaddæi Apostoli.

con-

constantem Armeniorum traditionem, requievit Arca Noëmi: interfuit etiam magnus Mag. Joañes Zurzorensis, aliiq; plures cum eo.

Ego igitur Joannes Chernacensis, cum diù litteris operam dedissem in Academia magni Mag. Isaiæ, qui ab Armenis velut Oraculum habebatur; atq; ex ejus manibus baculum cum libro, nempe Magisterii dignitatem, accepissem: audiens omnia hæc, eaq; assiduâ recolens consideratione, ardenti desiderio cupiebam, testem me fieri oculatum reductionis meæ nationis ad veram salutem. Exquirens autem ad hæc operam Latinorum, suspiriis ex intimo cordis avulsis, atq; gemitibus ex animi profundo extractis, testimonium multoties perhibentibus oculis, veram cum sancta Romana Ecclesia unionem summoperè expetebam. Cum ergo indies magis, ac magis hoc in me desiderium augeretur, adeò me spes afflixit; ut tandem egressus sim inquirendo, si fortè aliquem offendere potuissem ex Apostolicis Missionariis.

Accidit porrò, ut, veniens de industria in Civitatem Maragá, quæ distat à magna Urbe Tauris milliaria sex supra triginta, invenissem ibi Dn. Fr. Bartholomæum, Ord. prædicator. S. Dominici, virum planè sanctitate vitæ conspicuum; apud quem manens per añum ac dimidium, ex ejus sapientiæ fonte ita affluenter, tanquam cervus sitibundus expletus fui, ut per idem temporis spatium, interprete linguæ persicæ mediante, librum septem Sacramentorum, aliaque Opuscula ex Lati-

Latino in Armenum convertissemus, quibus sane omnibus magis ipse confirmatus, deliberavi meam cum S. Romana Ecclesia unionem perficere.

Cum autem considerarem, me non meæ tantùm, verùm etiam omnium meorum salutis studium, ac laborem debere; adhuc immo me dolebat cor meum. Quare assumens prædictum Dom. Fratrem Bartholomæum, adduxi illum in Oppidum Cherná, in quo multi etiam ex Armenis Magistris, mei quondam in studiis condiscipuli, congregati fuerant: quorum nomina sunt sequentia:

Magister Marcaré ex Oppido Ozzuopa.
Magister Jacobus ex Oppido Cherna.
Magister Hairabiet ex oppido septem fontium.
Magister Joannes ex Oppido Zuani.
Magister Simeon ex Oppido Pasensi.
Magister Nierses ex Provincia Tarsensi.
Magister Arrachial, ex Eal ex Provincia Artazunensi.
Magister Gregorius ex Oppido Abragoni.
Magistri Constantinus, & Joannes ex Provincia Clesuanensi.
Magister Simeon ex provincia sanctæ Crucis.
Et plures alii, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ.

Igitur omnes isti, è quibus posteà plerique fuerunt ad Episcopatum promoti, tum pro se, tum pro suis Monasteriis, ac Provinciis obedientiam Romano Pontifici spoponderunt.

Quo

Quo peracto, cœpimus omnes per universam Armeniam prædicare, unionem cum sancta Romana Ecclesia ad salutem necessariam esse: quapropter nostra Unitorum Congregatio magis per Dei gratiam augebatur, ac fidelium numerus crescebat indies; immò quo magis in fide confirmabamur,& quò plura ex Latino traducebantur volumina; eò magis illuminabantur mentes nostræ, nostræq; nationis defectus clariùs apparebant. Unde perspicientes, nos anteà nil aliud Christianæ fidei, nisi nomen tantummodò habuisse, stupefacti, ac pudore suffusi, non secus ac muti, silentio tenebamur.

Triennio autem post editam unionem, vir Dei Bartholomæus, Magister, ac Pastor bonus, nec sanitate minús, quam sapientiâ singularis, tot, tantisq; exantlatis laboribus, ad Christum ex hac vita migravit: post cujus obitum,ut multiplicabatur Unitorum credentium numerus, ita pariter persecutionum, ac tribulationum crescebant procellæ. Tunc ego, ad Latinos in Occidentem profectus, petii almam Urbem Romam; ubi postquàm plurima præsens vidi, & audivi, quibus plenè de totius nostræ fidei veritate, quam S. Romana profitebatur Ecclesia, certior factus fui; animadverti, non modò populum nostrum à rectis Christianæ fidei semitis deviare; verùm nostros etiam Monachos,à Canonibus sanctorum Patrum aberrantes, non habere ordinem neque regulam, non Constitutiones neque Capitula, nec paupertatis,& obedientiæ vota;

sed

sed quemlibet eorum, negotiationibus, atq; usuris addictum, ultro citroq; pro voluntate circumvagari; ita deniq; inculte, rudite vivere; ut carerent comitiis tum provincialibus, tum Conventualibus; nec provinciales Superiores haberent, neque Priores, neq; Visitatores, nec ullos demum sui Ordinis Zelatores; sed unusquisq; pro suae voluntatis desiderio regeret semetipsum.

Videns ergo, omnia ista apud Latinos perfectissime observari; deficere verò in nostris Monachis; nimio Zelo affectus sum, & diu noctuq; cogitabam, quonam modo possem issem Monachorum Armeniae, eorumq; Monasteriorum, & Constitutionum reformationi prospicere. Quapropter in Orientem reversus, ego, & socii mei votum fecimus vivendi religiosè juxta Regulam S. Augustini, & Constitutiones S. Dominici, quem & habere proposuimus tanquam Patrem, fundamentum, ac principium nostrae Congregationis; emissaq; Religionis professione in manu cujusdam Domini Joannis, * genere Latini; qui à Romano Pontifice missus fuerat cum plenitudine potestatis Episcopus Urbis Theflis; electus fui à sociis juxta facultatem, ab eodem Episcopo nobis traditam, Superior Provincialis nostri Ordinis Unitorum.

** Dn. Fr. Joannes Dominicanus ac soci⁹ B. Barthol*em*.*

Cum igitur nostrae reductionis ad veram fidem, atq; reformationis nostrorum Monachorum auctores extiterint Fratres Praedicatores S. Dominici; eaque de causa Congregatio nostra super Ordinem eorum fundata est, volumus

similus idcirco, ut Fratres prædicti à nobis tanquam Patres, Auctores, & Magistri nostri habeantur; eisq; honor præcipuus à toto Ordine nostro exhibeatur: ac insuper, quòd nihil inter nos fiat, nisi per instructionem, & definitionem ipsorum; neque sine illorum præsentia ullum á nobis Capitulum celebretur. Immò pro viribus curabimus, ut in cunctis nostris Monasteriis semper aliquot eorum resideant, habentes tanquam Patres cum honore debito prima loca. In omnibus denique dubiis, ad fidem pertinentibus dummodò ad S. Sedem Apostolicam recursus haberi nequeat, pro ipsorum sententia stabimus.

Et quoniam Ordo noster fuit potissimùm institutus propter unionem cum sancta Romana Ecclesia; unde & nomen accepit, ac dictus est Ordo Unitorum; idcirco cum omni reverentia, & amore easdem nostras Regulas, & Constitutiones à prædicta S. Romana Ecclesia, matre omnium Ecclesiarum, suscipimus, tanquàm à Capite, fundamento, ac principio cujuscunq; alterius Ordinis & Constitutionis: ut illa, quemadmodùm ipsi videbitur, de nobis semper disponat. Quia veró ex præcepto Regulæ jubemur, animam unam, & cor unum habere in Domino: &c.]

Hic finitur Magistri Joannis epistola; & immediatè pòst prologus Constitutionum Fratrum Prædicatorum, ipsæque Constitutiones sequuntur; additis duntaxat, qua modò retuli-

retulimus; ac etiam, quòd in Professione faciendà deberent Fratres Uniti, Deo & Sanctae Romanae Ecclesiae obedientiam polliceri.

Ordo Fratrũ Vnitorũ Arm. longè lateq; propagatur.

Sic itaque Unitorum Congregatione inter Armenos fundata, multa Fratres Uniti non solùm in Armenia, ac Georgia monasteria extruxerunt; sed trans Pontum Euxinum ad Scythiae quoq; Chersonesum provecti, in eius primaria Urbe Theodosia, vulgò dicta Caffa, quae tunc ditioni Genuensium subdebatur, Universale studiorum Collegium erexerunt, ex quo deinde haud pauci egressi sunt viri doctissimi. Dilatato posteà magis Turcarum, atque Persarum Imperio, tot fuerunt in eos ex Infidelibus, Haereticisq; persecutionum tempestates exortae; adeoq; ad parvum numerum redacti sunt; ut Scythia, ac Georgia relictis in Provinciam solùm Nascivanensem Maioris Armeniae sese omnes receperint; ubi ad haec usque tempora in duodecim Armenorum Catholicorum Oppidis inter Paganorum & Schismaticorum spineta rosam orthodoxae fidei illibatam cum Romano etiam ritu conservant. Extat in Italia apud Genuenses in Monasterio quodam, Armenorum dicto, recens adhuc horum Fratrum Unitorum memoria; qui Genuam è Scythia olim transvecti, hactenus ibi in posteris perdurant.

Igitur videntes praedicti Fratres año salutis 1356 se omnes penè ritus Dominicanae Religionis habere; ac etiam fuisse nedum ad paucitatem, sed paupertatem, ac miseriam extremam perductos; miserunt Romam duos Procura-

Procuratores, videlicet Fratrem Thomam, & Fratrem Eleutherium, ambos Ciahuchenses, & Germanos, ad impetrandum ex Romano Pontifice; ut, annuente Fratrum Prædicatorum Patre Generali, ipsorum Ordo Dominicanæ Familiæ uniretur; & in omnibus, ac per omnia eidem Generali subjiceretur. Quo quidem per Apostolicum illis Breve concesso, Frater Eleutherius primus fuit Provincialis Superior, qui ex Urbe ad Nascivanensem gubernandam Provinciam missus est; Frater vero Thomas initiatus fuit ejusdem Provinciæ Archiepiscopus.

Subditur Generali Fratrū Prædicator. adjunctus Dominicanæ Religioni.

Posthæc autem, regente Ecclesiam Bonifacio IX., missus quoq; fuit ex Armenia Procurator in Urbem Frater Lucas Xiabunicensis; qui ejusdem Summi Pontifici dispensatione obtinuit, ut Armeni Fratres Dominicani, ob nimiam ipsorum pauperiem, ac penuriam piscium, quæ in ea erat Provincia, possent tribus hebdomadæ diebus carnes comedere: ac insuper à Patre Generali impetravit, ut in ipsorum Provinciam aliquis Visitator in biennia singula mitteretur.

Deinde anno Domini 1614. cum eadem Nascivanensis Provincia propter pestilentias, bella, latronum irruptiones & locustas penè ad eversionem perducta esset; destinatus fuit illuc superior Provincialis, Frater Paulus Maria Bononiensis, vir quidem sapientia, & exemplo vitæ insignis; qui deferens secum Fratrem Augustinum Pacensem Armenum, jam in præsentia ejusdem Provinciæ Archiepiscopum,

pum, Ecclesiam illam cum in spiritualibus, tum in temporalibus instauravit: quippe qui non modò, Armenicum assequutus idioma, erectoq; litterarum Collegio, Fratres privatis instructionibus, ac populum publicis concionibus docuit; verùm etiam profectus deinde in Indias Orientales, multas inde pecuniarum eleemosynas, à Lusitanis collectas, misit in prædictorum subsidium.

Tandem Romam regressus, atque ex Carthusianorum Ordine, ad quem postea ex Dominicano transierat, assumptus; & creatus Episcopus primò Myrensis, ac deinde Nascivanensis Ecclesiæ; antequam in hujus residentiam se reciperet, contendit in Indias Occidentales, eleemosynas, quibus suam juvare potuisset Ecclesiam, congregaturus. Dum autem multorum millium aureorum summa coadunata, in Italiam retrocederet; mortuus est in Hispania, universa relicta pecunia pro Armeniorum fundando Romæ Collegio, cujus nunc extructionem Sacra Congregatio de Fide propaganda molitur.

Multi deniq; ex Dominicana familia patres Europæi, virtutibus ornatissimi, singulis quibusq; temporibus in subsidium Ecclesiarum, & Cœnobiorum Armeniæ missi fuere vel Missionarii, vel Superiores Provinciales; quorum exantlatos strenuè labores, nec sudoribus tantum, sed etiam effuso multoties pro confessione fidei sanguine irrigatos, volumen vix integrum caperet.

Ex his autem duos, non minùs scientiâ,

quam

quàm Zelo fidei dilatandæ, aliisq; virtutibus præ cœteris opulentos, ipse in Armena excolenda vinea socios habui Amicissimos. Alter fuit Magister Paulus Piromallus, Italus à Syderno; qui, post diversas hæreticorum insectationes constantissimè toleratas, in deviis Christi Ovibus reducendis adeò profecit doctrinâ, prædicatione, & exemplo, & adhuc in Perside proficit, ut ejus laus, quam posteritati, cum consummata post mortem fuerit, pleniùs celebrandam relinquo, nova hic Historia indigeret. Alter, Magister Antonius de Incarnatione Lusitanus; qui, postquàm Armenicæ linguæ peritiam perfectissimè assequutus fuit, incredibile est, quantam in Armenis erudiendis Fratribus, atq; in incommodis perferendis, longanimitatem, ac patientiam exhibuerit: cumq; ob id maximam eorundem Fratrum sibi benevolentiam conciliasset, precibus ipsorum instantibus, constitutus ibi fuit Superior Provincialis; nec minoris deinde, in ea tranquillè regenda Provincia, charitatis, & prudentiæ specimen edidit. Jam verò, quinam Armeniorum Episcopi ex dictis Fratribus assumpti fuerint, videamus.

De Armeniorum Episcopis, ex Ordine Fratrum Prædicatorum assumptis.

QUamvis constans traditio sit apud Armenos Catholicos, septem ipsorum Ecclesias in Oriente ab Episcopis, ex Dominicano Fratrum Unitorum Ordine assumptus, fuisse solitas gubernari; vix tamen quinq;

 earun-

earundem Ecclesiarum nomina ex nonnullis vetustis codicibus, hactenus apud illos extantibus, (cum pleriq; propter pestilentias, crebrasq; Regionis vastationes amissi penitus fuerint) hauriri potuerunt. Prima est Ecclesia Maragacensis; cujus fuit Episcopus, ut suprà dictum est, Beatus Bartholomæus. Secunda Teflisensis apud Georgianos; cui præfuit Dominus Frater Joannes Episcopus, qui unus fuerat ex sociis ejusdem Beati Bartholomæi: ut constat ex libro quodam ab eodem Fratre Joanne traducto, in cujus fine hoc ipsum legitur adnotatum. Tertia est Ecclesia de Caffà apud Scythas trans Pontum Euxinum: quippè in calce Armeni Martyrologii scriptum reperitur, per Dom. Fr. Thaddæum Episcopum de Caffà idem fuisse Martyrologium ex Græco translatum. Quarta est Ecclesia magnæ Civitatis de Sultanæa in Perside; ubi erant olim Christianorum Templa viginti quinque; nunc verò vix extant in ea domus aliquot Infidelium cum Ecclesia Majori, in spurcitiam Mahometicæ superstitionis conversa: habetur hujus rei mentio in fine cujusdam libri contra Mahometanos, à Dom. Fr. Antonio Episcopo de Sultanæa compositi. Quinta demum est Ecclesia Nascivanensis in Majori Armenia; cujus quidem Episcopi longa sibi invicem serie succedentes, (cum reliqui cæterarúm Ecclesiarum per earum deletionem defecerint) ad hæc usq; tempora perseverant. Solent autem idque de more veteri, ad Episcopatum ex Dominicana familia promoveri per

electi-

electionem populi, atq; Fratrum; deinde accedentes ad Urbem, confirmantur à Summo Pontifice, & consecrantur. Horum igitur Episcoporum series [paucis intermissis, quorum nulla reperitur traditio, neq; scriptura] ex prædictis libris extracta, sic se habet:

Series Archiepiscoporum Ecclesiæ Nascivanensis in Majori Armenia.

Dominus Fr. Thomas Ciahuchensis Armenus consecratus fuit Archiepiscopus Nascivanensis, anno à Virginis partu 1356.

Dn. Fr. Joannes Armeniæ eidem præfuit Ecclesiæ ab anno 1462. usq; ad annum 1477.

Dn. Fr. Benedictus Arm. ab anno 1478. usq; ad annum 1492.

Dn. Fr. Baptista Arm. ab anno 1494. usq; ad annum 1501.

Dn. Fr. Gregorius Arm. ab anno 1511. usq; ad annum 1537.

Dn. Fr. Benedictus Arm. consecratus fuit anno 1541. verùm dum ex Urbe reverteretur in Armeniam, mortuus est in Insula Cypro, anno 1542.

Dn. Fr. Stephanus Arm. ab anno 1545. usque ad annum

Dn. Fr. Nicolaus Arm. ab anno 1561. usq; ad annum 1598.

Dn. Fr. Azarias Arm. consecratus fuit anno 1604. cumq; rediret in Armeniam, obiit in via.

Dn. Fr. Matthæus Arm. dum in quodam Italiæ monasterio degeret, audito Azariæ obitu

consecratus fuit Nascivanensis Episcopus eodem tempore, quo Armeni, accepto nuntio de obitu ejusdem Azariæ, elegerant juxta suam consuetudinem Episcopum ejus Ecclesiæ alium Fratrem Matthæum; qui, ubi cognovit, fuisse Romæ alium ejusdem Ecclesiæ ordinatum Episcopum, post Menses aliquot mortuus est. Ille verò, suam rexit Ecclesiam usque ad annum 1620.

Dn. Fr. Paulus Maria, Italus Bononiensis, assumptus ex Carthusiana Religione, ad quam transierat ex Dominicana, creatus fuit Archiepiscopus Myrensis cum futura successione in Nascivanensem Ecclesiam, cui deinde præfuit post mortem antedicti Matthæi.


Dn. Fr. Augustinus Pacensis Arm. electus fuit Episcopus in Armenia post ejusdem Fratris Matthæi obitum; sed cum Romam propter suam confirmationem, & consecrationem pervenisset, comperissetque, Myrensem Episcopum Paulum Mariam in locum demortui successisse, creatus & ipse fuit Episcopus Myrensis, ac successor futurus Nascivanensis Ecclesiæ; in quam paulo post, mortuo prædecessore, successit; eamq; adhuc in præsentia providentissimè regit.

Jam satis hactenus mihi dixisse videor, circa seriem Patriarcharum Armeniæ, usq; ad Oscini Regis, & Constantini Patriarchæ tempora; quousque & illam Armenus Auctor in suprapositâ historiola sua protraxerat Ex dictis autem manifestò inspicitur, & Solis luce

clarius ante oculos Armeniorum positum est; ipsorum Patriarchas, & Episcopos, quin etiam universam plerumq; nationem, singulis quibusq; temporibus cum Catholica Ecclesia aut conciliatos fuisse, aut debuisse, ac voluisse conciliari. Quæ verò dicenda deinceps, hoc ipsum per historias subsequentium temporum perhibitura, supersunt; cum nonnulla eorum eruenda sint ex aliquibus manuscriptis Armenis, quæ à nostris discipulis ex Armenia hucusq; transmittenda esse, speramus; apponentur, si, Deo dante, ad manus nostras pervenerint, in fine secundæ partis, videlicet controversialis: in qua insuper Patrum doctrinis, & Oraculis Scripturarum, quæ potissimùm ex Armenis Libris, Authoribusq; decerpsimus, neotericorum Armeniorum errores luculentissimè refellentur. Faxit Deus, ut mens horum Fratrum nostrorum ex omni parte illustrata, ad orthodoxæ Fidei veritatem agnoscendam, ac debitam Romano Sum̃o Pontifici obedientiam exhibendam iterùm revocetur.

Finis Historiæ Armenæ.

PRO-




AUTORIS PROTESTATIO.

Adverte, Lector, in elogiis Virorum illustrium, quos hoc libro complexus sum, nonnulla me obiter attingere, quæ sanctitatem ipsis videantur adscribere: perstringo nonnunquàm aliqua, ab iis gesta: quæ cum vires humanas superent, miracula videri possunt: præsagia futurorum, arcanorum manifestationes, revelationes, illustrationes, & si quæ sunt alia hujusmodi: beneficia item, in miseros mortales eorum intercessione divinitùs collata: demum nonnullis sanctimoniæ videor appellationem tribuere. Verum hæc omnia ita meis Lectoribus propono: ut nolim, ab illis accipi tanquàm ab Apostolica Sede examinata, atq; approbata; sed tanquàm quæ à sola suorum Authorum fide pondus obtineant: atq; adeò non aliter quàm humanam historiam. Proinde Apostolicum Sacræ Congregationis S. R. & Universalis Inquisitionis Decretum, anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum, integrè atq; inviolatè, juxta declarationem ejusdem Decreti, à Sanctissimo D. N. D. Urbano Papa VIII. anno 1631. factam, servari à me omnes intelli-

gant: nec velle me vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes ulli arrogare: vel famam aut opinionem sanctitatis, aut martyrii inducere, seu augere; nec quicquam ejus existimationi adjungere; nullumq; gradum facere ad futuram aliquando ullius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem; exceptis tantummodò iis, quos jam eadem S. Sedes Beatorum, aut Sanctorum catalogo adscripsit: sed omnia in eo statu à me relinqui, quem seclusa hac mea lucubratione obtinerent, non obstante quocunq; longissimi temporis cursu. Hoc tamen sanctè profiteor, quam decet eum, qui S. Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit, & ab ea in omni sua inscriptione, & actione dirigi.

LAUS DEO.



Index Rerum potissimarum in hoc Opusculo contentarum.

Cap. I.

Cap. II.

CAP. III.

Cap. IV.

CAP. V.

CAP. VI.

CAP. VII.

CAP. VIII.

Con-

CAP. IX.

CAP. X.

Cap. XII.

Cap. XIII.

Cap. XIV.

Cap.

Cap. XV.

Cap. XVI.

Cap. XVII.

Cap. XVIII.

Cap. XIX.

Græci

Confu-

CAP. XXIII.

CAP. XXIV.

Mona-

Cap. XXVI.

Cap. XXVII.

Cap. XXVIII.

Cap. XXIX.

Nomina

Cap. XXX.

FINIS.

B

